1/3 Epl f
Tal p



INSTITUTIONES

PHILOSOPHICAE

P. MATTHAEI LIBERATORE

SOCIETATIS IESU

AD TRIENNIUM ACCOMMODATAE

Editio quinta

VOLUMEN PRIMUM

LOGICA ET METAPHYSICA GENERALIS

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

California Province Scholasticate Library

ALMA COLLEGE 102 LIBRARY L615 Alma, California

LIBRARY ST. JOSEPH'S SEMINARY SAN JOSE, CAL.

Property of CLgA Please return to Graduate Theological Union Library

7674

ROMAE

TYPIS OFFICINAE LIBRARIAE ROMANAE

ALEXANDRI EQ. BEFANI

MDCCCLXXII.

PETRUS BECKX

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU

Cum opus, cui titulus: *Institutiones Philosophicae ad triennium accommodatae,* a P. Matthaeo Liberatore, nostrae Societatis sacerdote, lingua latina conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint ac in lucem edi posse probaverint, facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

Romae, die 27 Augusti 1860.

PETRUS BECKX

L. ✠ *S.*

Nemini, sine auctoris facultate, praesens opus edere liceat.

LECTORI BENEVOLO



Nolim arbitreris, benigne lector, opus, quod tibi nunc offero, aliud non esse quidquam, nisi Institutionum, quas antea vulgavi, editionem novis curis emendatam. Quamquam enim id quoque sit; tamen praecipuum eius discrimen non inde exsurgit. Differentia, qua mea haec lucubratio a prioribus editionibus potissimum discrepat, in fine, quem spectat, posita est; quandoquidem non, ut illae, ad studium philosophiae biennio explendum, sed ad integrum triennium in ea palaestra collocandum dirigitur. Compertum enim experientia est, angustiore illo eruditionis spatio mentes discipulorum non informari sed onerari potius, nec iis commode imbui notionibus, quae ipsos ad scientiam deinceps penitus hauriendam comparent. Quod si maiores nostri iam suis temporibus cursum trium annorum vix satis esse ad philosophiam rite edocendam existimarunt; quid tempestate hac nostra putandum erit, cum ad priscas controversias tot novae quaestiones agitandae ac tot nova systemata discutienda accesserint? Praeterquam quod tam aucta nunc rerum physicarum et mathematicarum studia, multo longius, quam antea, tempus sibi vindicant. Quare mirum non est si ob nimium properatam in scholis disciplinam adeo in civili societate creverit et crescat in dies numerus leviter eruditorum; incredibili non modo scientiae sed etiam morum detrimento, quorum depravatio licet in voluntate sedem habeat, tamen plerumque ab intellectu

ingeneratur. Doctrinae igitur dilatandae operam daturus, materiam non modo congruentius disponere, sed etiam mole duplicare debui.

Altera exsistit dissimilitudo, notatu digna, quae praesens opus a praeviis editionibus disparat; ea nimirum quae ad rerum delectum et modum tractationis refertur. Quam ut intelligas, grave tibi non sit, optime lector, ad ea, quae breviter enarrabo, animum advertere.

Cum primum, abhinc annos ferme viginti, meas Institutiones in lucem proferrem, duplicem difficultatem non leve mihi negotium facessere conspiciebam. Equidem probe noveram non posse aliter malis, quibus philosophia afflictabatur, remedium afferri, nisi ad firmissima fundamenta revocaretur, quae Doctores Ecclesiae, et S. Thomas potissimum, illi excitandae substruxerant. Itemque persuasum mihi erat, ad bene conformandas adolescentium mentes nihil esse efficacius, quam perpetuum usum ratiocinationis, ad scholasticae formae severitatem redactae. At vesanum odium, contra veteres sapientes a novatoribus excitatum, nondum ita deferbuerat, ut sineret cum spe boni fructus instaurationem, de qua dixi, libere persequi. Sophistarum vero loquacitas ita suis cincinnis et lasciviore verborum ornatu adhuc generatim oblectabat, ut liber dialectico rigore conscriptus, tamquam obsoletus, nauseam potius quam desiderium pariturus fuisset.

Ne itaque surdis canerem et librum a nemine legendum publicarem, sic his praeiudicatis opinionibus obluctandum censui, ut tamen aliquid, quoad possem sine iactura veritatis, temporibus indulgerem. Quapropter quae in veterum scriptis duriora erant, et non summae necessitatis, prorsus praetermisi; alia vero aut exponendo tantum insinuavi, aut ita proposui, ut potius e recentiorum decretis deducta esse viderentur. De forma

autem dialectica, utpote quae non ita magnopere interesset, minus etiam sollicitus fui. Hoc temperamento consequutus sum ut elucubratus a me liber non ingratus accideret; quemadmodum eius plusquam duodecim editiones ostendunt. In quibus tamen exornandis passu semper aliquo, pro temporum opportunitate, ulterius progredi conatus sum; medicum imitatus, qui aegro, prout convalescit, cibum solidiorem ministrat.

At postquam, hoc temporis intervallo, veterum scripta, quae in bibliothecis pulvere obsita et paene incognita iacebant, iterum pervolutari coepta sunt, et doctorum hominum studio in lumen efferri; philosophiae facies non parum immutata est, aequiusque iudicium animos prudentiorum occupavit. Exinde non pauci a me saepe postularunt, ut meas Institutiones non modo novis rebus, quae desiderabantur, locupletarem; sed etiam ad dialecticam disputandi formam omnino reducerem, in iisque doctrinam S. Thomae expressius profiterer; ut sic discipuli et solidius instituerentur, et ad tanti Doctoris sensa plenius et iucundius combibenda fierent paratiores. Horum postulationibus, quantum ingenii mei tenuitas patiebatur, praesenti opere obsequendum duxi.

Habes igitur, benigne lector, quid in hoc libro a me praestitum sit, et quae causae me ad eum sic concinnandum incitarint. Qua quidem in re non exiguus mihi labor subeundus fuit; quem tamen libentissime suscepi, cum de recta adolescentium institutione ageretur. Hanc enim tanti faciendam esse reor, ut numquam, perinde ut res postulat, eam aestimari putem. Quae enim doctis hominibus proponuntur, si quid peccant in scientia, parum periculi retinent; siquidem auditorem vel lectorem inveniunt, cui ob ingenii maturitatem et cognitas etiam aliorum sententias integra est iudicandi potestas. At adolescentuli, qui infirmissimo tempore aetatis et vacuo

animo ad disciplinam accedunt, iudicium per se ferre paene nullum valent, et totos se ad scriptoris vel magistri auctoritatem conferunt. Quare in libris, eorum manu conterendis, nunquam diligentiae satis, ut perfecti evadant, impensum esse credendum est. Quod maxime de philosophicis scriptionibus dici debet, quarum ope in adolescentium mentibus veluti sedes et fundamenta ponuntur omnis futurae eorumdem disciplinae. An ego huic muneri, quantum rei gravitas postulat, satisfecerim, non meum est iudicium. Illud unum te oro, lector, ut qualiscumque visus erit eventus, operam certe, a me iuventuti navatam, aequi bonique facias.

Romae, idibus Augusti 1860.

Haec dictabam, cum primum has Institutiones in lucem protuli. Nunc vero nihil aliud dicendum occurrit, nisi ut lectorem moneam, hanc quintam editionem prioribus antecellere; tum propter nonnulla, congrua temporibus, a me addita, tum propter studium, a me positum, in aliquibus conceptibus melius declarandis. Sed satis huc usque. Hae curae, quoad praesens opus postremae sunt; manum ipsi posthac nunquam admovebo.

Romae, idibus Ianuarii 1872.

PROLEGOMENA

I.

Philosophiae definitio.

Philosophia, iuxta vim vocis, nihil est aliud, nisi studium sapientiae; sapientia autem, a *sapio*, eam rerum notitiam significare videtur, quae menti vere sapiat, seu quae ad sciendum prae omnibus grata sit.

At quaenam est huiusmodi notitia? Illa profecto, quae circa causas supremas versatur. Homo enim, cum primum aspectu naturae percellitur, in magnam admirationem rapitur tantae rerum varietatis, ordinis, pulcritudinis. Ubi autem ex primo illo stupore se recipit, in habitam cognitionem reflexione redit, et rerum, quas miratus est, causam investigat scrutaturque rationes cur illae sint potius quam non sint, sic potius quam aliter sint. Sed causarum et rationum aliae sunt proximae, quae nimirum per altiores explicari postulant; aliae sunt ultimae, quae in suo genere per superiores explicari nequeunt et supremam solutionem exhibent quaestionis agitatae. Sic qui in scrutandis corporibus ad eorum texturam, vires et leges determinandas perveniret, is causas proximas detegeret: qui vero ultra progressus eorum principia essentialia, discrimen a substantiis simplicibus, et finem, ob quem a Deo condita sunt, dignosceret, is causas et rationes ultimas assequeretur. Mens autem nostra sic a natura conformata est, ut donec harum notitiam attingat, nunquam plene conquiescat, nec sitim sciendi expleat.

Quae cum ita sint, ipsa nominis interpretatio patefacit quid philosophiae conceptus importet. Nihil enim aliud ea esse conspicitur, nisi impetus quidam animi et nisus ad nobilissimam cognitionem, de qua diximus, adipiscendam. Quare iure meritoque philosophia definiri potest: Scientia rerum per causas ultimas naturali lumine comparata (1). Cuius definitionis termini ut rite intelligantur, adverte hic a nobis nomine causae generatim accipi quidquid ad rem intime explicandam valet, sive causae severius dictae notionem offerat, sive tantum obiiciat rationem sufficientem, non distinctam a re, de qua agitur. Addimus *ultimas;* quia, ut declaratum est, indoles huius scientiae requirit ut mens non in infimis aut mediis causis speculandis consistat, sed ad supremas conetur assurgere, e quibus reliquae pendent. Demum diximus *naturali lumine comparata,* ut Philosophia a Theologia scholastica distinguatur, quae supremas rationes, quibus utitur, non lumine naturae colligit, sed a supernaturali revelatione mutuatur.

Atque ex his iam noscere potes quid iudicandum sit de tractationibus iis, quae philosophicae appellantur, et tamen de Deo fere iugiter silent et disquisitionem essentiarum cane peius et angue devitant. Enimvero si philosophia in hoc sita est, ut obiectum explicet per rationes ultimas, et ratio ultima externa est Deus, interna autem essentia; quomodo nisi per summam iniuriam philosophica dici potest ea explicatio, quae ab utraque illa ratione se abstinet?

(1) Hinc mirum nemini videri debet, si philosophia non in naturae phaenomenis minutatim describendis aut experiendis moretur; sed, observatione et experientia quantum necesse est praeiacta, continuo ad rerum contemplanda principia et causas gradiatur. Apte De Gerando: « La philosophie en fixant le spectacle de l'univers, ne s'arrête point à l'enumération des parties qui le composent; elle laisse ce soin au naturaliste. Elle veut découvrir dans chaque phénomène la cause qui le produit, dans chaque loi la fin à la quelle tend. Elle cherche donc à reporter la pensée humaine par de là ce monde sensible qu'on pourrait appeler l'avant-scène de la nature. » *Histoire comparée des systèmes,* tome 2, seconde édition, chap. 4.

II.

Philosophiae utilitas et excellentia.

Ex dictis facile est deducere quantum hominis intersit philosophia, quantaque eius sit dignitas et praestantia. Quod sane his argumentis confirmari potest.

I. Philosophia maxime consonat inclinationi naturae. Natura enim, ut ait Seneca, *curiosum* nobis ingenium dedit, idest causas sciendi cupidum. Philosophia autem, ut dictum est, non modo causas, sed supremas rerum causas investigat.

II. Philosophia maxime perficit hominem, qua homo est. Homo enim ratione constituitur; philosophia autem rationem maxime perficit, idque triplici potissimum capite. Primum, quia est suprema inter scientias naturales, cum non quascumque causas, sed ultimas speculetur. Deinde, quia hoc ipso, quod supremas causas et rationes quaerit, facultas est maxime intellectualis. Rationes enim et causae, quo sunt superiores, eo sunt universaliores, ac proinde magis conformes intellectuali naturae; quae in hoc maxime differt a sensili, quod non singularium ambitu coarctetur, sed ad universalia contemplanda se porrigat. Demum, quia mentem hominis valde erigit, eamque ab infimis et, ut ita dicam, palustribus cogitationibus abstractam primo veritatis lumini affigit. Quare mirum non est si huius disciplinae cultores nobilissimi habentur, et omnibus ceterarum disciplinarum cultoribus anteponuntur.

III. Philosophia lucem et principia suppeditat reliquis scientiis. Nam rationes ultimae et maxime universales rationibus inferioribus et contractioribus praesunt, iisque intelligibilitatem et certitudinem impertiunt. Hinc philosophiae studium necessarium omnino est non modo ad Encyclopaediam rite ordinandam, sed etiam ad peculiarem quamlibet scientiam perfecte acquirendam. Vinculum enim et relatio, qua singulae scientiae, sive inter se, sive cum superiore scientia colligantur, dignosci nequit, nisi generalia principia, quae in ceteras notiones influunt, perspecta fuerint. Quare qui philosophiae ignarus alicui disciplinae peculiari se applicat, is in eius studio quasi caecutit, nec satis discernere

potest ubi sit, aut quo tendat, aut quibus respectibus afficiatur.

IV. Philosophia in operationem et mores, immo in ea etiam, quae ad socialem statum pertinent, vim maguam exercet. Prima pars patet tum generatim, quia operatio et vita hominis cognitionem sequitur; tum speciatim, quia ordinari sive in se, sive respectu aliorum homo nequit, nisi probe noverit quid ipse sit, unde venerit, quo tandem pergat; quae omnia in philosophia tractantur. Altera autem pars non minus apparet; siquidem omnis civilium morum perversitas et perturbationes politicae inde potissimum enascuntur, quod ignorentur vel corrumpantur verae notiones libertatis, ordinis, obedientiae, iurium, finis bonorum et malorum et cetera generis eiusdem. Haec autem, ut notum est, e philosophiae institutis promuntur.

V. Ipsi sacrosanctae Religioni philosophia maxime deservit; tum propter confutationem errorum, quos increduli et heterodoxi ex rationis abusu derivant, tum propter demonstrationem veritatum, quae Fidei praeambulae vocantur, ut sunt Dei exsistentia, veracitas, providentia et cetera eiusmodi. Praeterea, etsi fides multas veritates suppeditet, quae rationem excedunt et mysteria dicuntur; nihilominus nonnullas etiam tradit, quae naturale lumen non exsuperant. Tales sunt, exempligratia, productio mundi ex nihilo, liberum arbitrium voluntatis, animorum immortalitas et ita de reliquis. Philosophia igitur, dum has veritates illustrat ac demonstrat, non parum Religioni opitulatur. Demum quoad ipsa mysteria Fidei etsi philosophia impar omnino sit ad ea demonstranda (lumen enim naturae transcendunt); tamen iis nonnihil subsidii exhibet. Primum, quia veritates supernaturales eo melius apprehenduntur, quo magis natura apta fit et disposita ad eas recipiendas: aptitudo autem et dispositio naturae dependet a maiore cognitione naturali, quae per philosophiam acquiritur. Deinde, quia philosophia non paucos conceptus enucleat, qui propter sui universalitatem tum rebus divinis tum rebus humanis sunt communes. Ita se habent notiones veri, boni, substantiae, personae, naturae, principii, unitatis, et centum aliae, quarum recta explicatio per sanam philosophiam effecta summopere iuvat ad ipsa dogmata distinctius percipienda. Denique ipse apparatus veritatum na-

turalium, cum suis pronuntiatis ordinis sive ideologici sive ontologici, mirum in modum theologiae campum amplificat; quatenus, principiis revelatis adiunctus, innumeris illationibus aditum reserat.

III.

Philosophia subdita est Theologiae.

Quae a Deo sunt, ordinata sunt: Deus enim est ipse ordo subsistens, et nihil praeposterum patitur in operibus, quorum est auctor. Si igitur ambae istae scientiae, theologia nimirum et philosòphia, a Deo, fonte omnis lucis, revera procedunt; eae aliquo ordine inter se connecti debent ac temperari. At utra earum alteri praeesse et imperare dicenda est? Illa profecto, quae firmior est et sublimior, sive respectu fundamenti quo nititur, sive respectu veritatum, quas contemplatur. Iam age theologia nititur auctoritate divina, philosophia nititur evidentia rationis creatae; theologia contemplatur potissimum veritates revelatas, philosophia scrutatur tantummodo veritates, quae derivantur ex naturae principiis. At vero divina auctoritas maiorem certitudinem praebet, quam quaelibet evidentia rationis creatae; veritas revelata altiorem gradum occupat, quam quaelibet veritas a fontibus naturae deducta. Ergo nemo, qui sanus sit, rationalistis suffragabitur, qui philosophiae absolutum principatum adiudicant, eamque nulli superiori scientiae subiacere arbitrantur. Id tunc sustineri posset, cum aut humana ratio cum ipsa ratione divina confunderetur, aut praeter rationem humanam nullum praestantius lumen pro veritate detegenda suppeteret. Prima hypothesis pantheismum, altera atheismum includit. Ne igitur in haec absurda labamur, fateri cogimur theologiam, quae veritatibus divina revelatione propositis superstruitur, omnibus mere naturalibus scientiis antecellere. Quare, cum aequum sit ut scientia, quae altior est et certior, in ceteras inferioris ordinis dominetur, ius hoc theologiae detrectari nulla ratione potest (1).

(1) « Cum ista scientia *(nimirum theologia)* quantum ad aliquid sit speculativa et quantum ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit

Nec vero quis pertimescat ullam ex hoc dominatu iacturam legitimae libertatis aut veri progressus in philosophiam redundare. Nam legitima libertas non omnem respuit subiectionem; secus liber non esset nisi Deus, qui solus proprii iuris omnino est et nulli subditus potestati. Sed libertas creaturae et omnium, quae ad ipsam referuntur, id tantum exposcit, ut ditio excludatur extranei principii, cuius nimirum imperio iuxta ordinem naturae non subditur. Iam vero quid magis consonum ordini naturae est, quam ut ratio fallibilis obediat rationi infallibili, et speculationes, quae propter humanam infirmitatem falsitate infici possunt, iuventur lumine illarum veritatum, quae nullum consortium falsitatis admittunt? Hoc autem dumtaxat importat subiectio, de qua loquimur. Non enim exigit ut philosophia propriis principiis careat, aut regione privetur ordinis mere naturalis, in qua sine impedimento spatietur. Sed ita in eo ordine spatiari debet, ut nunquam veritatibus Fidei aut illationibus, quae inde fluunt, contradicat. Id enim si faceret, falsa pro veris amplecteretur; veritati enim nonnisi falsitas potest esse contraria. Quare patet subiectionem, de qua loquimur, philosophiae progressui non adversari, sed favere magis; progressus enim nonnisi in veritate et pro veritate concipitur (1).

tam speculativas quam practicas. Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur, tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et quantum ad utrumque haec scientia alias speculativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem, quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiae, quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt; aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quae ad altiorem finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem huius doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis. » S. Thomas, *Summa theol.* I, p. q. I, art. 5.

(1) Confer hac de re egregiam dissertationem Doctoris Clemens, quae inscribitur: *De Scholasticorum sententia Philosophiam esse Theologiae ancillam, Commentatio.* Münster 1856.

Quod sane experientia ipsa clarescit; siquidem philosophia nunquam maiora incrementa habuit, quam cum fideliter theologiae famulata est; nunquam in turpiores errores incidit, quam cum insanae libertatis amore ab eius luce ac tutela se subtraxit.

IV.

Varia philosophiae fortuna.

Licet tirones, qui nunc primum ad philosophiae limen accedunt, eius historiam et vices non satis animo complecti possint; tamen nonnihil de ea re generatim innuere non sine aliquo profectu erit. Itaque illud in primis certum est, philosophiam, utpote quae arctissime cum naturali inclinatione mentis copulatur, non potuisse diutissime in hominum genere desiderari. Immo potius credibile est eius initia, saltem aliqua, satis festine in humana societate pullulasse; cum ad ipsam tanto naturae impulsu mens humana sollicitaretur. Accedit, ut si rerum cognitio per ultimas causas non idcirco philosophiae nomine indigna putetur, quod non ex propria industria sed Dei beneficio accipiatur; ea in gradu satis perfecto ipsum protoparentem ornatum fuisse fatendum est. Is enim non modo quoad corpus, sed etiam quoad mentem perfectione, quae Auctore suo digna esset, donari debuit, ac proinde scientia etiam rerum naturalium divinitus exornari. Quae sane scientia, licet ideis a Deo infusis contineretur, tamen per lucem menti congenitam et nexum illationum cum principiis immediate evidentibus explicabatur. Ergo quamvis supernaturalis quoad originem; tamen quoad substantiam, ut ita dicam, a scientia non differebat, quam nos naturaliter acquirimus. An vero Adami naturam ab essentia ceterorum hominum discrepasse dicemus, propterea quod non generatione sed immediata Dei creatione producta fuerit? Cum igitur effici non potuerit ut Adam nihil scientiae, quam possidebat, filios edoceret, eiusque ex his nihil in posteros dimanaret; quisque videt philosophiae initium, quatenus evidenti rerum cognitione constat, cum ipso initio generis humani revera confundi. Ceterum philosophiae exordia antiquissima fuisse vel inde coniicitur, quod eius historia omnem

civilem historiam antevertat, ac primum ab Oriente patuerit, ubi omnis reliquae culturae et artium primordia ab eruditis collocantur.

Philosophiae quinque periodi, ut aiunt, distingui possunt: orientalis, graeca, romana, scholastica, recentiorum.

In Oriente praeter Hebraeos, qui sincerae revelationis custodes puriorem doctrinam etiam ordinis naturalis, licet non sub forma scientifica, retinuerunt; quoad philosophiam praecipue celebrantur Chaldaei, Phoenicii, Aegyptii, Persae, Sinenses et maxime Indi, apud quos mirum est quam multa et opposita systemata pullularint.

Nihilominus genuina scientiae lineamenta et aspectum philosophia non induit, nisi apud Graecos, duabus illis famosis enatis scholis, altera Ionica, duce Talete, altera Italica, duce Pythagora. Mox tamen in sophisticam degeneravit, donec opera Socratis ad nativa principia iterum revocari coepit. E schola Socratis exortus est Plato, qui una cum Aristotele, discipulo eius, omnes antiquitatis philosophos facile superarunt. Praeter sectas ab his fundatas, Academiam nempe et Peripatum, duae aliae deinceps prae ceteris inclaruerunt; Stoica nimirum duce Zenone, et Epicurea doctore Epicuro.

Romana philosophia non fuit nisi graecae echo quaedam et derivatio. Ea potissimum in Cicerone emicuit, qui ut prius eloquentiam, sic postea sapientiam cum gloria est persequutus. Is incredibili diligentia scripta graecorum philosophorum pervolutavit, eorumque doctrinam elegantissimis operibus exposuit et illustravit. Cum Tullio commemorari prae aliis possunt Lucretius et Seneca, alter Epicureae, alter Stoicae philosophiae sectator.

His scholis si adiicitur Neoplatonismus alexandrinus; qui synthesi quadam constabat philosophiae graecae (platonicae praesertim) cum philosophia orientali; habebitur totus processus ethnicae sapientiae, quae, cum Plotino, Proclo, Plutarcho, Porphyrio, extincta est.

Exorta luce Evangelii, philosophia christiana formari coepta est opera Patrum Ecclesiae, qui e praecedentium philosophorum libris doctrinam seligentes, quae non ex gentili superstitione aut defectu mentis, sed ex natura rationali, a Deo condita, defluebat; eam lumine revelationis et proprii ingenii acumine mirifice fecundarunt. Inter Patres ex hac

parte maxime eminet Augustinus, qui christianae philosophiae verus fundator haberi potest. At eius labores plenum exitum sortiti non sunt, nisi opera Doctorum scholasticorum, et praecipue S. Thomae Aquinatis; qui doctrinam Augustini studio Aristotelis summopere ampliavit, atque exinde philosophiae corpus confecit, naturae explicandae et theologiae tuendae optime consonum. Quare is non modo theologiae sed philosophiae etiam christianae princeps est habitus, et velut angelus scholarum ab omnibus salutatus.

At licentiae cupiditas dudum ferre non potuit, ut scientia humana scientiae divinae subiiceretur. Hinc exordium coepit recens philosophia; quae tristibus auspiciis enata est, tanquam reactio contra scholasticam philosophiam et tamquam conatus rationis ad iugum theologiae excutiendum. Auctorem vero praecipuum habuit Cartesium; qui, reiecta auctoritate aetatum praeteritarum, aedificium scientiarum a fundamentis excitari iussit, constituta dubitatione universali pro initio totius inquisitionis, et exsistentia subiecti cogitantis pro fonte et principio totius certitudinis. Innumera post ipsum condita sunt systemata: quorum alia a subiecto cogitante, prout sensatione afficitur, proficiscentia, primum in sensismum, deinceps in materialismum et scepticismum prolapsa sunt; alia ex subiecto cogitante, prout intelligentia exercetur, ratiocinantia, primum in idealismum, postea in pantheismum et rationalismum inciderunt. His duobus postremis erroribus affine valde est systema illud, quod nomine Ontologismi a bonis etiam nonnullis sed parum prudentibus circumfertur, quodque initium philosophandi ex immediata quadam entis absoluti, nimirum Dei, intuitione desumit. Contrarium inivit iter aliud systema, quod Traditionalismus appellatur, et in Gallia praesertim et Belgio non leves turbas excitavit; cuius summa in hoc sita est, quod humana ratio nullam veritatem, ordinis saltem moralis et metaphysici, propriis viribus detegere possit, sed principia huiusmodi ex magisterio societatis et revelationis primitivae haurire debeat.

Catalogum hunc errorum et chimaerarum longius hic texere inutile foret; quae enim exponenda et observanda essent, vix aut ne vix quidem a tironibus intelligerentur. Quare melius in locum, ubi singulae quaestiones tractandae sunt, differuntur. Illud unum pro coronide hic notamus, sapientiorum ani-

mos confusione idearum permotos et errorum lue, quae in praesenti philosophiam, immo societatem ipsam commaculat, ad scholasticae doctrinae fontes paulatim reverti. Quod sane magnum philosophiae incrementum pollicetur. Non enim aliter haec scientia Religioni tandem reconciliari poterit, et cum sapientia saeculorum totiusque humani generis religari; nisi iis fundamentis iterum superstruatur, quae pro tanto aedificio excitando ab Ecclesiae Doctoribus iacta sunt.

V.

Philosophiae partitio.

Inter omnes philosophiae divisiones, quae a sapientibus tradi solent, illam praeferimus, quae a Platone proposita philosophiam trifariam partitur, in realem, moralem et logicam. Eam sic memorat Tullius: « Fuit iam a Platone accepta philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus; altera de natura et rebus occultis; tertia de disserendo, et quid verum, et quid falsum, quid rectum in oratione pravumque, quid consentiens, quid repugnans iudicando (1). » Ad hanc suadendam partitionem haec ratio potissimum hoc loco sufficiat. Scientia omnis dividi debet, prout dividitur obiectum quod contemplatur. Iam vero philosophia, quatenus scientia est universalis, pro obiècto habet omnia entia seu ens ipsum in quantum est ens. At ens sub triplici forma et aspectu considerari potest, nimirum vel quatenus reale est, et attributa possidet a mentis consideratione non pendentia; vel quatenus ideale est, et attributis subiicitur a mentis consideratione derivatis; vel quatenus morale est, et terminat actus voluntatis bonum appetentis. Ergo philosophia, suam amplitudinem retinens, considerari potest sub triplici diversitate, propter triplicem aspectum quem eius obiectum offert. Ergo dividi poterit in tres scientias universales, in philosophiam nempe realem, rationalem, moralem. Prima speculatur entia, prout in se sunt vel in suis causis, et in tres partes dispescitur, Physicam, Mathesim et Metaphysicam, prout ens considerat vel sensilibus mutationibus substans, vel sola

(1) *Academ.* l. I, n. 6.

quantitate affectum, vel ab utrisque praecisum. Altera speculatur entia non prout in se sunt, sed prout ab actibus rationis denominantur, et appellari poterit Logica. Tertia speculatur entia prout obiiciuntur actibus voluntatis, quae in eorum appetitionem sub dictamine legis naturae fertur, et dicetur Moralis, ex qua Ius naturae derivatur (1).

Quod, si forte alicui huiusmodi partitio non arridet, is aliam, prout lubet, sequi poterit, modo talem proferat, quae obiectum exaequet, ab eoque rite deducatur. Divisio enim, cum artis sit opus, semper aliquid arbitrio dividentis permittit; licet fundamentum ex natura sumendum praecipiat. Nobis, quae allata est, videtur satis probabilis; non solum quia tribus, ut diximus, universalissimi obiecti respectibus ad amussim respondet, sed etiam quia hodiernae opinioni circa scientias optime congruit. Nemo enim nunc appellat philosophum, qui soli Physicae experimentali, aut soli Mathesi dat operam; at omnes philosophum dicunt qui praeterea in Metaphysica et Logica, et morum disciplina praecellit. Reliquarum vero scientiarum recta distributio et ordinatio satis apte ex proposita partitione deducitur. Nam, ut suo loco dicturi sumus, scientiae naturales sub physica, a qua principia

(1) Fere iisdem verbis, quibus usi sumus, hanc partitionem explicat Silvester Maurus, sic inquiens: « Philosophia ex Platone, quem sequutus est Aristoteles aliique communiter, dividitur in realem, rationalem, et moralem. Philosophia realis est quae agit de ente reali, hoc est de rebus secundum se, et secundum praedicata quae rebus conveniunt a parte rei et nemine cogitante. Subdividitur in Physicam, Mathematicam, et Metaphysicam. Physica agit de ente ut naturali, hoc est sensibiliter mobili ac mutabili. Mathematica agit de ente ut extenso. Metaphysica agit de ente immateriali positive vel praecisive, hoc est de rebus carentibus materia ac de rationibus communibus enti materiali et immateriali; cuiusmodi sunt ratio entis, substantiae et cetera. Philosophia rationalis est, quae agit de ente rationis, hoc est de rebus relate ad actus rationis, et de eorum signis... Philosophia moralis est, quae agit de ente morali, hoc est de rebus relate ad actus morales, et de ipsis actibus moralibus, ac docet modum recte vivendi. Sunt autem actus morales, per quos homo efficitur simpliciter bonus vel malus, hoc est aptus vel ineptus ad consequendum suum ultimum finem. » *Aristotelis opera, quae extant, brevi paraphrasi, ad literam perpetuo inhaerente explanatione, illustrata.* Prooemium totius operis.

desumunt, collocari possunt. Scientiae politicae et legales a morali, in qua fundamentum agnoscunt, vinculum suum mutuantur. Scientiae tandem, quae generatim pulcras artes, quatenus idearum expressione constant, respiciunt, Logicam moderatricem et ducem habent.

Denique si ordinem quaeris, quo tres illae philosophiae partes disponi debent inter se, ut adolescentibus cum fructu tradantur, procul dubio videbis Logicam ante duas alias praecipiendam esse. Cum enim ab ipsa leges examinentur, quibus mens in suis speculationibus regitur, ut verum assequatur et errorem caveat, ceteris scientiis praeire in docendo debet. Ad rem Augustinus: « Quomodo ratio ad alia fabricanda transiret, nisi prius suas regulas et praecepta, quasi quaedam machinamenta, distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam disciplinam, quam dialecticam vocant? Haec docet discere, in hac se ratio demonstrat, quae sit, quid velit, quid valeat; sola vult scientes facere, nec solum vult, sed etiam potest (1). » Hinc intelligitur quantum a ratione discedant recentiores illi, qui philosophiam a Psychologia vel Ideologia inchoari volunt, nullis Logicae praeceptis antea enucleatis. Hi dum adolescentes, sensu tantum naturae fultos, tam difficiles scientias condiscere iubent, iis videntur similes, qui nullis praeparatis instrumentis, opus aliquod elaborandum committunt.

Hoc cum de Logica indubium sit, ad duas alias disciplinas quod attinet, non minus certum est philosophiam realem philosophiae morali praemitti oportere. Nam ens ut terminus voluntatis considerari nequit, nisi antea fuerit in se absolute perspectum. Ex notitia enim rei, de qua agitur, iudicium ferendum est an ea possit necne iuxta legem honestatis ab homine appeti; nec nisi ex ordine a Deo rebus impresso erui potest divina intentio circa hominis destinationem et officia.

(1) *De ordine,* lib. I, c. 18.

LOGICA

INTRODUCTIO

I. Logica a graeca voce λόγος *(ratio)* idem significat ac rationalem disciplinam; atque id ex eo, quod ordinem contemplatur in actibus rationis, ad verum assequendum falsumque vitandum. Quare sicut eius finis est disciplina mentis pro veritate assequenda; ita obiectum eius est ipse ordo, seu recta dispositio actuum rationis, praedicto fini consentiens. Ordo enim, ut scite S. Thomas, quatuor modis ad rationem refertur. Unus est, ut a ratione consideretur sed non efficiatur; et sic se habet ordo realis, qui ad Metaphysicam vel Physicam pertinet. Alter est, ut ordo consideretur tamquam efficiendus in rebus exterioribus, et sic obiectum est artium mechanicarum. Tertio modo ordo spectari potest, ut constituendus in actibus voluntatis, et sic obiectum est philosophiae moralis. Tandem spectari ordo potest, ut afficiens actus rationis, et sic obiectum est Logicae (1).

(1) « Ordo quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum, quae sunt voces significativae. Tertius autem ordo est, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus ordo est, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Ordo, quem ratio considerat sed non facit, pertinet ad philosophiam naturalem; ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam; ordo autem actionum voluntatis pertinet ad considerationem moralis philosophiae; ordo denique, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus, pertinet ad artes mechanicas. » In I. *Ethicorum,* lect. 4.

II. Hinc facile explicatur quid intelligendum sit cum dicitur, obiectum Logicae esse ens rationis et secundas mentis intentiones. Nam ordo ille, quem Logica in actibus rationis contemplatur, non est aliquid physicum, sed est aliquid ideale et a mentis consideratione pullulans, quamvis fundamento a rebus accepto. Ita, exempligratia, cum conceptus animalis cum conceptu hominis sic disponitur, ut prior habeatur tamquam genus, posterior tamquam species sub genere illo comprehensa; respectus hic, quo unum concipitur ut superius, aliud vero ut inferius, unum ut totum, aliud ut pars, reale quiddam profecto non est. Nusquam enim, nisi platonicas formas somniare velis, physice exstat absolutum animal, quod per se non sit homo nec bellua et tamen species omnes, tum humanam tum belluinas, sinu suo complectatur. Nihilominus exsistit in mente conceptus hic animalis indeterminati; qui non mere fictitius est, quemadmodum esset idea chimaerae aut centauri, sed in natura ipsa singulorum exsistentium animalium fundatur. Haec enim, quamvis peculiaribus suis differentiis inter se discrepent, tamen omnia in vita et sensu participando conveniunt; ac proinde abstractione mentis sic apprehendi possunt, ut in ipsis sola ratio viventis sensu praediti cogitetur. Hic vero abstractus conceptus potest denuo reflexione animi comparari cum integra natura rerum, a quibus deductus est; atque ita relationem induet formae cuiusdam latioris et magis universalis, quae idonea sit reperiri in multis speciebus, puta homine, equo, leone, et similibus. Obiectum, sic consideratum, ens rationis dicitur; siquidem nobis obversatur non prout in se revera subsistit, sed prout subsistit in mente et logicis relationibus induitur.

Porro hae logicae relationes intentiones secundae nuncupatae sunt. Qua in denominatione, ne error obrepat, tria diligenter notanda sunt. Primum: *intentionem* hic sumi, non quatenus significat actum voluntatis finem appetentis, sed quatenus laxiore significatu designat conceptum et considerationem mentis, quae se quodammodo erga obiectum, quod contemplatur, intendit. Secundo: *intentionem*, sic explicatam, sumi non sub aspectu subiectivo sed obiectivo, nimirum non pro actu mentis, relationes illas logicas considerantis, sed pro ipsis relationibus logicis, quae mentis reflexioni ad considerandum obiiciuntur. Tertio: epitheton, quo dicuntur

secundae, idcirco apponi, ut significetur relationes illas obiecto competere, quatenus ipsum in statu cognitionis versatur. Nam obiectum quodlibet considerari potest in duplici statu. In se (sive exsistentia sive natura spectetur), et in apprehensione mentis ipsum cognoscentis. Status hic apprehensionis vel cognitionis revera *secundus* dici potest, respectu status realis, qui iure *primus* appellatur; siquidem res ideo cognoscitur, quia est, et ex eius entitate eius cognoscibilitas sequitur. Ergo quemadmodum illae attributiones vel relationes, quae obiecto conveniunt prout in se est, vocari possunt *primae intentiones*, quatenus terminant primam considerationem mentis, nempe cognitionem directam; sic contra attributiones et relationes quae obiecto conveniunt, quatenus iam cognitum est, appellari possunt *intentiones secundae*, in quantum terminant secundam considerationem mentis, nempe considerationem reflexam. Hae autem intentiones secundae, seu aliis verbis considerationes reflexae, quoniam obiecto competunt non reali sed cognito, entia rationis dicuntur. Ad rem S. Thomas: « Ens est duplex, scilicet ens rationis et ens naturae. Ens autem rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis et speciei et similium; quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur; et huiusmodi scilicet ens rationis est proprie subiectum Logicae (1). »

III. Logica alia est naturalis seu innata, alia artificialis seu acquisita. Prima est dispositio quaedam, quam homo a natura ipsa sortitur, ad bene utendum actibus rationis, nullo magisterio, nullaque doctrina. Cum enim homo essentialiter sit rationalis, suapte vi in cognitionem prosilit veritatum quarumdam immediate evidentium, atque ex his, natura tantum duce, deductiones saltem faciliores derivat. Quod dum facit, profecto persentit se rite operari, ac veritate perspecta, quae per se pateat, non posse assensum negare iis, quae necessario ex illa dimanant. Haec dispositio, omni disciplina et studio anterior, cuivis homini ratione utenti inest; nec arte ulla

(1) In IV. *Metaphysicorum*, leet. 4. Hic, ut patet, appellatur subiectum, quod a recentioribus diceretur obiectum. Qui modus loquendi frequens est apud Scholasticos.

excoli postulat, ut mentem ad veritates non paucas, ordinis tum metaphysici tum moralis, detegendas adducat.

At homo vi reflexionis in semet et in cognitiones sponte habitas revertitur, atque ea, quae a natura recepit, nova consideratione intimius collustrare potest et ad generales leges reducere, quae omnibus deinceps applicentur. Sic enascuntur artes omnes et scientiae. Sic enata etiam est Logica artificialis, quae reflexa quaedam notitia est et distinctior et magis evoluta mediorum, ad verum capessendum idoneorum, quam studio et meditatione consequimur. Perspicuum proinde est eam non aliter distingui a naturali, nisi ut perfectum distinguitur ab imperfecto, et ut metaphysica vel moralis disciplina distinguitur a sensu communi, sive speculativo sive practico. Quemadmodum enim duae illae scientiae easdem veritates complectuntur, quas sensus communis attingit, sed eas clariores distinctioresque efficiunt, atque ad novas manifestandas, quae vulgo non patent, provehunt; sic Logica artificialis easdem pro actibus rationis dirigendis complectitur regulas, quas Logica naturalis, sed eas vividiore luce perfundit et cumulatius perficit.

IV. Ex quo duo corollaria sequuntur. Unum est, Logicam artificialem dici posse, sub diverso respectu, artem et scientiam. Dici potest ars, quia praeceptis constat, quod proprium est artium; dici potest scientia, quia praecepta, quae tradit, ratiocinando demonstrat. Immo vero ita est ars, ut ars artium dicenda sit; ita est scientia, ut proxime inter philosophiae partes iure numeretur. Illud quidem, quia cum rationem suis praeceptis generatim ordinet, id ordinat, a quo artes omnes, quae ordinatione rationis constant, proficiscuntur. Hoc autem, quia scientia est, quae non modo obiectum per rationes ultimas in suo genere explicat, sed etiam omnia prorsus entia suo modo contuetur. Ut enim ait S. Thomas: « quia circa omnia, quae sunt, habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis, Logica etiam erit de iis, quae communia sunt omnibus, id est de intentionibus rationis quae ad omnes res se habent (1). »

Secundum corollarium est, Logicam esse prorsus necessariam ad alias scientias rite comparandas. Quod patet non

(1) In I. lib. *Posteriorum*, lect. 20.

solum, quia scire distincte non possumus nos adeptos esse veritatem, nisi scientia ornemur mediorum, quibus ad eam adipiscendam usi sumus; sed etiam quia, solo Logicae naturalis praesidio, aegre admodum nec sine errandi periculo mens incedit, praesertim cum de speculationibus abstrusioribus agitur, a captuque vulgari remotioribus. Enimvero idearum perturbatio, et falsa iudicia et sophisticae ratiocinationes, quae tantopere in praesenti scientias vitiant, non aliunde, quam ex Logicae neglectu, ducunt originem. Unde sapienter S. Thomas observat, Logicam, licet non sit facilior aliis scientiis, immo etiam fortasse difficilior, propter continuum usum reflexionis quo indiget; tamen in docendo praeire oportere (1).

V. De Logica igitur artificiali dicturi, eam in duplicem partem dispescimus. Prima faciliores considerationes amplectitur circa ordinem in actibus rationis ponendum, et fere unice continetur in structura et legibus ratiocinii, praeceptivo potius modo, pertractandis. Secunda altius assurgit, et abstrusiores quaestiones agitat, sive quoad finem, quem mens in ratiocinando habet, sive quoad media quibus utitur, sive quoad vias quas percurrit, aut terminum ad quem pertingit. Quare illa *Logica minor,* haec *Logica maior* a veteribus appellabatur.

Haec partitio licet omnibus scientiis, quae semper faciliora quaedam et quaedam difficiliora praebent, aptari posset; tamen in Logica peculiarem opportunitatem habet. Cum enim institutionis initium ab hac disciplina sumatur, necesse omnino est ex iis auspicari, quae levi negotio capi possunt; ne adolescentes in ipso philosophiae vestibulo, ob nimiam difficultatem, deterreantur, quominus eam alacri animo capessant.

(1) « Necessitas requirit ut in addiscendo incipiamus a Logica, licet non sit facilior aliis scientiis, quia aliae scientiae ab ipsa dependent. » *Opusc.* 70, q. ultima, art. 1 ad 5.

LOGICAE PARS PRIMA

TRIPLEX OPERATIO MENTIS

Haec Logicae pars, quae tota vertitur in ratiocinii structura et legibus enodandis, a διαλέγομαι *(dissero)* Dialectica communiter vocari solet; quamquam ea vox in Aristotele ad solam artem suadendi probabilia deprimitur (1), in Platone contra ad scientiam internae generationis idearum denotandam extollitur (2). Porro ratiocinium ea est operatio, qua mens ex una veritate cognita aliam deducit; ut cum ex. gr. ex mundi adspectu exsistentiam Dei infert. Quare ab Augustino definitur: A certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio (3). Tribus autem, ut patet, constat elementis: simplici apprehensione, iudicio, deductione. Nam nequit profecto mens veritatem ex veritate derivare, nisi aliquid de re aliqua affirmet aut neget. Nequit autem quidpiam de re ulla affirmare aut negare, nisi rem ipsam, circa quam affirmatio aut negatio versatur, ante perceperit. Sic, ut allato instemus exemplo, nequit mens a mundi exsistentia inferre exsistentiam Dei, nisi mundum exstare affirmet; neque hoc affirmare potest, nisi mundum, cui exsistentiam tribuit, contueatur.

Iamvero illa mentis operatio, qua res mere percipitur, dicta est *apprehensio;* per ipsam enim mens obiectum quasi prehendit atque ad se trahit. Adiungique solet appositum *simplex,* ut significetur operationem illam esse incomplexam, nec quidquam per eam affirmari aut negari.

(1) *Topic.* c. 1.
(2) *De Republ.* VII.
(3) *De immortalitate animae,* c. 1.

Altera operatio, qua rei perceptae aliquid mente tribuitur aut demitur, *iudicium* audit; quia mens affirmatione sua aut negatione, de re percepta, quasi instar iudicis, sententiam fert.

Denique actus ille mentis, quo ex prolato iudicio aliud iudicium infertur, appellatur *deductio* vel etiam *discursus;* quia unum ex alio ducitur et quasi ab uno in aliud mens movetur.

Tribus expositis omnes cogitandi motus, quatenus cognitionem sibi implicant, revera continentur. Cognitio enim, quaecumque ea sit, aut affirmationem negationemve aliquam complectitur, aut nullam. Si primum, tunc aut affirmatio vel negatio perceptionem obiecti immediate sequitur, et cogitatio huiusmodi ad secundam classem pertinebit, seu erit merum iudicium; aut a mente derivatur ex anteriore affirmatione vel negatione, quacum connectitur, et talis actus erit deductio, quae iudicio constat mediato. Sin contra posterius eveniat, nempe si cogitatio nullam affirmationem vel negationem sibi implicet, habebitur simplex apprehensio.

Hinc exsurgit idonea Dialecticae partitio. Nam disciplinae omnes dividi debent et ordinari, prout dividitur et ordinatur obiectum, quod respiciunt. Cum igitur obiectum Dialecticae sit ratiocinium, et ratiocinium tres superius enumeratas operationes complectatur; nemo non videt tres huius disciplinae esse partes: unam quae de simplici apprehensione, alteram quae de iudicio, tertiam quae de deductione sermocinetur.

CAPUT PRIMUM

DE SIMPLICI MENTIS APPREHENSIONE.

1. Simplex mentis apprehensio, ut ante diximus, in eo posita est, quod mens obiectum mere percipiat et contueatur, nulla adiecta affirmatione aut negatione. Sic qui anteactae aetatis memoriam secum revolveret, quin de rebus, quas recordatur, iudicium ullum proferret; is simplicibus tantum apprehensionibus afficeretur.

De hac operatione mentis recentiores Logici multa disserere solent, sub nomine *tractatus de ideis,* quae reapse non ad Logicam sed ad Ideologiam melius revocantur. Logica enim, ut iterum dicam, non agit de actibus rationis, nisi quatenus artificiose disponuntur in ratiocinando, atque ideo quidquid ad hanc artificiosam dispositionem non pertinet, id omne huic disciplinae alienum est.

Quare nemo miretur si nos ab horum Scriptorum consuetudine recedimus, ac veteres potius imitamur, qui Logicae naturam et argumentum longe sapientius intellexere.

ARTICULUS I.

De conceptu per simplicem apprehensionem effecto, qui terminus mentalis dicitur.

2. Notitia, quam mens de obiecto accipit, obiectum ipsum in nobis cogitatione refert, et idealibus quasi coloribus depingit. Id indubium cuique fit, si consideret cognitionem esse actum vitalem et immanentem, qui non foras exsilit, sed in mente ipsa moratur, et tamen per eum manifestari et prorsus describi obiectum, utcumque dissitum, quod contemplamur. Sic, cum plantam intelligis, actus ille intellectionis profecto a te non discedit, et tamen in ipso quodammodo legis et tibi explicas quidquid ad plantae naturam aut partes aut operationem spectat.

Id autem qui fieri posset, nisi in cognitione illa intellectualiter inveniretur planta ipsa, vel melius eius similitudo, quae, ad cognitionem quod attinet, vicibus realis plantae fungatur? Haec igitur obiecti repraesentatio, quae per actum mentis efficitur, appellatur conceptus, cum sit quaedam quasi mentis procreatio et veluti partus. Eam veteres verbum mentis nuncuparunt, propterea quod mens cognitione, quam acquirit, sibi quodammodo loquitur; recentiores vero frequentius appellant ideam, cum sit mentis veluti visio. Sed sive verbum, sive conceptum, sive ideam mavis nominare; hoc certe constat, ipsam non esse aliud, nisi imaginem obiecti a mente cognoscentis expressam.

Quo modo id contingat et unde mens fecundetur ad huiusmodi gignendam imaginem, non huius loci quaestio est,

sed in ideologia disputabitur. Hic unum advertimus, hanc intellectualem imaginem, nullo modo esse confundendam cum phantasmate imaginationis, quae operationem intellectus nostri constanter comitatur. Idolum enim illud phantasiae nonnisi sensationibus respondet, quarum est quaedam quasi revocatio, et in brutis etiam animantibus reperitur. Contra imago illa intellectualis nonnisi ad mentem pertinet, et eas etiam notas obiecti refert, quae sensibus non attinguntur.

3. Conceptus, hoc ipso quod menti obiecti cognitionem importat, haberi debet ut eiusmodi obiecti signum. Ut enim scite S. Thomas: « Communiter possumus dicere signum quodcumque notum, in quo aliud cognoscatur. Et secundum hoc forma intelligibilis potest dici signum rei, quae per ipsam cognoscitur (1). » Ratio autem est, quia signum generatim est quidquid potentiae cognoscitivae aliquid, diversum a se, repraesentat. Id vero optime convenit conceptui; qui, ut dictum est, ad vivum effingit atque ideo menti repraesentat obiectum, circa quod versatur. Immo vero, ut idem Doctor Angelicus observat, magis et anterius dicitur signum conceptus mentis, quam verbum orale; quia verbum orale ex conceptu ipso habet ut exterius rem significet (2).

4. At, ne in errorem incurras, diligenter notandum est quo pacto conceptus sit signum obiecti; non enim est signum *conventionale* sed *naturale,* neque est signum *ex quo,* sed tantum *in quo* res percipitur. Quod ut intelligas, animadverte signum, cum medium sit inter rem, quam repraesentat, et potentiam cognoscitivam, cui rem repraesentat; posse sub nexu, quem utrinque habet, considerari. Si consideretur quoad nexum cum obiecto, dividitur in signum naturale et conventionale, prout ex natura obiectum significat vel ex pacto. Sic fumus, ex. gr. quia naturaliter significat ignem, et vestigium, quia naturaliter significat animal a quo impressum est; signa sunt naturalia. Contra ramus olivae, quia

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De cognitione scientiae angelicae,* art. 4 ad 4.

(2) « Quando effectus habet a causa non solum quod sit, sed etiam quod significet; tunc, sicut causa est prior, quam effectus, in essendo, ita in significando; et ideo verbum interius per prius habet rationem significationis, quam verbum exterius. *Qq. Disp.* Quaestio *De Verbo,* art. 1 ad 7.

non vi naturae sed ex conventis humanis significat pacem, et pulla vestis, quia ex usu et consuetudine significat luctum, signa sunt conventionalia. Sub hoc respectu nemo non videt conceptum esse signum naturale obiecti; vi enim naturae cum ipso connectitur, et, totus quantus est, eius expressione et repraesentatione informatur.

Si vero signum consideretur quoad nexum cum potentia cognoscitiva, tunc potest esse vel aliquid quod prius in se cognoscatur et ex sui cognitione potentiam ducat in cognitionem rei significatae; vel potest esse aliquid, quod, quin ante perceptum sit, immediate potentiam cognoscitivam transferat ad rem percipiendam, quae per ipsum significatur.

Prior modus significandi locum habet in omnibus signis exterioribus, quae prius, saltem natura, nobis obversantur ut obiecta, et deinde ex sui perceptione adducunt ad rem cogitandam, quam repraesentant. Sic accidit in fumo et vestigio, quae supra commemoravi; et in statua etiam, quae prius in se conspicitur et postea conspicientem ad exemplar, quod imitatur, cogitandum rapit. Haec dici possunt signa, *ex quibus* res perspicitur; vel etiam, si lubet, *signa obiectiva;* deque ipsis valet illa definitio, qua signum dici solet: *Id quod praeter speciem, quam ingerit sensui, alia facit in cognitionem venire.*

Alter modus significandi locum habet in signis internis, quae non se offerunt ut obiecta, sed informando potentiam, eam efficiunt cognoscentem in actu. Haec dici possunt *signa in quibus* res percipitur, vel etiam, si lubet, signa non *obiectiva* sed *formalia;* quia non repraesentant tamquam obiecta prius cognita, sed tamquam formae determinantes potentiam cognoscitivam ad perceptionem obiecti. Huiusmodi est conceptus mentis; cum enim intelligimus, non conceptum ipsum primo intelligimus, sed vi conceptus intelligimus rem, cuius conceptus est mentalis expressio. Quod patet tum experientia, tum ratione. Experientia quidem; nam quisque, dum intelligit, sentit profecto se non primum cogitare de conceptu, quem elicit, sed immediatae de re, cuius conceptum elicit. Ratione vero; quia mens cum primum operatur, afficitur cognitione non reflexa sed directa; conceptus autem, quicumque sit, nequit attingi nisi per cognitionem reflexam.

Haec fuse in ideologia tractanda sunt; sed iam nunc innuenda existimavimus, ut auditorum animi in re tanti momenti ab omni errandi periculo festine liberentur.

5. Conceptus, modo explicato, in omni actu mentis revera inest; ac proinde non solum in simplici apprehensione, sed etiam in iudicio et ratiocinatione. At prout ad simplicem apprehensionem spectat, peculiarem denominationem sortitur, videlicet *termini mentalis*. Cuius rei causam breviter exponam. Ratiocinium, ut quisque norit, iudiciis constat, quorum unum deducitur ex alio. Iudicia vero constant conceptibus, quorum affirmatione vel negatione coalescunt. Hinc tria, ut fusius suo loco dicemus, in quovis iudicio insunt: *subiectum* (scilicet id de quo aliquid affirmatur vel negatur), *praedicatum* (scilicet id quod de subiecto affirmatur vel negatur), et *copula* (scilicet ipsa affirmatio vel negatio). Sic in iudicio, quo dicitur *animus est simplex*, *animus* esset subiectum, *simplex* praedicatum, *est* copula. Iamvero *copula* instar habet formae constituentis iudicium; ipsaque remota, non supersunt nisi duae eius partes materiales, *subiectum* nempe et *praedicatum* seorsum inspecta, quae per se non praebent nisi duos meros conceptus. Quare hi conceptus sunt ultima elementa, in quae terminatur resolutio ratiocinii; ac proinde sub hoc respectu appellari iure possunt *termini* a terminando: quia ultra, quo progrediaris, nihil superest. Apponitur autem differentia *mentalis*, ut distinguantur a vocabulis quibus exterius significantur.

Age iam conceptus sub hoc tantum respectu, quo dicitur *terminus mentalis*, ad logicam considerationem pertinet, et merito definiri posset: *Id in quod resolvitur iudicium, tamquam in subiectum vel praedicatum.*

ARTICULUS II.

De voce terminum mentalem significante, quae terminus oralis dicitur.

6. Merus conceptus, seu terminus mentalis, internus animo est et per se nullo pacto ceteris hominibus innotescit. Ut foras erumpat, externo aliquo medio eget manifestari. Haec media esse possunt quidquid nobis suppetit ad indicandum

id quod mente revolvimus; ut sunt nutus, suspiria, gestus atque alia generis eiusdem. At inter omnia media, quibus a natura donati sumus ad conceptus nostros patefaciendos, vocabula praestant; quae proinde apud omnes gentes obtinuerunt principatum significandi quaecumque animo concipiuntur. Sub hoc respectu vocabula vere signa sunt; et id, quod primo significant, est conceptus. Etsi enim res ipsas etiam denotent, id tamen non faciunt nisi *mediate*, nimirum vi conceptuum quos proxime exprimunt. Hoc S. Thomas aperte docet multis in locis: « Intentio intellecta est similitudo concepta, quam voces exteriores significant (1). » Et alibi: « Vox significat immediate conceptum intellectus, quo mediante significat rem (2). » Et ratio est, quia idcirco verbis utimur, ut sensibilem quodammodo conceptum efficiamus, et suppleatur defectus, qui in ipso est ad rem cum aliis hominibus communicandam.

Nec obstat quod attentio audientis non ad conceptum loquentis, sed statim ad rem significatam feratur. Hoc enim idcirco accidit, quia vocabulum a loquente assumitur ad exprimendum conceptum obiective spectatum non subiective, nimirum ad exprimendum conceptum praecise quatenus signum est et ad rem significatam ordinem habet. Unde ultimus limes significationis vocabuli in re ipsa cernitur, quae significatur; licet ad illam vocabulum non pertingat, nisi quatenus significat proxime conceptum, cuius est instrumentum vel potius vestis. Audiens autem qui significationi vocabulorum attendit, ipsam totam celerrime percurrit; ac proinde non ad conceptum loquentis, sed ad rem tantum, quae vocabulo exprimitur, cogitationem transfert.

7. Vocabulum est signum non naturale sed conventionale: quicquid enim sit de origine sermonis, potueritne ab homine, facultate tantum loquendi instructo, primitus excogitari, an eius exercitium a Deo prorsus infundi debuerit (de qua re suo loco agemus); certum est nullum vocabulum cum determinato conceptu natura sua copulari. Hinc tanta apud homines linguarum diversitas; quae haud dubie nulla esset, si vocabula signa forent naturalia, quae videlicet singula cum

(1) *Contra Gentiles*, lib. IV, c. 11.
(2) *Qq. Disp.* Quaestio *De Personis divinis*, art. 5.

singulis conceptibus exprimendis vinculo naturae ligarentur. Quod enim a natura est, idem est apud omnes; cum contra licet facultas loquendi communis sit omnibus hominibus, nullum tamen peculiare vocabulum idem omnibus sonet.

8. Quemadmodum conceptus mentis est ultimum, in quod resolvitur ratiocinatio; sic vocabulum est ultimum elementum, in quod resolvitur argumentatio. Sub hoc respectu vocabulum quoque appellatur *terminus;* eique adiungitur epitheton *oralis*, ut secernatur a termino mentali, cuius est exterior manifestatio.

Huc ea etiam quadrant, quae supra de termino mentali diximus. Nam externa expressio ratiocinii vocatur argumentatio. Argumentatio porro constat propositionibus, quae sunt signa iudiciorum, et totidem vocibus constant, quot iudicii sunt elementa. Propositio igitur tres habet voces, quarum una indicat formam iudicii, nimirum affirmationem ipsam vel negationem, et duae reliquae referunt conceptus, qui affirmationi illi vel negationi subiiciuntur. Remota igitur voce, quae exprimit praedictam formam, non remanent nisi vocabula exprimentia solos conceptus, quae pariter *a terminando* nuncupari possunt *termini,* et proinde dicentur: *Id in quod resolvitur propositio, tanquam in subiectum vel praedicatum.*

Datur et alia ratio cur vocabula, quatenus propositionem respiciunt, appellantur termini. Ea est, quia cum sint propositionis extrema, quae per copulam invicem colligantur; propositionem ipsam quodammodo circumscribunt et quasi claudunt.

9. Hinc colliges, Logicam iure meritoque de terminis indiscriminatim plerumque loqui, quin ad eorum differentiam *mentalis* aut *oralis* respectum habeat. Nam utrique, ad significationem obiecti quod spectat, revera considerantur ut unum; siquidem oralis terminus aliud non est quidquam, nisi instrumentum termini mentalis, qui eo utitur ad se exterius manifestandum. Nonnulla tamen sunt, quae aut soli termino mentali aut soli termino orali conveniunt; de quibus statim dicemus, antequam de iis agamus quae utrique sunt communia.

ARTICULUS III.

De nonnulis partitionibus termini, quae vel mentalis vel oralis tantum sunt propriae.

10. Terminus mentalis communicat orali significationem tantum obiecti, quod repraesentat. Quare partitiones, quae mere ex obiecto significato procedunt, communes sunt utrique termino, cum mentali, tum orali. At nonnullae aliae sunt quae procedunt ex diverso modo quo obiectum cognitioni obversatur, aut ex diverso modo quo idem obiectum perfectius vel imperfectius attingitur. Hae vocabulo impertiri profecto, nequeunt. Contra sunt aliae quae procedunt ex modo diverso quo vocabulum respectu conceptus exprimendi se habet. Hae vicissim conceptui competere nullo modo possunt. De his omnibus aliquid delibemus.

11. Ac primo ratione modi, quo obiectum cognitioni obversatur, conceptus dividi potest in *intuitivum* et *abstractivum*. Conceptus intuitivus est, quo obiectum percipitur ut actu praesens. Sic apprehendo papyrum, quae mihi nunc versatur ob oculos; quae perceptio in ipsam obiecti praesentiam terminatur. Conceptus abstractivus est, quo obiectum percipitur, praecisa eius actuali praesentia; ut cum cogito papyrum abstracte et per se, vel aliud huiusmodi. Qua in re animadvertendum est praesentiam, de qua loquimur, intelligi pro physica et reali exsistentia, qua obiectum actu fruatur, et quae, prout talis est, terminet actum mentis percipientis. Res, quae, sic nobis obiicitur, praebet notitiam sui experimentalem et visionis; quae, ut ait S. Thomas, non addit simplici notitiae, nisi ipsam rei, quae percipitur, exsistentiam. *Scientia visionis addit supra simplicem notitiam aliquid, quod est extra genus notitiae, scilicet exsistentiam rei* (1). Et alibi: *Illa videri dicuntur, quae per se ipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem* (2). Contra, conceptus abstractivus praescindit a rei actuali exsistentia, et rem repraesentat ut natura est quaedam; undecumque ea notitia pro-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De Ideis*, art. 5 ad 8.
(2) *Summa theol.*, 2.ª 2.ae q. 1, art. 4.

venerit. Sic concipimus quidditates rerum, aut obiecta absentia vel futura, aut quae deductione ab aliqua causa aut universali principio derivantur. Immo hoc modo ipsa exsistentia vel actualis praesentia apprehendi potest, cum videlicet intelligimus rem aliquam exsistere et esse nobis praesentem, non quia praesentiam illam, ut actu exercitam, in se ipsa immediate contuemur, sed quia sic se habere obiectum ratiocinatione evincimus. Hoc modo exsistentiam divinam in hac vita concipimus. Non enim Deum in se actu nobis praesentem adspicimus (quod beatorum est), sed ad concipiendam eius actualem praesentiam ratiocinando devenimus.

Haec differentia spectat ad merum conceptum; nam vocabulum, quo conceptus significatur, obiectum quidem refert sed absolute, nulla videlicet connotatione modi quo potentiae cognoscitivae obversatur.

12. Ratione maioris vel minoris perfectionis, qua ex parte potentiae obiectum apprehenditur, conceptus dividi potest primo in *clarum* et *obscurum*. Conceptus clarus ille est, quo res ita percipitur, ut ab aliis rebus distinguatur; secus dicitur obscurus. Sic qui obiectum eminus aspiciens nequit discernere quid proprie sit, num homo, exempligratia, an brutum, an arbor, conceptum obscurum habere dicitur. Qui contra obiectum sic perciperet, ut ab aliis plane distingueret, conceptu claro frueretur.

Conceptus si ita obiectum discernit ab aliis, ut claram notitiam afferat etiam notarum, quae obiecto insunt, dicitur *distinctus;* sin contra, est *confusus*. Porro obiecti notae sunt characteres illi et quasi lineamenta, quibus res cognoscibilis est. Hae resultant ex elementis et gradibus realitatis, quibus obiectum in se constituitur. Exempligratia rationalitas et animalitas, quae in homine intelligi possunt ex eo, quod corpore organico et anima intellectiva constat, eius notae iure habentur. Unde conceptus, qui hominem repraesentaret ut animal rationale, animalitate et rationalitate clare intellectis, esset distinctus; qui vero hos characteres non clare referret, licet hominem ab aliis rebus utcumque secerneret, diceretur confusus.

Cum obiecti notae saepenumero aliis simplicioribus notis constent, in quas proinde resolvi possunt, donec ad simplicissimas deveniatur; conceptus potest esse magis vel minus

distinctus; et si omnes assignet, dicitur *completus* vel *adaequatus,* sin aliter, erit *incompletus* vel *inadaequatus.* Quod si agatur de notione vel quidditate simplicissima, quae per se ipsa est nota, vi cuius a suo contrario distinguitur (quemadmodum accidit de notione entis); tunc conceptus, hoc ipso quod sub illa simplicitate obiectum repraesentat, haberi debet ut distinctus.

Haec etiam differentia ita conceptui competit, ut vocabulo nequeat esse communis. Vocabulum enim exprimit obiectum nullo respectu habito ad eius claram vel distinctam perceptionem, quae tota se tenet ex parte mentis.

Denique recenseri posset conceptus *comprehensivus,* qui a mero *apprehensivo* in hoc differt, quod obiectum plenissime attingat, quantum eius intelligibilitas late patet. Huiusmodi notio rem respiceret non modo absolute sed etiam relative, sive ad ordinem totius universi, sive ad causas unde res procedit, sive ad effectus omnes possibiles, quibus gignendis est habilis. Sed obiecta sic cognoscere vires intelligentiae nostrae prorsus exsuperat.

13. Ad partiones vero quod attinet, quae termino tantum orali conveniunt, primo is dividi posset in *significantem* et *inanem.* Significans ille est qui aliquid reapse significat, ut *mons, templum, homo;* inanis contra, qui nihil significat, sed vel est sine mente sonus, ut *blitri,* vel offert aliquid omnino repugnans, ut *mons sinè valle.* Haec partitio competere nequit termino mentali; nam ore quidem proferre possumus vocabula omni significatione destituta, at impossibile est ut mente procudamus conceptum, quo nihil concipiatur, cum conceptus, totus quantusque est, similitudine obiecti constet.

Secundo, dividi potest terminus in *fixum* et *vagum.* Ille rem aliquam constanter significat, ut *templum;* hic modo hanc, modo aliam pro loquentis arbitratu. Ita se habet vocabulum *natura;* quod nunc ad spectabilem mundi machinam, nunc ad eius auctorem, nunc ad essentiam rei denotandam accipitur. Haec etiam partitio non competit nisi termino orali; nam conceptus mentis, formaliter saltem, determinatus semper est, cum non ex voluntate concipientis, sed vi naturae sit signum.

Tertio, dividitur terminus in *univocum* et *aequivocum*. Univocus est, qui iuxta eandem significationem, aequivocus vero, qui significatione diversa pluribus tribuitur. Exemplum primi generis est terminus *animal*, cum viventibus sensu praeditis denotandis applicatur; exemplum secundi generis est *gallus*, cum tum ad homines certae nationis, tum ad speciem quamdam volatilium innuendam adhibetur. Quare res aequivocis vocibus expressae definitae sunt ab Aristotele: *Ea quorum nomen commune est, ratio vero substantiae* (nimirum quidditatis) *diversa*. Hic terminus aequivocus locum praebet amphiboliis; quamquam enim sono vocis sit unus, significatione tamen est multiplex, nec uni mentis ideae sed pluribus respondet. Ex quo patet, hanc quoque partitionem non convenire termino mentali, sed tantum orali; nam vocabula, quia signa sunt voluntaria, subiici possunt diversis significationibus; at conceptus, cum sit signum naturale, nonnisi unam significationem patitur.

Adverte tamen, haec quae diximus intelligenda esse de *aequivocatione* proprie dicta, ea nimirum quae a veteribus appellabatur *aequivocatio a casu*, et locum habet cum res per terminum aequivocum significatae nullam omnino convenientiam aut proportionem retinent inter se, ratione cuius eadem nomenclatione donentur. Nam si agitur de aequivocis non puris, sed quae dicebantur *a consilio*, tunc non solum terminus oralis sed mentalis etiam dividi potest in *univocum* et *aequivocum*, seu melius *analogum*. At de his separatim dicendum est.

ARTICULUS IV.

De terminis analogis.

14. Terminus analogus medius est inter univocum et pure aequivocum; plura enim respicit in significatione nec omnino eadem, nec omnino diversa. Dividi autem potest in *analogum attributionis* et *analogum proportionis*. Analogus attributionis habetur, cum terminus aliquid principale significat, ex quo derivatur eadem denominatio in alia, quae ad illud aliquem ordinem retinent. Sic sanitas affirmatur de animali, de cibo et de colore. Dicitur enim animal sanum, ci-

bus sanus, color sanus. At nemo non videt sanitatem proprie et vere eam esse, quae in animante reperitur; ad cibum autem et colorem extendi, quatenus primus illam iuvat, secundus vero significat. Sed non hoc tantum modo analogus attributionis habetur. Saepe enim exinde etiam exsurgit, quod aliqua perfectio pluribus vere et proprie conveniat, sed uni quidem principaliter et per se, aliis vero per derivationem et intrinsecam dependentiam. Ad rem Suaresius: « Observandum est duobus modis, generatim loquendo, posse aliquam rem denominari per attributionem ad aliam. Unus est, quando forma denominans in uno extremo tantum est intrinsece, in aliis vero solum per extrinsecam habitudinem, quo modo dicitur sanum absolute de animali, et de medicina per attributionem ad animal. Alter est, quando forma denominans intrinsece est in utroque membro, quamvis in uno absolute, in alio vero per habitudinem ad aliud, ut ens dicitur de substantia et accidente: accidens enim non denominatur ens extrinsece ab entitate substantiae, sed a propria et intrinseca entitate, quae talis est ut tota consistat in quadam habitudine ad substantiam. Inter quos modos est multiplex differentia. Una est, quod in priori attributione nomen attribuitur secundario significato solum improprie et per metaphoram vel figuram aliam; in posteriori vero est propriissima, immo et potest esse essentialis denominatio, quia sumitur ab intrinseca forma vel a propria natura. Alia est, quod in priori attributione secundarium analogatum, ut tale est seu ut tali nomine significatur, definitur per primum analogatum, ita ut oporteat hoc poni in definitione illius. Si enim declarare velis quid sit medicinam esse sanam, dices esse effectricem vel conservatricem sanitatis animalis. Cum enim solum extrinsece denominetur talis ab illa forma, non potest, nisi per illam, definiri, ut notavit D. Thomas 1.ª p. q. 13, art. 6. At vero in posteriori attributione non est necesse ut posterius analogatum per principale definiatur, ut notavit Caietanus eodem art. 6, et D. Thomas, q. 2 de ver. a. 11. Et inductione probatur; quia, licet sapientia dicatur analogice de creata et increata, non tamen definitur sapientia creata per increatam; et accidens, licet in quantum accidens definiatur per substantiam, non tamen in quantum ens. Et ratio est quia forma, a qua sumitur illa denominatio, non est extrinseca sed intrin-

seca; quae, ut illo nomine significatur, cum abstracte et praecise significetur, non includit in sua ratione proprium modum, quo talis forma est in aliquo ex analogatis. Tertia differentia est quod in priori attributione non datur unus conceptus communis omnibus analogatis; quia forma, unde sumitur, in uno tantum est intrinsece ac proprie, in aliis per tropum et extrinsecam denominationem. At vero in posteriori attributione datur unus conceptus communis formalis et obiectivus; quia analogata proprie et intrinsece talia sunt, vereque in tali ratione conveniunt, quam potest mens abstracte seu praecise concipere uno conceptu omnibus communi. Ultima differentia addi potest, quod nomen analogum priori attributione non potest esse medium demonstrationis; quia medium demonstrationis non est medium ratione nominis, sed ratione conceptus. Unde cum nomen subordinatur pluribus conceptibus, non est unum medium sed multiplex et aequivocum. Secus vero est in posterioribus analogis propter contrariam rationem (1). »

15. Analogus proportionis dicetur, cum idem terminus pluribus rebus tribuitur propter convenientiam quamdam, quam illae habent respectu alicuius effectus aut in modo quo ad propria extrema referuntur. Sic risus tribuitur homini et virenti prato, quia utriusque aspectus hilaritatem ingenerat. Sic etiam intelligentia appellatur oculus animae, quia respectu obiecti detegendi idem officium praestat animae, quod oculus corpori. Cave tamen ne convenientiam, quam pro hac analogia quaerimus, cum perfecta paritate confundas. Ubi enim perfecta paritas viget, terminus non est analogus sed univocus. Exemplo sit ratio *dupli*, cum de denario respectu quinarii et de quaternario respectu binarii asseritur. Claret enim proportionem hanc eandem omnino esse in utroque casu, ac proinde *duplum* univoce de iis affirmari. At proportio, quae dat locum analogiae, talis esse debet, ut cum aliqua similitudine magnam admittat dissimilitudinem. Quocirca valde periculosum est in mera analogia argumentationem fundare; facile enim ex iis, in quibus duae res conveniunt, ad ea, in quibus illae non conveniunt, fit transgressio.

(1) *Metaphys. Disputationum*, t. 2, disput. XXVIII, sect. 3.

Hac analogia proportionis nituntur potissimum metaphorae, quibus terminus, alioquin univocus, a propria significatione removetur et ad alienam transfertur: ut cum bellator dicitur *leo* propter fortitudinem.

ARTICULUS V.

De aliis partitionibus, quae termino tum mentali tum orali sunt communes.

16. Promiscue terminus, sive mentalis sive oralis sit, dividi potest:

I. In *significantem per se*, et *significantem cum alio*. Prior, qui *categorematicus* a veteribus dicebatur, ille est, qui seorsum sumptus aliquid ita significat, ut sine consortio alterius possit esse subiectum vel praedicatum propositionis: ut *homo, albus* et cetera. Alter vero, qui *syncategorematicus* dicebatur, ille est, qui omnino indiget socio, et per se solum subiectum aut praedicatum propositionis esse nequit. Sic se habet adverbium *velociter*, particula copulativa *etiam*, relativum *qui* et alia eiusmodi.

II. In *concretum* et *abstractum*. Terminus abstractus est, qui formam aliquam vel eius carentiam, ut per se stantem et remoto subiecto exprimit, ut *albedo* vel *caecitas*. Terminus vero concretus est, qui subiectum ipsum, prout ea forma vel eius absentia afficitur, significat, ut *albus* vel *caecus*. Adverte tamen, hic nomine *formae* generatim intelligi determinationem quamcumque, qua subiectum affici concipitur, sive ab eo distincta sit realiter, sive secus. Quare triplex concretum distingui potest: *metaphysicum, physicum* et *logicum*, prout determinatio, de qua agitur, est aliquid intrinsecum et identicum cum ipsa realitate subiecti, aut aliquid a subiecto diversum, aut a sola mentis cogitatione resultans. Sic *homo*, respectu humanitatis, est concretum *metaphysicum: albus*, cum attribuitur parieti vel homini, est concretum *physicum*, quippe forma significata, nempe albedo, per se distinguitur a subiecto; *cognitum* est concretum *logicum;* nam ea denominatio sumitur ab actu mentis, quae obiectum attingit.

III. In *singularem* et *universalem*. Prior obiectum aliquod singulare et individuum, ex. gr. Petrum; alter obiectum universale, seu quod in pluribus singularibus inveniri potest, significat; quemadmodum esset *homo* in genere consideratus. Porro individuum apprehenditur vi notarum quarumdam sensibilium, quae *notae individuantes* vocantur, et a veteribus logicis, memoriam iuvandi gratia, comprehendebantur hoc versiculo:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

His enim aut omnibus aut aliquibus discernere solemus unum individuum ab alio. Universale contra apprehenditur, quando, notis his omnino neglectis, aliquid ita per se cogitatur, ut pluribus individuis singillatim competere possit.

IV. In *collectivum* et *distributivum*. Ille est, qui plura simul accepta repraesentat, ut *exercitus*. Hic vero, qui plura repraesentat sed disiuncta, ita ut singulis seorsum acceptis tribui possit, ut *miles*, qui de unoquoque individuorum exercitum componentium affirmatur. Nihilominus terminus collectivus sub diverso respectu potest considerari ut distributivus, quatenus nimirum omnibus collectionibus eiusdem rationis aptari potest. Sic *populus*, cum dici valeat de qualibet multitudine hominum iure communi sociata, sub hac consideratione terminus distributivus est; licet, quatenus refertur ad homines cuiusque multitudinis, est collectivus.

V. In *realem* et *logicum*. Illo obiectum extra cognitionem exsistens vel exsistendi capax; hoc obiectum repraesentatur, cui sola mentis consideratio, licet aliquo fundamento nixa, exsistentiam largitur. Sic terminus *homo* realis est, terminus *genus* vel *species* est logicus.

Aliter hi termini appellari solent etiam *primae intentionis* et *secundae intentionis*, quatenus exprimunt obiectum sub respectu quo mens *primo* fertur in ipsum, nempe per actum directum et quoad praedicata realia; vel exprimunt obiectum sub respectu quo mens *secundo* fertur in ipsum, nempe per actum reflexum et quoad praedicata logica.

VI. In *absolutum et connotativum*. Prior significat ad instar per se stantis seu substantiae, sive res, de qua agitur, vere substantia sit, ut *homo;* sive sit accidens acceptum sine

subiecto, ut *sapientia.* Secundus contra significat ad instar adiacentis, sive res vere adiaceat alteri, ut cum exprimitur accidens, sive nulli inhaereat sed sit substantia. Sic terminus *connotativus* erit non modo *sapiens, album* et similes; sed etiam *vivens, corporeus* et alii huiusmodi, etsi hae denominationes non ab accidentibus sed a quidditate substantiali desumantur.

Atque hic cavendum est ne terminus connotativus cum nomine adiectivo grammaticorum confundatur. Quamquam enim omne nomen adiectivum sit terminus connotativus; tamen dantur termini connotativi, qui non sunt nomina adiectiva, sed substantiva, ut *artifex, pictor,* et cetera.

VII. In *complexum* et *incomplexum.* Terminus complexus est, cuius partes fungi possunt seorsum munere termini, ut *homo doctus;* nam tam *homo* quam *doctus* potest esse subiectum vel praedicatum propositionis. Quandoque terminus complexus constare potest integra oratione, ut si dicas: Sol est astrum, quod accessu recessuque suo diem fert vel noctem. Contra terminus *incomplexus* est, qui pluribus non coalescit; licet quoad etymon fortasse derivetur a pluribus vocibus. Sic erit terminus incomplexus *philosophia, respublica* et consimiles.

VIII. Dividuntur termini in *connexos* et *disparatos.* Illi sunt, quorum unus alterum infert vel excludit, ut *homo* respectu *animalis,* et *luminosus* respectu *opaci.* Recte enim dicis: est homo, ergo est animal; est luminosum, ergo non est opacum. Contra vero si termini nec repugnantia nec deductione ligantur invicem, erunt disparati, ut *sapiens, niger,* et reliqui.

ARTICULUS VI.

De coordinatione terminorum universalium prout pertinent ad cognitionem reflexam, seu secundam intentionem.

17. Inter omnes acceptiones terminorum supra relatas peculiarem considerationem meretur illa, qua terminus dicitur universalis. Huius enim magnus est usus in scientiis, quae non singularia, quod facit historia, sed universalia obiecta

respiciunt. Et quoniam consideratio seu intentio mentis potest esse vel directa vel reflexa; sub duplici hoc respectu de universali dicendum est. Hic incipimus a secundo, qui logicae disciplinae vicinior est.

18. Obiectum universale concipitur abstractione mentis; quatenus, notis individuantibus neglectis, res aliqua vel eius quidditas per se consideratur. Sic concipimus hominem prout homo est, non consideratis peculiaribus characteribus, quibus personae singulae discriminantur. Sic etiam concipimus humanitatem, non cogitatis singularibus subiectis, in quibus illa reapse inest. Terminus prout huiusmodi obiectum universale designat, dividi solet in *transcendentem* et non *transcendentem*. Prior notionem universalem offert, quae omnibus omnino rebus competere potest. Talis est ratio entis: quidquid enim positive cogitatur, est ens; et quatenus ens est, apprehendi potest. Alter, seu terminus non transcendens, ille est, qui notionem praebet non omnibus omnino communem, sed unius tantum classis entium peculiarem, ut est *vivens, coloratus, quantus* et cetera. Iamvero notio transcendens si in respectu ad inferiora, quibus convenit, consideretur, non est *univoca*, sed tantum *analoga*. Nam ipsis non convenit in ratione prorsus eadem, sed partim eadem et partim diversa, quod analogi, ut dixi, proprium est. Et manifeste patet: siquidem, cum res omnes aliqua nota differre debeant inter se; ratio quae communis est omnibus, quae cogitari possint, notam etiam discriminantem afficit. Sic est de notione entis, quae universalitate sua omnia prorsus complectitur; ac proinde extra ipsam nihil inveniri potest, quod eam coarctet et definiat. Quare impossibile est ut ipsa univoce, seu sub ratione omnino eadem, conveniat suis inferioribus.

19. Transcendentibus terminis relictis, mentem vertamus ad terminos non *transcendentes*, qui ob contrariam causam competere possunt suis inferioribus univoce. Hi quinque modis referri possunt ad particularia, quae continent: nimirum ut *genus*, ut *differentia*, ut *species*, ut *proprium* seu *attributum*, ut *accidens*.

Ratio huius divisionis est, quia notio universalis univoca quinque tantum modis potest esse communis suis particularibus. Nam eiusmodi notio, vel exprimit *aliquid ad essentiam pertinens*, vel exprimit *aliquid essentiae superaddi-*

tum. Praeter haec duo membra, aliud tertium induci nequit. At vero si exprimit aliquid ad essentiam pertinens, id esse potest vel constitutivum totius essentiae, vel constitutivum partis determinabilis essentiae, vel constitutivum partis determinantis essentiae. Si primum, appellatur species; quae definiri potest: *Ratio communis, quae pluribus competit tamquam integrum constitutivum eorum essentiae.* Talis est notio *hominis* abstracta, seu *animalis rationalis,* respectu singulorum individuorum. Si secundum contingit, appellatur *genus;* quod definiri potest: *Ratio communis, quae pluribus competit tanquam pars determinabilis eorum essentiae.* Talis est notio *animalis* respectu hominum, quae certe eorum essentiam refert, sed indeterminate et prout cum brutorum natura convenit. Si tertium, habebitur *differentia;* quae definiri potest: *Ratio communis, quae pluribus competit tamquam pars determinans eorum essentiae.* Talis est notio *rationalis,* quae notioni *animalis* accedens, hominis naturam complet eamque a belluina distinguit.

Quod si consideretur secundum membrum primae divisionis, nempe notio universalis, quae referat aliquid essentiae superadditum; tunc id vel erit aliquid, quod ab ipsa essentia necessario dimanat, vel erit aliquid quod hunc nexum non servat, sed ex fortuitis procedit causis. Si primum, dicitur *proprium,* vel, si magis lubet, *attributum;* quod definiri potest: *Ratio communis, quae pluribus competit tanquam aliquid necessario resultans ex eorum essentia.* Talis est notio *risibilis* respectu hominis; quippe facultas ridendi non convenit nisi homini. Sin vero secundum obtineat, dicitur *accidens;* quod definiri potest: *Ratio communis, quae pluribus competit tamquam contingenter superveniens eorum essentiae.* Talis est ratio *albi* vel *docti* respectu hominis, quae cum eius essentia necessario non nectitur, sed inesse potest vel abesse. Qua in re diligenter notandum est, *accidens* in hoc sensu logico, non esse idem atque *accidens* in sensu metaphysico. Nam in sensu metaphysico dicitur accidens, quidquid distinguitur a substantia rei; ac proinde potest esse tale etiam *proprium* seu *attributum,* quotiescumque sit realitas pullulans ab essentia, non vero idem cum essentia. Contra in sensu logico non attenditur haec distinctio sed sola ratio connexionis, sub qua notio illa universalis

ad sua inferiora refertur. Quapropter *logice* non dicitur accidens, nisi id quod non sequitur necessario ex essentia.

20. Genus dividi potest in *supremum*, *intermedium* et *proximum;* quod etiam *infimum* vocant. Idem dic de *specie* et *differentia.* Genus supremum illud est, quod supra se non habet altius genus, sed solum notiones analogas. Talis est, ex. gr., ratio substantiae; utpote cum supra se non habeat, nisi notionem entis et ea quae cum ente convertuntur. Species suprema illa dicitur, quae supremo generi immediate succedit. Talis est notio *substantiae materialis* et *substantiae immaterialis,* seu corporis et spiritus, in quas primo dividitur supremum genus substantiae. Suprema differentia ea est, quae supremo generi copulata supremam speciem exhibet; cuiusmodi sunt notiones *materialis* et *immaterialis* in exemplo superius allato. Genus infimum est, quod infra se non habet aliud genus, sed tantum species, ut *animal* respectu hominis; nam respectu brutorum in alia genera dividitur, ut constat ex Zoologia. Species infima ea est, quae infra se nullam aliam speciem habet, sed tantum individua; ut notio *hominis.* Differentia *infima* seu *ultima,* quae etiam *specifica* dici solet, ea est, quae infimam speciem constituit; ut notio *rationalis,* quae adiecta notioni *animalis* ultimam speciem praebet respectu individuorum humanorum. Denique genus intermedium illud dicitur, quod tam supra quam infra se aliud genus habet, ut notio *corporei, viventis,* aliaeque. Itemque species intermediae illae erunt, quae alicui speciei subiiciuntur et in alias dividi possunt, ut *animal.* Idem dicito de differentiis, quae intermediae appellantur, cum ad intermedias species constituendas ordinem habeant.

Ex his inferes genus supremum nullo modo esse speciem, sicut e contra species infima nullo modo est genus. Genera vero intermedia possunt sub diverso respectu ut species et ut genera considerari. Nam quamvis, prout superius genus dividunt, dicantur species; tamen, prout in inferiores species dividuntur, merito vocantur genera.

ARTICULUS VII.

Quot assignari possint suprema rerum genera.

21. Solemne fuit philosophis notiones, quibus ornamur, ordine quodam instruere atque ad aliquas supremas classes revocare. Prae ceteris in id incubuerunt Aristoteles et Kant: quorum primus, intuens diversos aspectus, quibus ens inspici potest, decem categorias; alter, intuens diversas formas, quibus iudicium afficitur, duodecim numeravit. Nos, relicto Kant, cuius doctrinam suo loco refutabimus, partitionem Aristotelis in medium afferemus; quae, si alia dessent, vel ex hoc capite praestat, quod, ut par est, obiectivam non subiectivam considerationem sequitur.

Porro decem categoriae aristotelicae, quae latine a Boëthio *praedicamenta* nuncupata sunt, hae recensentur: substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus.

Substantia est ens per se stans, idest quod ad exsistendum non eget subiecto, cui inhaereat: ex. gr., *homo, lapis, arbor*. Dividitur ab Aristotele in substantiam primam et secundam; quatenus nomine substantiae primae intelligitur substantia singularis et individua; nomine substantiae secundae intelligitur substantia specifice considerata, ut *homo* abstracte sumptus. Porro substantia singularis dicitur *prima*, quia est primum subiectum omnis attributionis, cum omnia de ipsa enuntientur, ipsa autem de nulla re enuntiari possit. Vicissim substantia specifica vocatur *secunda*, quia enuntiatur de substantia prima; cum optime dici possit: *hoc individuum* (ex. gr. *Petrus) est homo.*

Quantitas est partium extensio, seu partium extra partes positio. Potissimum dividitur in continuam et discretam; prout partes, in quas substantia materialis extenditur, sint coniunctae inter se et una communi terminatione comprehensae, aut sint disiunctae et singulae propriis limitibus definitae.

Relatio est respectus unius ad aliud, ut paternitas vel dominium; et potest esse vel realis vel tantum logica, prout

ex entitate rei independenter a mente, vel ex sola mentis consideratione consurgit.

Qualitas est dispositio quaedam, qua substantia (eadem manens in ratione substantiae) ulterius perficitur aut determinatur. Tales sunt potentiae operativae, seu vires ad aliquid efficiendum idoneae; habitus, quibus potentiae ad sic vel aliter operandum inclinantur; alterationes, quibus substantia afficitur, et similia.

Actio est mutatio, quae fit in substantia ex eo, quod efficientiam suam exercet in actuali effectus productione. Exemplo sit calefacere, movere, secare, et ita de aliis.

Passio est mutatio, quae in subiecto inducitur ex actione causae efficientis; ut calefieri, moveri, secari, et cetera.

Ubi est determinatio ex loco in rem proveniens; ut esse hic vel alibi, supra vel infra, cominus vel eminus.

Quando est determinatio desumpta a tempore, ut cum res dicitur praeteriisse aut futura esse, aut tamdiu durasse vel esse in posterum duratura.

Situs est ordinatio partium in loco; ut cum quis dicitur sedere aut stare aut supinum esse.

Habitus est denominatio deducta ex indumentis vel armis vel ornamentis quibusque; ut cum quis dicitur catafractus, corona redimitus, aut purpura refulgens.

22. Ut perspicuum est, quodlibet horum generum constat praedicatis realibus, quae rei conveniunt, etiamsi omnis consideratio mentis removeatur, et quae ordinis gratia in classes distinctas distributa sunt. Esse autem adaequatam praedictam recensionem vel inde suadetur, quod nihil de re quapiam enuntiari potest, quod ad aliquam ex enumeratis seriebus non reducatur. Et sane, triplici modo aliquid praedicari potest de ente individuo et in natura rerum subsistente. Unus est, ut ad eius essentiam pertineat; alter, ut non pertineat quidem ad essentiam, sed eidem intrinsecus inhaereat; tertius, ut sumatur per denominationem a re extrinseca. Si primum contingit, habebitur categoria *substantiae*. Sin vero secundum, exsurgent categoriae *quantitatis*, *qualitatis* et *relationis*, prout praedicatum vel exhibet aliquid absolutum, resultans ex principio materiali, vel exhibet aliquid absolutum quidem sed resultans ex principio formali, vel exhibet

aliquid non absolutum sed tantum respectivum, quod licet oriatur a fundamento in re exsistente, rem tamen quodammodo transfert ad distinctum terminum. Denique si tertium membrum obtinet primae partitionis, tunc illud extrinsecum, a quo sumitur denominatio, vel est effectus, vel causa, vel mensura, vel nihil horum, sed merum adiacens. Si primum, habetur *actio;* quae tunc vero concipitur ut talis, cum effectus actu producitur. Si secundum, habetur *passio;* quae a causa inducitur in subiectum actioni obnoxium. Si tertium, habetur *quando,* vel *ubi,* vel *situs,* prout id, quod consideratur tamquam mensura, est vel tempus, vel locus absolute inspectus, vel locus consideratus in ordine ad dispositionem partium rei locatae. Si tandem quartum contingit, habebitur *habitus;* qui omnium maxime extrinsecus rem afficit.

23. Cuiusque categoriae attributa apte disponi debent inter se et ordinari, ita ut alia aliis subsint, et a maxime universali genere per congruas differentias ad infimas gradatim species descendatur. Exemplum de una tantum afferemus, ex qua iudicium fieri potest de reliquis. In categoria igitur substantiae universalissimum genus est ipsa notio substantiae abstracte sumpta. Haec statim dividitur in substantiam *incorpoream* et *corpoream,* nempe *spiritum* et *corpus.* Relicta substantia incorporea, quae in varias species angelorum dispertienda foret; secunda, nimirum corpus, dividi potest in *organicum* et *inorganicum.* Relicto corpore inorganico, quod in innumeras classes Mineralogia partitur; corpus organicum, seu vivens, denuo dividitur in *sensitivum* et *insensitivum* seu *mere vegetans.* Relicto corpore mere vegetante, quod in plures classes plantarum dispescitur, de quibus loquitur Botanica; corpus sensitivum seu animal iterum dividitur in *rationale* et *irrationale.* Relicto animante irrationali, quod obiectum constituit Zoologiae; sumitur animal rationale, quod non ulterius dividi potest nisi in individua, ac proinde infimam speciem constituit, quam Anthropologia aliaeque scientiae contemplantur. En ad imaginationem iuvandum huius processus figura:

SUBSTANTIA	Incorporea	
	Corporea	— CORPUS
CORPUS. . .	Inorganicum	
	Organicum	— VIVENS
VIVENS. . .	Insensitivum	
	Sensitivum	— ANIMAL
ANIMAL . .	Irrationale	
	Rationale	— HOMO
HOMO. . . .	Individuum A.	
	Individuum B.	
	etc.	

ARTICULUS VIII.

De nonnullis proprietatibus, quas termini in propositione suscipiunt.

24. Quae dicemus, termino orali potissimum competunt; licet aliqua ex his termino mentali etiam conveniant, quemadmodum ex ipsa expositione constabit.

Terminus per se ultimo tendit ad significandum obiectum. At haec eius vis significativa in propositione multifariam variari potest ac distingui, ex quo diversae proficiscuntur terminorum proprietates.

Harum prima est *suppositio,* quae nihil est aliud, quam usus termini pro aliquo suo peculiari significatu. Cum enim terminus multis significationibus, ut supra vidimus, subiiciatur, necesse est ut in propositione ad unam prae aliis determinetur. Sic terminus *homo,* exempligratia, sumi potest vel prout est vox quaedam, vel prout est signum; et quidem, si prout est signum, potest applicari ad denotandum obiectum vel in sensu proprio vel in sensu metaphorico; et, si in sensu proprio, potest ipsum exprimere vel prout est in statu reali vel prout est in statu logico, et ita de reliquis. At cum terminus in propositione usurpatur, hanc indifferentiam retinere nequit, sed ad certam significationem contrahatur necesse est. Propositio enim determinatum iudicium mentis exprimit; idque aliter praestare non potest, nisi in

determinato sensu adhibeat terminos quibus conflatur. Usus igitur termini sic contracti dicitur *suppositio,* cuius praecipuas species innuamus.

25. Primo, terminus vel pro sono tantum oris sumitur, ut si dicas: *animal est vox;* vel pro re a sono distincta, ut si dicas: *animal est substantia.* Illa appellatur *suppositio materialis,* haec *suppositio formalis.* Suppositio materialis denuo dividitur in *naturalem* et *artificiosam,* prout terminus, sumptus pro simplici oris sono, accipitur secundum id, quod ille sonus habet a natura (ut in allato exemplo *animal est vox),* vel secundum id quod ille sonus habet ab arte, ut si dicas: *animal est nomen tertiae declinationis.* Suppositio vero formalis potest esse vel *propria* vel *impropria,* prout terminus accipitur vel in significatione propria, ut si dicas: *Socrates fuit philosophus,* vel accipitur in significatione metaphorica, ut si dicas: *Socrates fuit parens philosophiae.*

Deinde, suppositio dividi potest in *realem* et *logicam.* Suppositio realis est usus termini pro sua significatione reali, seu prout designat obiectum quoad eius praedicata realia, ut si dicas: *homo est liber.* Contra, suppositio logica est usus termini pro sua significatione logica, seu prout denotat obiectum quoad eius praedicata intentionalia, quae illi conveniunt ex consideratione mentis, ut si dicas: *homo est species.*

Tertio, dividitur suppositio in *particularem* et *communem.* Particularis est usus termini pro aliquo vel aliquibus singularibus, quae complectitur, ut: *nonnulli homines sunt sapientes;* communis est usus termini pro omnibus individuis quae continet, ut *omnes homines sunt ratione praediti.* Quod si nullum signum adiicitur, ex quo dignoscatur utrum sumi debeat terminus in suppositione communi an particulari, suppositio dicitur *indeterminata,* ut in hac propositione: *homo est mendax.* Tunc ex materia, de qua agitur, determinatur suppositio. Si enim materia est necessaria, ut si dicas: *homo est rationalis,* intelligitur fieri suppositio communis; sin materia erit contingens, ut si dicas: *homo est albus,* intelligitur fieri suppositio particularis.

Quarto, suppositio potest esse *collectiva* vel *distributiva,* prout terminus communis, qui adhibetur, revocet omnia inferiora coniunctim vel separatim. Sic si dicas: *omnes Apo-*

stoli sunt duodecim, suppositio est collectiva; sin dicas: *Omnes Apostoli sunt honorandi,* suppositio est distributiva; quippe omnibus singulatim acceptis praedicatum competit.

Atque hic adverte suppositionem distributivam posse esse completam vel incompletam, prout revocet omnia prorsus inferiora usque ad individua, vel tantum revocet eorumdem species. Exempla sint pro primo casu: *Omnia animalia sunt naturae compositae,* quod verum est etiam de individuis; pro secundo: *Omnia animalia fuerunt in Arca Noë,* quod verum est de solis speciebus.

26. Alia terminorum proprietas est *appellatio;* quae nihil est aliud, nisi applicatio significationis unius termini ad rem significatam per alium. Sic si dicas: *Tullius fuit orator;* nemo non videt significationem *oratoris* in *Tullium* cadere, eique vi propositionis adhaerere. Sic etiam si dicas: *Pompeius fuit strenuus imperator;* significatio *strenui* applicatur *imperatori,* et quatenus hunc terminum afficit applicatur *Pompeio.* Iamvero terminus, cuius significatio applicatur, dicitur *appellans;* terminus, cui applicatur, dicitur *appellatus.* Ex quo facile inferes in omni propositione praedicatum semper esse *appellans,* subiectum contra semper esse *appellatum;* utrumque autem posse appellari a tertio termino, qui adiiciatur.

27. Si agitur de solo praedicato et subiecto, diligenter observandum est utrum praedicatum subiectum appellet, secundum id, quod subiectum significat in recto; an secundum id quod subiectum significat in obliquo. Prout enim alterutrum contingit, propositio potest esse vera vel falsa. Sic harum propositionum: *Christus est aeternus, Christus est passus,* ut prima sit vera, oportet subiectum appellari a praedicato secundum id, quod significat in *recto,* nimirum pro persona. Personae enim Christi competit aeternitas, non autem naturae humanae. Ut autem sit vera propositio secunda, necesse est subiectum a praedicato appellari secundum id quod significat in obliquo, nimirum pro natura humana, nam quoad hanc Christus est passus.

Quod si praedicatum inter et subiectum inseratur alius terminus, videndum est cui reapse is applicetur; exinde enim saepe veritas propositionis pendet. Sic, cum dicitur: *Alexander magnus fuit cultor philosophiae,* propositio vera

erit, si terminus *magnus* appellet subiectum; erit falsa, si appellet praedicatum. Alexander enim, etsi philosophiam coluerit, in ea tamen non excelluit sed in re militari.

28. Praeter duas commemoratas proprietates aliae solent a dialecticis afferri, quae nimis minutae fortassis videri possunt; utile tamen erit eas saltem innuere.

I. *Status;* qui definitur *acceptio termini pro tempore importato per copulam*, ut si dicas *mutus tacet.* Quae propositio ut vera sit, accipi debet *mutus* pro praesenti tempore, et sic intelligendum est eidem attribui praedicatum *tacens.*

II. Huic proprietati opponitur *ampliatio*, quae definitur *acceptio termini pro tempore diverso ab importato per copulam*, ut si dicas: *mutus loquitur;* in qua propositione *mutus* accipitur pro transacto, quatenus dicatur loqui non ille *qui est*, sed *qui fuit mutus*, secus propositio vera non esset.

III. *Restrictio;* quae definitur *contractio termini a maiori ad minorem significationem;* et fit praesertim per voces adiacentes, ut si dicas: *vir fortis non expavet mortem.* In qua propositione appositum *fortis* contrahit significationem *viri.*

IV. *Diminutio, alienatio* et *remotio.* Harum prima est *acceptio termini non quoad totum, sed quoad partem;* ut si dicas: *Aethiops est albus quoad dentes.* Secunda est *translatio termini a propria* ad *alienam significationem*, ut in illa sententia: *Vicit Leo de tribu Iuda;* ubi vox *leo* sumpta est metaphorice. Tertia est *avocatio termini ad significationem chimaericam*, quod fit unione duorum terminorum invicem pugnantium, ut si dicas: *creatura omnium entium perfectissima.* Ubi notandum est quod si ex termino *removente* conflетur propositio absoluta (cum quis diceret ex. gr. *creatura omnium entium perfectissima est maior Deo);* respondendum est negando suppositum, posse nimirum dari aut concipi rem, de qua agitur. Talis esset in casu creatura omnium entium perfectissima, quae merum figmentum est absolute repugnans. Sin vero formetur propositio conditionalis, ut cum dicitur ex. gr. *Si daretur creatura omnium entium perfectissima, esset maior Deo;* respondendum est distinguendo: esset tantum maior Deo, nego; esset simul

maior et minor, concedo. Qua responsione ostenditur antecedens allatae propositionis, propter terminum removentem, esse contradictorium, ac proinde ex eo sequi utramque contradictionis partem.

ARTICULUS IX.

De definitione.

29. Media, quibus maxime utimur non modo ad ambiguitatem vocabulorum vitandam, sed etiam ad ipsos conceptus clariores distinctioresque efficiendos, definitione et divisione continetur. Cum enim definimus aut dividimus, aciem attentionemque mentis ad notas obiecti simpliciores, partesque, quibus forte res coalescit, sensim conferimus; ex quo omnis perspicuitas et distinctio idearum emergit. Permultum igitur interest ut de his diligenter dicamus.

Atque ut a definitione exordiamur, ea sic nuncupata est a finiendo; propterea quod confiniis veluti quibusdam circumscribit ab aliisque discriminat obiectum, circa quod versatur. Generatim vero dici potest esse *explicatio, qua respondetur quaerenti quid aliquid sit.* Et quoniam quaeri potest aut quid sit nomen, aut quid sit res per nomen significata, definitio recte dispescitur in nominalem et realem. Illa nominis significationem, haec rei naturam et notionem declarat.

30. Porro definitio nominis fieri potest tripliciter. Primum, ex etymologia; cum nempe eius significatio per derivationem a primitivo vocabulo explicatur. Ut si dicas: *Theologia est sermo de Deo,* et *Angelus ab* ἀγγέλλειν *idem est ac nuntius.* Secundo, ex sensu, quem homines communiter usu et consuetudine vocabulo affigunt, ut si dicas: *Nomine plantae intelligitur corpus organicum, sola vegetandi virtute praeditum.* Tertio, ex sensu, quem ipse loquens libere determinat. Cum enim saepenumero intercidat ut vocabulum sit dubiae significationis nec ab omnibus in eodem sensu usurpetur; solet tunc initio sermonis declarari quid praecise per ipsum significatum velis. Sic si dicas: *Nomine spiritus intelligo substantiam simplicem et a materia in exsistendo independentem.* Hic tertius modus definitionis nominalis saepe adhibetur, praesertim in scientiis, et mirifice iuvat ad vitandas

lites et inutiles quaestiones; quae plerumque inde enascuntur, quod alio sensu accipiatur vocabulum a proferente et alio prorsus diverso ab audiente.

Modus tamen in hoc servandus est, ne vitiosa licentia voces, ab omnibus communiter receptae, in novam significationem pro libito torqueantur. Id enim non lites dirimeret, sed magnam perturbationem idearum induceret.

31. Realis definitio non nomen sed rem, quae nomine significatur, explicandam assumit. Eius tres sunt species: *descriptiva, genetica,* et *essentialis.*

Descriptiva rem explicat per suas causas, vel attributa, vel etiam accidentia, et multimodis efficitur. Primum enim potes nomini insistens aliquam exinde rei proprietatem derivare; ut si dicas: *Homo, dictus ab humo, ex qua sumptus est, corporea quaedam et corruptibilis natura est.* Hic definiendi modus utilis esse videtur ad definitionem rei inchoandam; at in se vera definitio dici nequit, utpote cum rem ab aliis non discriminet, nec quid ea sit satis aperiat.

Secundo, definitio descriptiva fieri potest per causam sive *efficientem,* ut si dicas: *Spiritus est substantia a Deo immediate creata;* sive *exemplarem,* ut si dicas: *Anima humana est creatura ad imaginem Dei condita;* sive *finalem,* ut si dicas: *Horologium est machina ad horas indicandas constructa.* Haec definitio perfecta non est, quia vel rem non satis discernit; vel, si discernit, non affert notas, quae intrinsecus rem constituunt, sed eam per externa tantum quaedam principia illustrat.

Tertio, fieri potest per attributum seu *proprium,* ut si dicas: *Homo est animal loquela praeditum.* Haec definitio, quando fit per veram proprietatem ex peculiari illa essentia manantem, rem secernit ab aliis; at eius intimam naturam non penetrat. Multo magis id dicendum est, si definitio fiat per mera accidentia rei; quae etsi tanto numero colligi possunt, ut sufficiant ad rem ab aliis secernendam; tamen nonnisi circa eius veluti superficiem versantur. Nihilominus ob scientiae humanae imperfectionem, saepe nonnisi hunc definiendi modum assequi possumus; eoque potissimum delectantur historiae naturalis cultores.

Definitio *genetica* ea dicitur, quae rem explicat per eius productionem vel genesim, ut si dicas: *Circulus est figura*

plana exsurgens ex motu lineae rectae sese circa fixam sui extremitatem vertentis. Differt autem a definitione, quae fit per causam efficientem, quia modum explicat, quo res progignitur, neglecta causa a quo motus procedit. Est definitio imperfecta; quia licet rem distinguat, tamen eius constitutiva aut nullo modo aut non plene commemorat. Ea tamen plerumque utuntur mathematici; sed ad definitionem essentialem veniamus.

Definitio *essentialis* dicitur illa, quae rem explicat per principia naturam ipsam intrinsecus constituentia, sive haec physica sint, ut si dicas: *Homo est substantia ex corpore organico et anima intellectiva resultans;* sive sint metaphysica, genus nimirum et differentia, ut si dicas: *Homo est animal rationale.* Haec postrema omnium perfectissima est, quia rem non modo plene secernit ab aliis, sed vel immediate vel saltem mediate notas omnes exhibet, quae ad eiusdem naturam pertinent. Unde ad declarandos et distinguendos conceptus reliquis definitionibus antecellit. Et sane res nequit melius declarari, quam si brevissime ponatur ob oculos quid eius natura habet simile aut dissimile cum ceteris rebus, ab ea distinctis. Id vero optime efficit definitio, de qua loquimur. Nam genus proximum, cum implicite contineat omnia superiora genera; summatim offert omnes similitudines, in quibus natura definienda cum aliis convenit. Sic in definitione: *Homo est animal rationale,* conceptus *animal,* cum complectatur notionem *viventis, corporei, substantiae,* uno ictu repraesentat ea, quae communia sunt homini cum bruto, cum planta, cum mineralibus. Contra differentia, si ultima est, cum discrimen exprimat, in quo res definienda a proximo genere separatur; exprimit consequenter dissimilitudinem eius ab omnibus omnino affinibus rebus, quibuscum confundi poterat. Sic in superiore exemplo conceptus *rationalis,* cum hominem secernat a *bruto;* ab iis secernit rebus, quae omnium proxime ad illum accedunt. Praeterea, cum differentia specifica ipsam rei naturam attingat, in radice veluti offert omnia peculiaria attributa quae inde pullulant. Sic notio *rationalis* fontem praebet ex quo derivatur libertas, immortalitas animae, facultas loquendi et ceterae proprietates, quibus natura hominis, prout talis est, decoratur. Unde revera definitio essentialis, per genus

et differentiam, menti obiicit brevi formula quidquid pertinet ad rem, de qua agitur; et iure medium dicitur omnium demonstrationum, seu ratiocinationum, quae ad rem funditus explicandum instituuntur.

32. Collige hinc primo magnum esse discrimen inter definitionem realem et nominalem. Definitio enim nominalis in sola vocis significatione explananda moratur; cum contra definitio realis ipsam rem nominatam et conceptam attingat, eiusque vel naturam, vel causam, vel genesim, vel saltem proprietates exponat. Ex quo fit ut definitio nominalis arbitrio loquentis subiici possit; definitio realis non item. Nam cum nomina indifferentia per se sint ad rem unam aut aliam significandam; poterit sane quis, modo id moneat, ea pro libito ad obiectum quodcumque significandum inflectere. Et quamquam, si a communi vocis sensu absque valida ratione recedat, ineptum se prodat ac temerarium; tamen absolute impediendus non est neque inutili litigio fatigandus. At contra nemini definitiones reales ad arbitrium compingere licet; sed eae rebus et ideis, quae certe a nostra voluntate non pendent, consonae sint oportet. Quare si definitio realis proprias obiecti notas non referat, aut alio peccet vitio; acceptari minime potest, sed refutanda omnino est.

Collige secundo non omnia definiri posse, sed quaedam esse, quae luce sua menti patent ita, ut non egeant ulterius collustrari. Quod nisi esset, in circulo vitioso mens versaretur, aut in seriem infinitam rerum definiendarum abiret. In utroque casu principio prorsus privaretur, ad lucem afferendam idoneo. Profecto in omni motu necesse est ut detur aliquid immobile, quod motore non egeat et ad alia movenda sit efficax. Secus, si omnia ab alio moveri deberent, a quo motus inciperet, nihil esset. Pari modo si res omnes et conceptus definitione indigerent, nulla definitio possibilis foret. Collucent itaque menti nostrae notiones aliquae, quae sine definitione per se satis superque intelliguntur. Huiusmodi sunt notiones universalissimae et maxime simplices, aut quae immediata experientia, sive interna sive externa, colliguntur. Sic nemo opus habet ut ipsi explicetur quid sit *ens*, aut quid sit *unum*, aut quid sit *cogitare*, aut *extensum esse*, aut *de loco in locum transferri*.

33. Quaeres: admissa hac veritate, quod non omnia definiri possint vel egeant, poteruntne ipsae notiones per se clarae, non ex indigentia sed ut melius percipiantur, definitione aliqua iuvari ex aliis notionibus iam receptis? Respondemus: si de definitione essentiali sermo est, ea non omnibus in hoc etiam sensu convenire potest. Nam conceptus transcendentales non modo nullum genus, sed nullam etiam notionem analogam supra se habent, quae possit aliqua quasi differentia determinari. Itemque, cum agitur de rebus simplicissimis, hae seipsis constant; ac proinde per principia intrinsecus constituentia nequeunt declarari. Nihilominus pro materiae diversitate, poterunt quandoque etiam de rebus per se notis afferri definitiones vel geneticae vel descriptivae. Sic explicare potes internas animi affectiones ex obiecto, circa quod versatur, aut ex modo quo gignuntur; et potes, si placet, declarare *ens* per hoc quod sit id quod a mente positive concipitur, aut id quod differt a nihilo.

ARTICULUS X.

Definitionis leges.

34. I. *Definitio clarior sit definito.* Hinc cum definitur nomen, notiora vocabula; cum vero definitur res, notiores conceptus sunt afferendi. Quo in loco, ne turpiter decipiaris, probe abverte, notiores conceptus intelligi, quatenus antea sint declarati; licet per se abstractiores sint atque a vulgari intelligentia remotiores. Definitio enim realis, praesertim si non sit descriptiva sed essentialis, ad ipsa rei intima principia progreditur; quae plerumque non sunt nota vulgo, sed tantum philosophis. Unde mirum esse non debet si vocibus constet et ideis, quae a rudibus et indoctis vix aut ne vix quidem percipiuntur.

II. *Definitio sit per genus proximum et differentiam ultimam.* Id enim necesse est, ut res ab aliis distinguatur, et ut notae omnes, quibus res constat, implicite saltem exhibeantur. Etenim si differentia ultima omittitur, species, ad quam vere obiectum pertinet, non exhibetur; si autem pro genere proximo remotum affertur, notio quae exsurget, aliqua obiecti nota carebit. Quod si definitio non fiat per principia

metaphysica, haec lex in tantum servabitur, in quantum, quoad fieri potest, notiones seligantur quae generis proximi et differentiae ultimae vices gerant.

III. *In definitione nihil redundet, nihil desideretur.* Secus aut rei propria notio non datur, aut dos brevitatis, quae maxime in artificio logico fulgere debet, exulabit. Ut autem nihil desiderari perspicias, vide an definitio cum definito, et vicissim definitum cum definitione converti possit. Nihil autem redundare intelliges, si qualibet ex notis, quas definitio complectitur, detracta, conversio praedicta effici nequeat. Ea enim definitio est propria tantum rei definitae, quae illi soli et individuis ab ipsa comprehensis quadrat.

IV. *Res definienda, quoad respectum, sub quo definitur, definitionem minime ingrediatur.* Secus circulus vitiosus inducitur, atque ignotum per ignotum explicatur.

V. *Definitio constare debet terminis propriis, non metaphoricis.* Ratio est, quia licet metaphora, postquam intellecta sit res, utilitatem habet ad ostendendas eiusdem analogias; tamen hoc ipso, quod notionem aliunde translatam importat, primum rei et genuinum conceptum perturbat. Quae perturbatio deinde diffunditur in totam ratiocinationem, quae a definitione illa derivatur.

35. Quod si rationem aliquam postulas, qua definitiones inquiri possint, consule Aristotelem in secundo libro *Posteriorum,* capite octavo; ubi fuse id tractatur. Nonnulla tamen inde decerpam. Duplex regula, ait ille, servari potest ad venandam definitionem. Una est, ut considerato genere ad quod res pertinet, tot praedicata ex eo sumantur, quot sufficiant ad ipsam secernendam ab aliis. Id fiet, si summa confletur talium attributorum, quae licet separatim conveniant aliis etiam rebus, coniunctim tamen non conveniunt, nisi rei soli de qua agitur. Sic ex. gr. definiendum sit ternarium. Procul dubio, vides ternarium esse numerum. Deinde esse numerum imparem. Denuo esse numerum in imparibus primum; et quidem sub utroque respectu, quo numerus potest esse primus, nimirum quatenus non mensuretur ullo numero saepius repetito sed sola unitate, et non componatur ex aliis numeris. Considera porro, num possint necne hae omnes proprietates competere alteri numero. Binarium est quidem numerus *primus* utroque modo supra enuntiato, sed est par. Quinarium

est impar, sed est primum uno tantum ex illis modis; nam, licet non mensuretur ullo numero saepius repetito, tamen coalescit ex aliis numeris, nempe ex ternario et binario simul sumptis. Idem dic a fortiori de altioribus numeris. Ergo tria illa praedicata non conveniunt nisi ternario. Ternarium igitur optime definiri potest: *Numerus impar, primus utroque primatus modo.*

Ut autem praedicata, de quibus loquimur, reperiantur; oportet genus supremum, ad quod res pertinet, gradatim dividere advertendo simul an res, de qua definitio quaeritur, classem, ad quam devenio, reapse constituat. Ubi id contingat, mens applicetur ad considerandam rationem qua illa classis a propinquis classibus distinguatur; eaque ratio erit differentia specifica, notiones praeviae genus proximum offerent.

36. Regula adducta venatur definitiones per descensum; alia est, quae idem facit per ascensum. Hoc obtinet, si res definienda comparetur cum aliis rebus, sibi maxime propinquis; et simul diligenter circumspiciatur quid sit illud, in quo cum iis conveniat, et quid illud in quo ab iisdem discrepet. Ratio, quae exhibet discrimen, erit differentia specifica; ratio, quae exhibet communem notionem, erit genus proximum. Sic in homine definiendo, si eius fiat comparatio cum brutis, videbitur certe non aliunde discrimen exsurgere, nisi ex vi ratiocinandi; cum in ceteris sit consensus. Quod si definienda sit notio, in qua res diversarum specierum immo diversorum generum conveniunt inter se, laboriosior erit processus; cum difficile admodum sit segregare convenientiam communem a differentiis, quibus illa afficitur in subiectis dissimilibus. Iuvabit tamen in eo casu inductio quaedam, qua in singulis inferioribus exploretur quid in ipsis rationem illam constituat, ut sic gradus fiat ad commune elementum abstrahendum. Sic qui *acutum*, ut tale est, definire vellet, diligenter indagaturus esset quid *acutum* constituat in voce, quid in figura, atque utrinque ex mutua comparatione eandem rationem abstractam conabitur eruere.

ARTICULUS XI.

De divisione.

37. Mentis humanae imbecillitatis est non posse plerumque res complexas uno intuitu distincte percipere. Huic defectui divisio opitulatur, quae nihil est aliud nisi *totius in suas partes distributio*. Porro appellatur *totum* quidquid unitate sic gaudet, ut in plura resolvi possit; eaque plura, in quae totum resolvitur, *partes* nuncupantur. Hinc iuxta diversitatem totius diversitas oritur divisionis. Iam vero totum triplex est: *actuale, potestativum, modale.*

38. Totum actuale illud dicitur, quod partibus actu constat, et potest esse logicum, metaphysicum et physicum. Erit logicum, si partibus constat a sola mentis consideratione discretis, ut cum iudicium cogitamus quasi coalescens ex copula et terminis, cum revera non sit nisi simplex mentis actus. Erit metaphysicum, si partes eius sint formaliter diversae, ut varii gradus entitatis, ex. gr. substantiae, viventis, sentientis, rationalis, qui in homine virtualiter differunt et per abstractionem mentis invicem separantur. Erit physicum, si partes eius reales sunt et invicem separabiles; ut arbor ex. gr. quae dividi potest in radicem et truncum et ramos.

39. Hoc ultimum, nempe totum physicum, triplicis generis esse potest; nimirum essentiale, integrale, accidentale. Totum essentiale est, quod partibus constat ad essentiam rei pertinentibus, ut homo ex anima et corpore coalescens. Totum integrale est, quod partibus constat non ad essentiam, sed ad quantitatem spectantibus, ut homo respectu membrorum. Quae quidem partes possunt esse homogeneae vel heterogeneae, prout similis aut dissimilis structurae sint et ad easdem vel diversas operationes destinatae. Denique totum accidentale est, quod partibus constat non ita unitis inter se, ut unum naturale individuum conflent, sed vel propinquitate, vel ordine, vel mutua actione, invicem copulentur. Eiusmodi sunt ex. gr. acervus lapidum, exercitus militum, machina quaevis arte confecta.

40. Totum potestativum duplex est. Primo illud, quod consideratur ut totum, non quatenus partes habet, sed quatenus

pluribus facultatibus ornatur, distinctis inter se. Talis est anima; quae licet sit simplex, tamen diversas habet vires operandi. Sic dici solet: animae alia pars est intellectiva, alia sensitiva; alia est superior, alia inferior. Secundo, totum potestativum illud appellatur, quod partes non habet actu sed potentia tantum. Talis est notio quaeque universalis, quoad inferiora quae complectitur. Haec enim notio etsi, ut simplicior, a particularibus, quae determinata sunt magis, considerandis avocetur; tamen accessu aliarum notarum contrahi potest, atque in varias species, veluti in totidem partes, dispesci. Sic dicere potes: *Animal dividitur in hominem et brutum.* At cum haec non tam sit divisio, quam coarctatio et determinatio alicuius notionis, indeterminate conceptae per abstractionem mentis; efficitur hinc ut totum huiusmodi possit directe affirmari de partibus. Sic iure dices: *Homo est animal;* quod idem sonat ac si diceres: *Homo est species quaedam animantium.*

41. Denique totum modale est illud, quod divisioni est obnoxium ratione diversorum accidentium aut modorum quibuscum coniungi potest. Sic subiectum dividitur ratione qualitatum, quibus afficitur, ut corpus in *luminosum* et *opacum.* Sic etiam viceversa qualitates dividuntur ratione diversorum subiectorum, quibus inhaerent, ut *candor* in *niveum* et *eburneum.* Sic denique qualitates dispesci possunt ratione aliarum qualitatum, quae ipsas comitantur, ut si *album* dividas in *amarum* et *dulce.*

Divisionis leges.

42. I. *Divisio sit brevis.* Secus non distinctio et ordo idearum, sed confusio potius et perturbatio oriretur. Unde in primariis tantum et immediatis membris enumerandis subsistat; seu in iis partibus distribuendis, quae proxime totum constituunt. Subdivisione autem, si opus est, uti poterit, qua singula membra iterum in ea, quibus constant, dispertiantur. Modus autem etiam in hoc servetur oportet, ne ad minimas omnino partes dividendo descendas. Ut enim optime ait Seneca, simile confuso est quidquid usque ad pulverem sectum est.

II. *Divisio sit adaequata.* Idest non peccet neque excessu neque defectu. Peccaret excessu, si membrum intersereret, ad totum, quod dividitur, minime pertinens. Peccaret defectu, si contra membrum aliquod omitteret. Adaequatam autem esse divisionem apparebit, si ipsa cum toto, et vicissim totum cum ipsa converti possit.

III. *Fiat per membra se invicem excludentia.* Haec regula prohibet ne in divisione pars aliqua recenseatur, quae includitur in altera parte; ut si quis terram divideret in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Galliam. Gallia enim in Europa continetur.

IV. *Quamlibet partem dividentem excedat.* Secus pars non esset pars, sed cum toto confunderetur. Sic vitiosa est divisio, qua diceretur Animal dividi in sensitivum et rationale: sensitivum enim aeque extenditur atque animal.

CAPUT SECUNDUM

DE IUDICIO.

43. Diximus de simplici apprehensione; nunc de iudicio, in quo secunda operatio cogitantis animi sita est. Et quoniam iudicium exprimitur per propositionem; de hac quoque sermonem habebimus. Ne autem frustra eadem bis repetamus; postquam separatis articulis natura iudicii et natura propositionis enucleata fuerit, de posteriore hac tantum, quatenus iudicii signum est, tractationem persequemur; quae enim de ipsa sic inspecta dicentur, ad rem significatam facile transferri poterunt.

ARTICULUS I.

De natura iudicii.

44. Iudicium ea animi operatio est, quae duabus ideis inter se comparatis, eas aut affirmatione coniungit aut negatione separat. In hac cognoscitiva compositione aut divisione discrimen iudicii a simplici rei conceptu consistit. Quare ad iudicium habendum mera idearum comparatio haud satis est; sed plane oportet ut ideis, quae mutuo conferuntur, assensus

aliquis vel dissensus accedat. Etsi enim idearum clara perceptio et mutua comparatio ante requiritur, eamque iudicium fere semper consequitur (adeo cum ipsa colligatum est et velut implicitum); contingit tamen interdum ut plures ideae inter se comparentur, quin iudicium ullum proferatur, propterea quod earumdem nexum non deprehendimus. Hinc nonnulla proficiscuntur, quae ad iudicii naturam declarandam optima sunt.

45. Ac primo illud dubitandum minime est, iudicium esse actum, in quo proprie reperitur cognitio. Cognitio enim plena et perfecta illa dicenda est, in qua proprie repraesentatur obiectum sicuti est. Id autem non efficitur, nisi per iudicium; siquidem per simplicem apprehensionem obiectum sistitur tantum in mente, quin appareat quid de ipso sentiendum sit. Praeterea nonnisi per iudicium pronuntiatur obiectum esse id, quod est, aut non esse id, quod non est. Unde, quemadmodum demonstrandum erit in secunda Logicae parte, veritas aut falsitas proprie in iudicio inest; per ipsum enim proprie cognitio consonat aut dissonat a re, quae cognoscenti fit praesens.

46. Hinc oritur secundo ut iudicium sit revera actus intellectus, non voluntatis. Quod militat praecipue contra Cartesium, qui asseruit affirmationem et negationem diversos esse volendi modos (1). Sed manifeste deceptus est; nam actus cognoscendi ad intellectum pertinent; voluntas autem non in cognoscendo sed in appetendo moratur, et pro obiecto habet non verum sed bonum. « Una duarum operationum intellectus, ait S. Thomas, est indivisibilium intelligentia, in quantum scilicet intellectus intelligit absolute cuiusque rei quidditatem, sive essentiam per se ipsam, puta quid est homo, vel quid est album, vel quid aliud huiusmodi. Alia vero operatio intellectus est, secundum quod huiusmodi simplicia concepta simul componit et dividit (2). »

47. Quod si causam quaeris, cur intellectus noster duplici actu, apprehensione nimirum et iudicio, non vero uno et simplici, in plenam rei perceptionem veniat; haec tibi suppeditatur ab ipsa natura animi. Animus enim humanus, ut acute

(1) *Prima parte Principiorum*, §. 32.
(2) In lib. I. *Perihermenias*, lect. 3.

S. Thomas observat, cum in operando exeat de potentia in actum, imitatur quodammodo conditionem rerum generabilium, quae non illico sed paulatim perficiuntur (1). Quare eius actio successioni subiecta est; quatenus primo per meram apprehensionem inchoatur, deinde transitu quodam et quasi motu ad comparationem rerum apprehensarum procedit, donec per iudicium ad sui complementum adducatur. Sic vita in planta a prima seminis alteratione usque ad plenam germinationem per gradus absolvitur.

48. Tertio, etsi iudicium per se sit actus simplex, tamen ratione materiae, circa quam versatur, et modi quo in nobis gignitur, est actus complexus. Nam in convenientia vel discrepantia duarum idearum cogitanda consistit; ad quod duabus ideis mutuo comparandis mens pervenit. Id vero materialem quamdam obiecti compositionem importat.

Diximus compositionem materialem; quia obiectum iudicii formaliter inspectum est simplex. Non enim est aliud, nisi nexus et habitudo mutua conceptuum, qui invicem conferuntur. Intellectus enim triplici modo se habere potest, cum duas ideas contemplatur: videlicet aut perspicit eas inter se convenire, aut perspicit eas inter se dissidere, aut neutrum perspicit. Si hoc tertium acciderit, iudicium nullum habetur, sed mens adhuc in simplici apprehensione moratur. Sin primum vel alterum eveniat, hoc ipso iudicium profertur affirmans aut negans; prout congruentia aut discrepantia illarum idearum patuerit.

49. Hinc colliges quarto, assensum vel dissensum mentis non differre a iudicio; iudicium autem perspicientiam semper aliquam includere convenientiae vel discrepantiae terminorum, qui mutuo comparantur. Prima pars patet: nam assensus vel dissensus mentis, nihil est aliud quam affirmatio aut negatio; mens autem non aliter affirmat aut negat, nisi quatenus idealiter exprimit, ea quae ante concepit, invicem convenire aut invicem discrepare; quae sane expressio iudicium constituit. Atque hinc patet secunda pars; siquidem haec convenientia vel discrepantia exprimi a mente non posset, nisi ei praeluceret, fieretque cospicua in obiectis ante apprehensis.

(1) Vide *Summ. theol.* I. p. q. 85, art. 3.

50. Dices: si ita esset, non darentur iudicia libera; quae tamen dari indubium est, ut in opinione et fide.

Respondeo: etiam iudicia libera, seu quae non proferuntur sine concursu voluntatis, quae mentem ad assensum inflectat, fundantur suo modo in convenientia terminorum a nobis perspecta. Nam opinio subaudit perspicientiam rationum probabilium, quibus nititur; fides subaudit perspicientiam nexus inter rem credendam et auctoritatem testantis. Unde S. Thomas, de supernaturali fide loquens, ait: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est interiori instinctu Dei invitantis (1). »

51. Quando perspicientia, de qua loquimur, exsurgit ex mera comparatione duorum conceptuum; iudicium quod consequitur, et quod secundam operationem mentis constituit, vocari solet immediatum; ut distinguatur a iudicio mediato, quod ad tertiam mentis operationem, seu ad ratiocinium, spectat. Cum vero nexus inter eos conceptus fundari possit vel in ipsa essentia rei, quae in illis relucet, vel in facto tantum et experientia, quae de obiecto habetur; nascitur hinc ut iudicium bifariam dispertiatur, in iudicium videlicet *a priori* et in iudicium *a posteriori*. Sic cum dicis, *totum maius esse sua parte,* aut *non dari effectum sine causa,* iudicia profers *a priori;* cum contra dicis, *corpora esse gravia,* aut *lunam non semper lucere,* iudicia profers *a posteriori*. Prima vocantur etiam *necessaria, absoluta, rationalia, metaphysica;* secunda vero, *contingentia, hypothetica, empirica, physica*. Sed de his alibi disserendum erit.

ARTICULUS II.

De oratione eiusque partibus.

52. Antequam de propositione dicamus, quae oratio quaedam est, oportet ut de ipsa oratione aliquid generatim explicemus.

Oratio differt a vocabulis, ut totum a partibus; est enim complexus quidam vocabulorum, aliquam animi sententiam

(1) *Summa theol.* 2.ª 2.ae q. II, art. 9 ad 3.

referens. Dispesci autem solet in *perfectam* et *imperfectam*. Oratio imperfecta ea est, quae sententiam non integram sed incompletam denotat; ac proinde suspensum relinquit auditorem et aliud expectantem. Huiusmodi sunt ex. gr. *Quamquam laudabile sit; — Si corpora non moverentur; — Tullius dum esset consul*, et cetera. Hae orationes valde affines sunt terminis complexis; a quibus in hoc tantum differre videntur, quod non merae partis rationem habeant, ut termini; sed revera sint totum aliquod, licet non completum.

Oratio perfecta ea est, quae integrum sensum in audiente gignit, ut si dicas: *Deus est immortalis;* aut: *Tullius dum esset consul, rempublicam ab insidiis Catilinae liberavit.* Huius quinque species recensentur a S. Thomas: *Enuntiativa, deprecativa, impetrativa, interrogativa* et *vocativa.* Cuius partitionis hanc is rationem assignat: « Quia intellectus vel ratio non solum concipit in se ipso veritatem rei, sed etiam ad eius officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare, ideo necesse fuit quod sicut per enunciativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquae aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet *vocativa* oratio. Secundo, ad respondendum voce; et ad hoc pertinet *interrogativa.* Tertio, ad exequendum in opere; et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio *imperativa,* quantum autem ad superiores, oratio *deprecativa,* ad quam reducitur oratio *optativa*, quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istae quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem; inde est quod in nulla earum invenitur verum et falsum, sed solum in *enunciativa*, quae significat id quod de rebus concipitur. Et inde est quod omnes modi orationis, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enunciatione continentur; quam quidam dicunt *indicativam* vel *suppositivam; dubitativa* autem ad *interrogativam* reducitur (1). »

(1) In lib. I. *Perihermenias,* lect. 7.

Exempla harum orationum haec sunt. Pro enutiativa: *Deus est summum bonum.* Pro vocativa: *O iuvenes studiosi;* non enim sufficit unum nomen vocativi casus, quippe oratio pluribus vocibus constare debet. Pro interrogativa: *Quid animo reputatis?* Pro imperativa: *Logicae praeceptis diligenter attendite.* Pro deprecativa: *Rogo vos ne otio indulgeatis.* Pro optativa (quae, ut diximus, ad deprecativam reducitur): *Utinam omnes discipuli eadem diligentia utantur.* Pro dubitativa (quae ad interrogativam refertur): *Forsitan non omnes contenti estis.*

53. Partes orationis duae potissimum sunt, *nomen* et *verbum,* idque duplici patet argumento. Primo, quia dummodo nomen et verbum adsit, oratio conflari potest; quamvis ceterae partes orationis desint. Deinde, quia huiusmodi partes ex. gr. pronomen, adverbium, coniunctio, etc. non aliud officium praestant, quam aut revocent, aut temperent, aut afficiant, aut connectant nomina et verba, quibus oratio conficitur. Unde sunt potius nexus et adiumenta, quam verae partes orationis; cuius respectu ita se habent, sicut clavi et pix respectu navis.

54. Nomen in hoc differt a verbo, quod rem significat sine tempore, cum contra verbum tempus includat. Sic lectio significat actionem legendi, non prout exercetur nunc aut alias, sed prout actio est per se et veluti res quaedam. Contra *lego* significat eamdem actionem sed in ipso exercitio, quo fit; ac proinde tanquam fluentem secundum motum, cuius mensura est tempus. Apposite Silvester Maurus: « Significare cum tempore non est solum significare tempus, sed est significare rem aut actionem ut exsistentem et mensuratam tempore praeterito, praesenti, aut futuro, respectu prolationis vocis. Ideo haec nomina *tempus, annus, dies, hora* et cetera, significant quidem tempus, sed non significant cum tempore. Rursus, haec nomina *coena, prandium,* connotant tempus vespertinum, per quod coena differt a prandio, vel aliud tempus, per quod prandium differt a coena; sed non significant actiones comedendi ut factas tempore praesenti vel praeterito. At verbum *coeno* significat comestionem ut factam tempore praesenti. Praeterea etiam in alio sensu verbum significat cum tempore, quia nimirum declinatur per varia tem-

pora, praesens, praeteritum et futurum, quod nulli nomini convenit (1). »

55. Cum nomen dividatur in *substantivum* et *adiectivum*, esse partem orationis principalius competit primo, quam alteri. Nomen enim substantivum non solum rem significat per modum substantiae (quod non faciunt adiectiva, quae rem significant per modum accidentis); sed etiam adiunctum verbo reddit orationem veram vel falsam. Sic si dicas: *exsistunt corpora*, habes quantum sufficit ad veritatem orationis. Idem non evenit de nomine adiectivo. Nam si dicas: *Albus est*, nec veritatem, nec falsitatem profers, nisi aliquid aliud subaudias. Ob eandem rationem nomen proprie est casus rectus; siquidem casus obliqui, etiamsi verbo iungantur, orationem, quae vera aut falsa sit, non efficiunt. Sic si dicas: *Caesaris amat* (2).

56. Simile non valet de verbo; quod etsi pariter dividatur in *substantivum* et *adiectivum*, tamen utroque modo sumptum est pars principalis orationis. Porro verbum substantivum est *sum, es, est;* quod proprie actum essendi significat, qui primus est et fundamentum omnium reliquorum actuum. Verba autem adiectiva sunt cetera verba, quae actionem vel passionem exprimunt, vel alias quascumque essendi modificationes et varietates.

Hinc patet primam absolute orationis partem esse nomen, substantivum praesertim; siquidem obiectum significat instar rei; res autem subiectum est tum exsistentiae, tum actionis aut passionis, quae a verbis significantur.

(1) *Summulae, sive Logica brevis,* Cap. XXX.

(2) Aliqui putant denominationem *casus* non competere nominativo, qui non cadit per derivationem ab alio, ut est de genitivo et reliquis. Quare ipsum appellant *rectum*. Sed hoc non tollit quominus dicatur etiam *casus*, nimirum *casus rectus*, quatenus cadit a mente, cuius conceptum foras exprimit. Nihil autem vetat quin aliquid ita *cadat*, ut maneat rectum.

ARTICULUS III.

De natura propositionis.

57. E speciebus orationis illa, quae proprie spectat ad Logicam, est oratio enuntiativa. Logica enim non agit de operationibus mentis earumque signis, nisi quatenus veritatem aut falsitatem continent vel significant; esse autem signum veritatis, soli enuntiativae orationi competit. Et sane si quis dicat: *Oro vos ut studeatis;* aut aliam orationem, sive vocativam sive interrogativam, pronuntiet; nemo respondere poterit: Verum aut falsum dicis. Contra iure sic respondetur, si quis enuntiativam orationem proferat, dicens: *Vos parum studetis.* Et ratio est, quia sola enuntiativa oratio directe et proprie exponit iudicium mentis, in quo proprie veritas aut falsitas collocatur. Hinc iure Aristoteles eam definivit: *Orationem, quae verum vel falsum significat;* ac duos libros, in quibus de ipsa pertractat, inscripsit: περὶ ἑρμηνείας *(de interpretatione),* quia oratio est, quae mentis perfectum actum interpretatur.

Reliquae autem orationes exprimunt potius actus voluntatis, qui a praevio iudicio ingenerantur; ac proinde non ad Logicam, sed ad Rhetoricam et Poësim pertinent.

58. Enuntiatio, quatenus in syllogismo invenitur, appellata est *propositio;* quia proponitur et assumitur ad aliquid inferendum. Et quoniam sub artificiosa dispositione, quam ibi recipit, non attenditur eius veritas vel falsitas, sed sola eius assertio; idcirco iure definitur *Oratio aliquid de alio affirmans aut negans.* Hinc patet tres eius esse partes: *subiectum, praedicatum, copulam.* Subiectum est id, de quo aliquid affirmatur aut negatur; praedicatum id, quod de aliquo affirmatur aut negatur; copula est ipsa affirmatio aut negatio. Copulae munere fungitur praesens tempus verbi substantivi, *sum, es, est,* quod praebet affirmationem vel negationem, prout particulam *non* praefixam habet, aut non. Saepe tamen praedicatum et copula denotantur uno vocabulo; idque fit quotiescumque propositio constat verbo adiectivo, aut ipsum verbum substantivum sumitur non pro simplici copula, sed pro verbo quod exsistendi actum significat.

Ea propositio dicta est a Dialecticis *de secundo adiacente;* cum contra propositio, in qua praedicatum et copula exprimuntur diversis vocibus, dicta sit *de tertio adiacente.* Exemplum primae sit: *Sol illuminat,* aut: *Deus est;* exemplum secundae: *Sol est corpus.* Quisque videt propositionem *de secundo adiacente* semper resolvi posse in propositionem *de tertio adiacente.* Nam cum propositio referat iudicium, et iudicium non habeatur nisi vi perspicientiae identitatis vel differentiae duorum conceptuum; genuina propositionis forma ea est, quae subiectum, praedicatum et copulam explicite praebet. Sic illa propositio: *Sol illuminat,* resolvitur in hanc: *Sol est illuminans;* et: *Deus est* resolvitur in hanc: *Deus est exsistens.* Quod si omnes partes propositionis contineantur una voce, ut cum dicis, ex. gr., *scribo* (quae dialectice resolvitur *Ego sum scribens),* propositio appellatur *de primo adiacente.*

59. Colligere hinc facile est verbum substantivum, quatenus copulae tantum munere fungitur, absolvi a tempore: nimirum per se non aliud exprimere nisi convenientiam aut non convenientiam praedicati cum subiecto, sive utrumque aut alterutrum actu exstet sive non. An vero respectus haberi debeat ad actualem exsistentiam necne, id non pertinet ad rationem copulae, sed ad materiam, in qua versatur propositio, et quae significatur a terminis. Sic cum dicis: *Totum est maius sua parte,* aut: *Astra sunt lucida;* non procedit a copula quod prima propositio sit necessaria, et secunda contingens, sed procedit a materia terminorum, quatenus praedicatum primae propositionis innuit aliquid inclusum in ipsa notione subiecti, praedicatum secundae innuit proprietatem de facto competentem subiecto.

60. Dispositio propositionis potest esse *naturalis* vel *innaturalis.* Nam subiectum et praedicatum in propositione sic comparantur inter se, ut primum respectu alterius habeat rationem *materiae,* alterum respectu primi habeat rationem *formae.* Quare, cum forma perficiat subiectum et per se universalius pateat; efficitur hinc ut tunc dispositio propositionis sit naturalis, cum loco praedicati ponitur revera terminus magis universalis, aut ille qui notionem subiecti compleat. Si contrarium fiat, dispositio erit innaturalis. Sic si dicas: *Animal est vivens, Homo est rationalis;* dispositio naturalis

habetur, et propositio appellatur *directa.* Sin dicas: *Aliquod vivens est animal, Aliquod rationale est homo;* habetur dispositio innaturalis et propositio appellatur *indirecta.*

ARTICULUS IV.

De propositionis partitione.

61. Quatuor in propositione considerari possunt: termini, seu materia, qua propositio constat; terminorum extensio, seu quantitas; terminorum copula, seu forma integrae propositionis; convenientia vel discrepantia inter propositionem et obiectum, circa quod propositio versatur.

62. Ratione materiae propositio dividitur in necessariam, impossibilem et contingentem. « Potest accipi, iniquit S. Thomas, divisio enunciationum secundum materiam; quae quidem divisio attenditur secundum habitudinem praedicati ad subiectum. Nam si praedicatum per se insit subiecto, dicitur esse *enunciatio in materia necessaria vel naturali;* ut cum dicitur: *Homo est animal* vel *homo est risibilis.* Sin vero praedicatum per se repugnet subiecto, quasi excludens rationem ipsius, dicetur enunciatio esse *in materia impossibili sive remota;* ut cum dicitur: *Homo est asinus.* Si autem medio modo se habeat praedicatum ad subiectum, ut scilicet nec per se repugnet subiecto, nec per se insit; dicitur enuntiatio esse *in materia possibili* sive *contingenti* (1). »

63. Ratione quantitatis idem S. Thomas dividit propositionem in universalem, singularem, particularem, indefinitam. Sic enim ait: « Quandoque aliquid attribuitur universali, ratione ipsius naturae universalis, et ideo hoc dicitur praedicari de eo universaliter; quia scilicet ei convenit secundum totam multitudinem in qua invenitur. Et ad hoc designandum in affirmativis praedicationibus adinventa est haec dictio *omnis,* quae designat quod praedicatum attribuitur subiecto universali quantum ad totum id, quod sub subiecto continetur. In praedicatis autem negativis adinventa est haec dictio *nullus,* per quam significatur quod praedicatum removetur a subiecto universali, secundum totum id quod continetur sub

(1) In lib. I. *Perihermenias,* lect. 13.

eo. Unde *nullus* dicitur quasi *non ullus*, et in graeco dicitur οὐδείς, quasi nec unus, quia nec unum solum est accipere sub subiecto universali, a quo praedicatum non removeatur. Quandoque autem attribuitur universali aliquid vel removetur ab eo ratione particulari. Et ad hoc designandum, in affirmativis quidem adinventa est haec dictio *aliquis* vel *quidam*, per quam designatur quod aliquid attribuitur subiecto universali, ratione particulari; unde dicitur individuum vagum. In negativis autem non est aliqua dictio posita, sed possumus accipere *non omnis;* ut sicut *nullus* universaliter removet, quasi diceretur non ullus, idest *non aliquis;* ita etiam *non omnis* particulariter removet, in quantum excludit universalem affirmationem. Sic igitur tria sunt genera affirmationum, in quibus aliquid de universali praedicatur. Una quidem, in qua de universali praedicatur aliquid universaliter, ut cum dicitur: *Omnis homo est animal.* Alia, in qua aliquid praedicatur de universali particulariter, ut cum dicitur: *Quidam homo est albus.* Tertia vero, in qua aliquid de universali praedicatur absque determinatione universalitatis vel particularitatis, ut: *Homo est rationalis;* unde huiusmodi enunciato solet vocari *indefinita.* Totidem autem sunt negationes oppositae . . . . . Si igitur tribus praedictis enunciationibus addatur singularis (ex. gr. *Petrus est doctus),* erunt quatuor modi enunciationum ad quantitatem pertinentes, scilicet *universalis, singularis, indefinita, particularis* (1). »

Adverte hic propositionem indefinitam, si est in *materia necessaria* aut *impossibili,* aequivalere universali, ut si dicas: *Homo est liber,* aut: *Effectus non indiget causa;* sin est in materia contingenti, aequivalere particulari, ut cum dicitur: *Homo est mendax.*

64. Ratione formae seu copulae, propositio dividitur in affirmativam et negativam, ut: *Homo est animal, Homo non est lapis.* De hac etiam partitione iuvat audire S. Thomam: « Divisio in affirmationem et negationem est divisio generis in species, quia sumitur secundum differentiam praedicati, ad quod fertur negatio; praedicatum autem est pars formalis enunciationis, et ideo huiusmodi divisio dicitur pertinere ad

(1) Loc. cit. lect. 10.

qualitatem enunciationis, qualitatem, inquam, essentialem, secundum quod differentia significat quale quid (1). »

Adverte, cum dicitur negatio ferri in praedicatum, intelligendum id esse in hoc sensu, quod negatio illa tendit ad removendum praedicatum a subiecto, non vero ad efficiendum ut praedicatum sit negativum. Nam etiam cum praedicatum est negativum, si propositio caret particula *non* ante copulam, non desinit esse affirmativa. Sic propositio: *Homo est non mortalis* inter affirmativas, ad formam logicam quod attinet, recensenda est.

65. Denique si attenditur respectu totius propositionis ad obiectum, propositio dividitur in veram et falsam prout concordat vel dissonat ab obiecto. Nam propositio quae dicit esse quod est, et non esse quod non est, veritatem habet; secus falsitate laborat. Audiatur S. Thomas: « Cum enunciatur aliquid esse vel non esse, secundum congruentiam rei, est oratio vera; alioquin est oratio falsa. Sic igitur quatuor modis potest variari enunciatio. Uno modo, quia id, quod est in re, enunciatur ita esse sicut in re est; quod pertinet ad affirmationem veram. Puta, cum Sortes currit, dicimus Sortem currere. Alio modo, cum enunciatur aliquid non esse, cum non est; quod pertinent ad negationem veram, ut cum dicitur: *Aethiops non est albus.* Tertio modo, cum enunciatur aliquid esse quod in re non est; quod pertinet ad affirmationem falsam, ut cum dicitur: *Corvus est albus.* Quarto modo, cum enunciatur aliquid non esse, quod in re est; quod pertinet ad negationem falsam, ut cum dicitur: *Nix non est alba* (2). »

ARTICULUS V.

De propositionibus compositis.

66. Sicut propositio est simplex, cum constat uno subiecto, unoque praedicato; sic contra est composita, cum constat pluribus subiectis, aut pluribus praedicatis, aut etiam pluribus propositionibus, inter se iunctis particulae cuiusdam ad-

(1) In lib. I. *Perihermenias,* lect. 10.
(2) Ibidem.

miniculo. Harum autem propositionum sex enumerari possunt: conditionalis, copulativa, causalis, disiunctiva, relativa et discretiva.

Propositio conditionalis est, quae gaudet particula conditionem exprimente: ut *Si lucet, dies est.* In huiusmodi propositionibus id, quod affirmatur aut negatur, non est nisi nexus et consequutio unius partis ex alia. Unde si hic nexus et consequutio viget, propositio vera est; etiamsi singula eius membra in se inspecta sint falsa. Exemplo sit: *Si Deus non esset, nec mundus exstaret.* Contra propositio est falsa, si eius membra, quamvis per se vera sint, tamen nexum, qui affirmatur, non habent; ut: *Si pluit, dies est.* Porro pars illa, quae particula conditionali affecta est, dicitur *conditio* vel etiam *antecedens;* alia, quae exinde infertur, dicitur *conditionatum* vel *consequens.*

Propositio copulativa est, quae plura aut subiecta aut praedicata aut propositiones coniungit per particulam copulantem; ut si dicas: *Homo est sensu et ratione praeditus.* Ad eius veritatem requiritur ut utraque pars, quae affirmatur aut negatur, vera sit.

Propositio est causalis, cum particula, quam includit, significat causam; ut: *Animus humanus est immortalis, quia est spiritualis.* Ad eius veritatem requiritur ut id, quod assignatur tamquam causa alterius, hanc dotem revera possideat.

Propositio disiunctiva est, quae plures partes nectit ope particulae disiungentis; ut si dicas: *Substantia aut simplex est aut composita.* Ad eius veritatem sufficit ut una pars vera sit. Utrum autem veritatem retineat, etiam cum ambae partes veritate fruuntur; id ex circumstantiis pendet, a quibus mens proferentis colligenda est, voluerit necne oppositionem instituere inter membra, quae in propositione disiunxit. Quod si omnes partes sint falsae, aut praeter eas, quae numerantur, alia possit afferri; tota propositio falsitate laborabit.

Propositio relativa dicitur, quae comparationem aliquam instituit; ut si dicas: *Quemadmodum se habet instrumentum respectu artificis, sic creatura respectu Dei.* Eius veritas pendet ex veritate comparationis, quam affert.

Propositio discretiva est, quae plures partes coniungit per particulam discernentem; ut si dicas: *Non quidem pulcra, sed utilissima est vitis.* Ad eius veritatem opus est ut partes, quibus constat, verae sint et quadam inter se oppositione adversentur.

67. Ad genus propositionum compositarum revocari possunt *modales* et *exponibiles.*

Propositio modalis est, quae ita praedicatum enuntiat de subiecto, ut insuper modum affirmet, quo praedicatum subiecto competit. Ita est si dicas: *Homo necessario est rationalis, Mundus contingenter exsistit.* Ut vera sit, opus est ut praedicatum non solum competat subiecto, sed competat eo modo quo asseritur.

Propositio *exponibilis* ea dicitur, quae specie tenus est simplex, reapse autem composita. Huiusmodi propositio solet, perspicuitatis gratia, converti in aperte compositam, quae idcirco eius exponens nuncupatur. Eius autem quatuor genera potissimum recensentur: *Exclusiva, exceptiva, reduplicativa* et *relativa.* Prima est enuntiatio, cui admiscetur particula excludens: *Dumtaxat, tantum,* etc. ut: *Deus tantum est aeternus.* Exponitur per hanc compositam: *Deus est aeternus, et omne aliud, quod Deus non sit, non est aeternum.* Altera est, cui interseritur particula excipiens *praeter,* etc. ex. gr. *Omne ens, praeter Deum, est mutabile.* Exponitur per hanc compositam: *Deus est mutationis nescius, et cetera omnia entia mutari possunt.* Adverte tamen saepe per propositionem exceptivam ita affirmari aliquid, ut non affirmetur oppositum de re quae excipitur, idque a mente proferentis pendet, qui proinde, ad ambiguitatem tollendam, explicare se debet. Atque in hoc praecipue cernitur discrimen huius enuntiationis ab *exclusiva,* quae vi sua semper contrarium praedicatum parti, quam excludit, impertit. Tertia, seu reduplicativa, ea est, quae particula *reduplicante* afficitur: *Quatenus, prout, in quantum,* etc., velut si dicas: *Homo, quatenus homo, est liber.* Exponitur per hanc compositam: *Homo est liber, et libertas ipsi convenit ratione humanitatis.* Denique relativa dicitur, quae comparationem aliquam sibi implicat; ut si dicas: *Aurum pretiosius est argento.* Exponitur per hanc compositam: *Aurum pretiosum est, et eius pretium maius est argento.*

ARTICULUS VI.

De propositionum proprietatibus.

68. Proprietates propositionis tres sunt potissimum: *oppositio, aequipollentia, convertibilitas.* De singulis breviter.

Oppositio est diversitas vel pugna duarum propositionum, eosdem habentium terminos, sed vel qualitate, vel quantitate, vel utraque discrepantium. Hinc quatuor exsurgunt oppositionis genera.

I. Prima, quae omnium minima est, habetur, cum duae propositiones differunt sola quantitate; ut: *Omnis homo est rationalis, Aliquis homo est rationalis;* vel: *Nullus homo est lapis, Aliquis homo non est lapis.* Hae propositiones dicuntur *subalternae,* ex iisque universalis vocatur *subalternans,* particularis *subalternata.* Ut autem per se patet, praedictae propositiones possunt esse ambae verae vel ambae falsae. Attamen, veritas subalternantis infert veritatem subalternatae; nam si vera est universalis, necesse est ut vera sit etiam particularis, quae in universali continetur. Vicissim falsitas subalternatae infert falsitatem subalternantis; quippe si veritate caret particularis, a fortiori carere debet universalis, quae idem praedicatum non uni tantum indeterminate sed omnibus adscribit.

II. Contra maxima oppositio logica habetur, cum duae propositiones differunt non solum quantitate sed etiam qualitate; ita ut una sit universalis, altera particularis, una sit affirmativa, altera negativa. Exemplo sit: *Omnis homo est albus, Aliquis homo non est albus.* Hae dicuntur *contradictoriae:* quae nec simul verae nec simul falsae esse possunt; sed necessario, si una vera est, altera debet esse falsa, et vice versa. Ratio est, quia ex illa duplici discrepantia, in quantitate nimirum et qualitate, efficitur ut quod ab una propositione affirmatur, id ab altera negetur; et vicissim quod negatur ab una, affirmetur ab altera. Sic per propositionem: *Aliquis homo non est albus* directe negatur universalitas propositionis: *Omnis homo est albus.* Hinc, cum non possit idem simul esse et non esse; nequit veritas utriusque constare. Itemque, cum necesse sit quodlibet aut esse aut non esse, nequit utra-

que propositio falsa esse; sed alterutra vera sit oportet. Quare e duabus contradictoriis una semper debet esse vera.

In propositionibus singularibus sufficit sola differentia in qualitate, ut exoriatur contradictio. Nam cum in iis subiectum non patiatur extensionem (exprimit enim solum individuum), hoc ipso differentia solius qualitatis in una removet quaqua versus affirmationem alterius.

III. Inter haec duo oppositionis genera locum medium habent propositiones illae, quae sola qualitate differunt; quae quidem si ambae sint universales, dicuntur *contrariae;* sin ambae sint particulares, dicuntur *subcontrariae.* Primae (de quibus hic loquimur) hoc praebent exemplum: *Omnis homo est doctus; Nullus homo est doctus.* Earum lex est, ut nequeant esse simul verae, at possint esse simul falsae. Ratio est, quia una non mere negat quod altera affirmat, ut accidit in contradictoriis; sed continuo ad extremum oppositum statuendum pergit. Ad rem S. Thomas: « Contraria dicuntur quae maxime a se distant. Non enim dicitur aliquid nigrum ex hoc solum, quod non est album; sed super hoc, quod est non esse album, addit nigrum extremam distantiam ab albo (1). » Sic per propositionem: *Nullus homo est doctus,* non solum negatur universalitas propositionis: *Omnis homo est doctus,* sed insuper pronuntiatur oppositum praedicatum de singulis. Iam vero potest optime contingere ut nec unum nec alterum sit verum; quemadmodum in allato exemplo reapse contingit. Nam sicut falsum est omnes homines esse doctos; sic etiam falsum est nullum hominem esse doctum; dantur enim homines docti, et homines indocti. Ambae igitur contrariae possunt simul esse falsae. Nequeunt autem esse simul verae, quia tunc verae essent duae contradictoriae. Siquidem, stante veritate unius universalis, admittenda est consequenter veritas etiam propositionis particularis, quae universali illi tanquam *subalternata* subiacet. Eiusmodi autem propositio particularis contradictorie opponitur alteri universali, quae contraria est propriae *subalternanti.*

IV. Denique duae propositiones particulares si differunt qualitate, vocantur, ut diximus, *subcontrariae.* Exemplum

(1) In lib. I. *Perihermenias,* lect. 10.

sit: *Aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus.* Hae nequeunt esse simul falsae, at possunt esse simul verae. Ratio primae partis est, quia si essent simul falsae, essent simul verae earum *contradictoriae*, quae *contrariae* sunt inter se. Ratio autem secundae partis est, quia nulla repugnantia sequitur ex eo, quod ambae illae propositiones sint verae.

Ex dictis apparet in contradictoriis posse argui ex veritate unius ad falsitatem alterius; et vice versa ex falsitate unius ad veritatem alterius. Nam, ut diximus, propositiones contradictoriae nequeunt esse nec simul falsae nec simul verae.

In contrariis autem ex veritate unius potest inferri falsitas alterius; quia nequeunt esse simul verae. At ex falsitate unius nequit argui veritas alterius; nam possunt esse simul falsae.

In subcontrariis a falsitate unius potest inferri veritas alterius, quia nequeunt esse simul falsae; at ex veritate unius nequit inferri falsitas alterius, nam possunt esse simul verae.

En oppositionis harum propositionum schema:



69. Aequipollentia est duarum propositionum oppositarum reductio ad eandem significationem. Id autem fit ope particulae *non*, quae vim habet flectendi in sensum oppositum dictionem cui praefigitur. Quare si praefigitur quantitati, mutat propositionem ex universali in particularem aut ex particulari in universalem: si praefigitur *qualitati*, mutat propositionem ex affirmativa in negativam, et vicissim. Hinc facile deduces regulas, quibus e duabus propositionibus oppositis, una reduci possit ad sensum alterius. Hae regulae a

Dialecticis comprehensae sunt hoc versiculo, qui licet barbarus, tamen memoriae non parum inservit:

Prae contradic, post contra, prae postque subalter.

En eius explicatio.

Prae contradic. Idest, in contradictoriis ut una propositio fiat *aequipollens* alterius, *praepone* negationem subiecto. Sic enim praeponitur toti propositioni, ac proinde tum eius quantitatem tum eius qualitatem immutat. Exemplo fit manifestum. Nam si in hac propositione: *nullus homo est albus,* praeponis particulam *non* subiecto, habebis *nonnullus homo,* idest *aliquis homo, est albus,* quae superioris contradictoria est.

Post contra. Idest, in contrariis et subcontrariis *postpone* negationem subiecto. Sic enim negatio afficiet solam copulam, ac proinde mutabit solum qualitatem. Hoc modo ex huiusmodi propositione: *omnis homo est albus,* habebis: *omnis homo non est albus,* nempe: *nullus homo est albus.*

Prae postque subalter. Idest, in subalternis ut una vertatur quoad sensum in aliam, necesse est negationem praeponere et postponere subiecto, atque ita habebitur mutatio solius quantitatis. Sic ex propositione: *nullus homo est albus,* habebis: *non nullus homo,* idest aliquis homo, *non est albus.*

70. Denique conversio est unius propositionis ex altera, per terminorum transpositionem, necessaria deductio. Triplex autem huius conversionis genus assignatur a Logicis: *simplex, per accidens* et *per contrapositionem.*

Conversio *simplex* habetur, quando servatur eadem propositionis quantitas; ita ut si propositio, quae converti debet, sit universalis aut particularis, universalis etiam vel particularis sit propositio, in quam illa convertitur. Id obtinet in solis propositionibus universalibus negativis, aut particularibus affirmativis. Sic dicere potes: *Nullus homo est lapis;* ergo *nullus lapis est homo.* Itemque: *Aliqua substantia est vivens:* ergo *aliquod vivens est substantia.*

Conversio *per accidens* est, in qua mutatur quantitas propositionis; eique sunt obnoxiae omnes propositiones univer-

sales, sive affirmativae sint, sive negativae. Sic recte dices: *Omne animal est substantia*, ergo *aliqua substantia est animal.* Itemque: *Nullum animal est carens vita,* ergo *aliquid carens vita non est animal.*

Conversio *per contrapositionem* est, in qua retinetur quantitas, sed praedicatum et subiectum fiunt termini infiniti, idest affecti negatione. Huiusmodi conversio locum habere potest in universali affirmativa et in particulari negativa. Sic iure dices: *Omnis homo est substantia,* ergo *omnis non substantia est non homo.* Itemque: *Aliquod vivens non est animal,* ergo *aliquod non animal est non vivens.*

Hae regulae inclusae sunt a Dialecticis hisce versiculis, qui, licet barbari, tamen ad memoriam iuvandam sunt utiles:

Simpliciter *feci* convertitur, *eva* per accid.
Asto per contrap. Sic fit conversio tota.

Horum sensus est: converti *simpliciter* propositiones significatas per vocales *E* et *I* vocis *feci:* nimirum universales negativas et particulares affirmativas. Converti per *accidens* propositiones significatas per vocales *E* et *A* vocis *eva;* nimirum universales tum affirmativas tum negativas. Converti denique *per contrapositionem* propositiones significatas per vocales *A* et *O* vocis *asto,* nimirum universales affirmativas et particulares negativas.

Ut vero significatio illarum litterarum *A, E, I, O,* memoria facilius retineretur, eam his versiculis incluserunt:

Asserit *A,* negat *E,* verum generaliter ambo.
Asserit *I,* negat *O,* sed particulariter ambo.

Horum sensus est: *A* significat propositionem universalem affirmativam, *E* universalem negativam, *I* particularem affirmativam, *O* particularem negativam.

CAPUT TERTIUM

DE DEDUCTIONE.

71. Tertia mentis operatio, ad quam duae superiores ordinem habent, est deductio; quae inde habetur, quod una veritas ex alia derivatur. Et sane non aliter mens aedificium suarum cognitionum fabricatur et perficit, quam definiendo, iudicando, concludendo. Iam vero definit mens, cum clariorem distinctioremque facit habitam perceptionem; idque ad hoc dirigit, ut debitum iudicium proferat de re quam contemplamur. At primo prolato iudicio, mens gradum non sistit, sed vi illius ad alia devenire conatur, quae obiecti notitiam dilatent et absolvant. Hic extremus processus appellatur ratiocinium; cuius oralis expressio dici posset argumentatio, quamvis utrumque vocabulum promiscue pro uno vel altera soleat usurpari. Sub utroque respectu eius naturam investigabimus, deinde communes leges et formas discutiemus.

ARTICULUS I.

De natura ratiocinii.

72. Revocanda hic animo est doctrina, quam attigimus supra, cum de iudicio loqueremur; nempe intellectum humanum ita esse a natura comparatum, ut rerum notitiam non statim initio plene assequatur, sed pedetentim et gradatim perficiat. Hinc oriri diximus ut mens rem sibi propositam primo simpliciter apprehendat, deinde iudicet. Hinc etiam fit ut mens vi unius iudicii procedat in aliud, et sic discursu quodam acquisitam cognitionem amplificet et ulterius provehat. « Cum intellectus humanus, ait S. Thomas, exeat de potentia in actum, similitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus, quae non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta

quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere, et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere, quod est ratiocinari (1). »

73. Ratiocinium igitur transitum quemdam mentis importat, quo ex uno iudicio fit gradus in aliud, quod cum priore connectitur. Quae sane connexio omnino requiritur, ut unum iudicium proferatur vi alterius. Ut autem intelligatur quo modo id eveniat, adverte mentem, cum duas ideas inter se comparat, dupliciter se habere posse. Nam aut earum sive convenientiam sive discrepantiam illico deprehendit, aut non. Si primum accidit, exsurgit iudicium, de quo superiore capite locuti sumus; quodque propterea immediatum dicitur, quia praevium aliud iudicium nullum habet, a quo derivetur, sed proxime sequitur apprehensionem idearum. Sin accidit alterum, mens haeret anceps; ex eoque statu aliter se eximere nequit, nisi ope tertiae cuiusdam ideae, cum qua duae praecedentes ita comparentur, ut manifestetur num ambae illi conveniant, an una quidem conveniat, altera vero discrepet. In utroque enim casu, vi principii identitatis *(Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se)*, aut vi principii repugnantiae *(Quorum unum est idem uni tertio, aliud vero non idem, non sunt idem inter se)*, tria exsurgunt iudicia sic mutuo connexa, ut duobus praecedentibus prolatis, necesse sit tertium proferri.

Sic ut in exemplo res videatur, fingesis mentem ignorare an *mundus* sit *ens contingens*, atque ad id dignoscendum assumere ideam *mutationis*, cum qua tum ideam *mundi* tum *entis contingentis* conferat. Ex hac duplici collatione statim efflorescent duo iudicia: *Mundus est ens mutabile; Ens mutabile est ens contingens;* quibus admissis, nequit non sequi tertium: Ergo *mundus est ens contingens.*

Pari modo fac mentem dubitare an *anima* sit *corpus*, atque ad hoc dubium eiiciendum assumere ideam *principii vitalis*, quicum comparet tum ideam *animae* tum ideam *corporis*. Statim emergent haec duo iudicia: *Anima est*

(1) *Summa theol.* I. p. q. 85, art. 5.

principium vitae; Principium vitae non est corpus; quibus receptis, tertium fluit: Ergo *anima non est corpus.*

74. Principium identitatis et principium repugnantiae, quibus ratiocinationem inniti diximus, solent etiam clariore modo sic proponi: *Quidquid universaliter distributive affirmatur de aliquo subiecto, nequit non affirmari de particularibus, quae subiecto illo includuntur;* et: *Quidquid universaliter distributive negatur de aliquo subiecto, nequit non negari de particularibus, quae subiecto illo continentur.* Ratio est, quia secus idem affirmaretur et negaretur, contra praescriptum principii contradictionis, seu contra legem fundamentalem totius intelligentiae. Hinc apparet principium contradictionis: *Non potest idem simul esse, et non esse,* ultimum illud exhibere, in quod tandem ratiocinatio resolvitur; terminum autem, ad quem ratiocinando devenimus, semper iudicium quoddam esse, quod quia ex alio deducitur, iudicium mediatum dici solet.

75. Cum processus in infinitum repugnet, si datur ratiocinatio, necesse est dentur iudicia aliqua non aliunde deducta, quae circa veritates per se notas versentur. Dicuntur autem veritates per se notae, quae intellectis terminis statim perspiciuntur, ut: *totum est maius parte;* vel quae experientia ipsa manifestantur, ut: *nix frigefacit,* aut: *ignis comburit.* Hae veritates demonstrari nequeunt, non propter defectum sed propter perfectionem luminis, quo donantur; seu quia in seipsis habent evidentiam qua menti pateant, eamque ad assentiendum cogant. Poterunt tamen explicari apud eos, qui terminos, quibus ipsae constant, fortasse non capiunt, aut exemplo aliquo vel argumento, ut aiunt, *ad hominem* persuaderi. At haec, ut vides, non est demonstratio, sed tantum indicatio. Nam explicatio terminorum ad definitionem pertinet; exemplum iuvat simplicem apprehensionem; *argumentum ad hominem* non tam rem probat, quam adversarium sibimet non constare ostendit (1).

(1) In omni demonstratione necesse est ut ante innotescant, subiectum, praedicatum et principium aliquod, vi cuius inferri possit illorum convenientia vel discrepantia. Haec tria, ob hanc rationem, a veteribus appellabantur *praecognita.*

76. Qua in re consimilis est processus de ideis ac de iudiciis. Ut enim alias de definitione diximus, non omnes conceptus sunt definiendi, sed notiones inveniuntur per se intelligibiles quae definiri nec possunt nec egent; sed tantum descriptionem admittunt per causas, aut per effectus, aut etiam per proprietates, quibus ornantur, aut genesim, quam sortiuntur. Sic etiam in iudicando non omnia demonstrari debent; sed aliqua sunt iudicia, quae propria fulgent evidentia et ad summum declarari possunt, modo superius explicato. In utroque casu ratio eadem est, nimirum non dari motum, nisi adsit aliquid immobile, quod totius agitationis sit principium.

ARTICULUS II.

De argumentatione ac potissimum de syllogismo.

77. Expressio, qua ratiocinium mente latens extrinsecus significatur, generatim *argumentatio* dici potest; quae proinde definitur: *Oratio, qua propositio una ex alia infertur.* Porro propositio ex qua alia infertur, *antecedens;* ea quae infertur, *consequens;* ipsa *consequentis* ex *antecedente* derivatio, *consequentia* nominatur. Quare consequentia, ut patet, non est idem quod consequens. Potest enim aliquando consequens esse verum, quin cum antecedente, a quo deducitur, connectatur; et potest vicissim consequens cum antecedente connecti, et tamen utrumque esse falsum. Sic si dicis: *Omnis arbor est substantia, ergo homo est rationalis,* verum erit consequens sed nulla consequentia. Sin autem dicas: *Omnis substantia est materialis, ergo etiam spiritus;* consequens erit falsum, sed legitime ex antecedente, licet falso, deducitur.

78. Omnium lucidissima argumentatio, ad quam ceterae reducuntur, syllogismo continetur; qui nihil est aliud, nisi *argumentatio qua, duabus propositionibus positis, necesse est tertiam consequi.* Exemplo sit: *Omnis virtus est amabilis, continentia est virtus, ergo continentia est amabilis.* Earum trium propositionum duae, quae antecedunt, dicuntur *praemissae;* tertia, quae consequitur, dicitur *illatio.* Esse autem hanc argumentandi formam omnium lucidissimam inde

patet, quod ratiocinationem unam plene et simplicissime complectatur. Nam ratiocinatio tribus iudiciis constat; quorum tertium ideo profertur, quia duae ideae, quibus constat, comparatae sunt in duobus praeviis iudiciis cum tertia quadam idea, quae utrique aut alterutri congruebat. Id autem et non aliud exprimitur syllogismo. Nam tunc vere, duabus positis propositionibus, tertia consequitur; quando illationis termini idcirco inter se affirmatione coniunguntur aut negatione separantur, quia, in duabus praemissis, cum tertio quodam termino compositi sunt. Ergo syllogismus genuina est et perfecta ratiocinationis expressio, a qua ne transversum quidem unguem discedit.

79. Hinc colliges syllogismum tribus dumtaxat constare terminis: *subiecto* nimirum et *praedicato* conclusionis, et termino qui ad comparationem cum iis instituendam in praemissis assumitur. Duo primi appellantur etiam *extrema;* tertius, a munere quod fungitur, nominatur *medium.* Subiectum conclusionis appellatur etiam *minus extremum;* praedicatum contra *maius extremum,* propterea quod per se latius patet, quam subiectum, et eius cognitionem perficit. Atque hinc efficitur ut illa praemissarum, in qua comparatur cum *medio termino praedicatum* illationis, vocetur *maior propositio;* illa, in qua cum *medio termino* comparatur *subiectum* illationis, vocetur *propositio minor.* Sic in exemplo superius allato, *omnis virtus est amabilis* esset propositio maior; *continentia est virtus* esset propositio minor. Ex quo vides denominationem maioris propositionis per se non pendere a collocatione sedis in syllogismo; modo enim praemissa contineat praedicatum illationis, non desinit esse maior, etsi secundo loco constituatur. Nihilominus, quia per se, utpote dignior, primo loco donanda esset; hinc ad usum, quod attinet, factum est ut in disputando appelletur *maior* ea propositio, quae primum profertur, sive maior revera sit, sive minor.

80. Denique diligenter advertendum est, ad bonitatem syllogismi nihil referre an propositiones, quibus conflatur, verae sint necne; dummodo eius dispositio legitima sit, idest talis ut, positis praemissis, illatio sequi debeat. Ratio est, quia logice attenditur sola forma operationum mentis, non vero materia; cuius iudicium ad alias scientias spectat. Sic qui di-

ceret: *Omnis planta est lapis, sed homo est planta; ergo homo est lapis;* legitimum syllogismum conficeret, etsi omnes eius propositiones sint absurdae.

ARTICULUS III.

De legibus syllogismi.

81. Ratiocinatio ac proinde eius expressio, ut rite procedat, legibus quibusdam regenda est, quae ex intima eius natura ac principiis, quibus fundatur, profluunt. Hae leges a dialecticis inclusae sunt sequentibus versiculis, ut facilius memoria retinerentur:

Terminus esto triplex, maior, mediusque, minorque.
Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Peiorem sequitur semper conclusio partem.

Prima igitur lex est: *In syllogismo ne sint plures, quam tres termini.* Ratio manifesta est; tota enim syllogismi structura et vis in hoc cernitur, quod duo *extrema* conclusionis, nimirum, subiectum et praedicatum, cum *medio* termino comparentur; quae comparatio fit in praemissis. Ad id autem requiritur, ut tres tantum sint termini: nimirum subiectum et praedicatum conclusionis, et medius, quicum utrumque extremum in praemissis conferatur. Si quartus additur terminus, syllogismi artificium demitur atque ideo omni robore destituitur.

Secunda lex: *Nullus terminus latius pateat in conclusione, quam in praemissis.* Secus enim illatio aliquid complecteretur non contentum in praemissis, nimirum ampliorem illam termini extensionem, qua caruerunt praemissae. Quocirca illatio, quoad hanc partem, ex praemissis non flueret. Praeterea syllogismus eiusmodi quatuor constaret terminis. Terminus enim, qui latius patet in conclusione, proprie vereque differt ab eo, qui minus patebat in praemissis.

Tertia lex: *Medius terminus ne ingrediatur illationem.* Eius enim officium est ut comparetur in praemissis cum subiecto et praedicato illationis, quo appareat num haec inter se conveniant necne. Munus autem illationis est non comparare medium cum extremis, sed ipsa extrema simul affirmatione coniungere, aut negatione seiungere, propter eorumdem comparationem cum medio factam in praemissis.

Quarta lex: *Medius terminus in una saltem praemissarum distributive sumatur.* Ex ipsa syllogismi natura id elucet. Nam aliter illatio *dicto de omni* et *dicto de nullo* non niteretur. Sumpto siquidem medio non quoad totam suam amplitudinem, sed quoad partem dumtaxat, contingere poterit ut praedicatum conclusionis conveniat aut discrepet huic parti tantum, quin tamen sub illa subiectum illationis contineatur. Ius igitur exinde non erit ad idem praedicatum de subiecto affirmandum aut negandum. Non enim in ea parte medii termini, quae cum praedicato illationis comparata est, sed in alia, quae omissa est, includebatur. Exemplo res fiet illustrior. Sumatur hic syllogismus: *Equus est animal, homo est animal, ergo equus est homo.* Ut quisque videt, medius terminus *animal,* qui in neutra praemissa distribuitur, non quoad eamdem sui partem cum subiecto et praedicato illationis comparatur. Cum enim dicitur *equus est animal,* id verum est de aliqua specie animalis; itemque cum additur *homo est animal,* id etiam verum est, sed de alia animantis specie. Quare extrema cum eodem medio revera non conferuntur; atque ideo huiusmodi syllogismus nequit vi suae structurae deducere mutuam extremorum convenientiam vel discrepantiam.

Ut autem pateat utrum medius in praemissis revera *distributive* accipiatur, haec duplex regula spectanda est: subiectum in omni et sola propositione universali sumitur generaliter seu in tota sua amplitudine, praedicatum vero nonnisi in sola propositione negativa.

Quinta lex: *Ex duabus praemissis negantibus nulla sequitur illatio.* Nisi enim alterutra praemissa affirmet alterutrum illationis terminum convenire cum medio; nequit inferendo deduci, eidem congruere vel dissidere terminum alium, qui per unam praemissarum separatus est a medio,

quicum comparabatur. Atque hoc ex natura dimanat principiorum, quibus tota syllogismi vis innititur.

Sexta lex: *Ex utraque praemissa affirmante derivari nequit illatio negans.* Illatio enim cum sit veluti praemissarum effectus, nequit complecti quidpiam, quod in neutra contineatur praemissa.

Septima lex: *Ex duabus praemissis particularibus nihil evincitur.* Nam hae particulares praemissae possunt esse vel ambae affirmantes, vel ambae negantes, vel una affirmans et altera negans. Nihil horum ad illationem derivandam valet.

Etenim fac in primis ambae praemissae sint affirmantes. Profecto cum in particulari affirmativa neque praedicatum neque subiectum propositionis distribuatur; in eiusmodi syllogismo medius terminus nunquam generali distributione accipitur; contra regulam, quam numero quarto sanximus. Ex eo igitur nulla sequi potest illatio.

Quod si utraque praemissa sit negans, laeditur regula quinta; quae plane interdicit ne utraque praemissa sit negans. Ergo tunc etiam ex duplici particulari illatio legitima deduci nequit.

Restat igitur ut una praemissarum sit affirmans, altera negans. Sed neque tum illatio ulla sequi potest. Etenim cum in particulari negativa praedicatum dumtaxat generaliter sumatur, medius terminus (qui per regulam quartam in alterutra praemissa generaliter accipi debet) illum locum occupet necesse est. Ergo pro conclusionis terminis, non alia superest praemissarum sedes, nisi situs subiecti et praedicati in propositione particulari affirmativa, et situs subiecti in propositione particulari negativa. Sed in tribus hisce sedibus terminus nunquam sumitur generaliter. Ergo termini conclusionis nonnisi particulari tantum distributione sumerentur in praemissis.

Hoc posito, sciscitor utrum illatio deduci velit affirmans an negans? Si secunda optio eligitur, aliquis terminus latius patebit in illatione quam in praemissis (contra regulam secundam); praedicatum enim negativae illationis generaliter sumeretur, cum nonnisi particulariter, ut dixi, sumptus sit in praemissis. Sin autem prima optio arridet, illatio non sequetur omnino deteriorem partem praemissarum, contra id quod mox statuemus.

Octava lex: *Conclusio sequitur deteriorem partem.* Id intelligitur quoad praemissas; quatenus, si alterutra praemissa negatione constet, conclusio debet esse negans; itemque si alterutra praemissa sit particularis, illatio etiam particularis inferenda est.

Ratio primi est, quia cum alterutra praemissa est negans, termini conclusionis ita se habent quoad medium, ut eidem non ambo conveniant; sed alter conveniat, alter discrepet. Hoc autem non est fundamentum convenientiae illorum terminorum, seu illationis affirmantis; sed est fundamentum discrepantiae, seu illationis negantis. Illatio igitur debet esse negans.

Ratio vero secundi est, quia posita alterutra praemissa particulari, si illatio esset generalis, aliquis terminus latius pateret in illatione, quam in praemissis; contra praescriptum secundae legis. Et sane duae hypotheses fieri possunt: vel utraque praemissa erit affirmans, vel tantum alterutra. Si ambae affirmabunt, nullus terminus illationis in ipsis sumitur generaliter. Nam unica sedes acceptionis universalis esset locus subiecti illius praemissae, quae universalis est; hic autem locus occupabitur a *medio,* qui semel saltem in praemissis distribui debet. At si illatio fieret universalis, *subiectum* eius generaliter sumeretur. Latius ergo pateret in illatione, quam in praemissis.

Sin alterutra praemissa erit negans, idem sequitur incommodum, nisi illatio fiat particularis. Nam in praemissis eiusmodi, quarum una tantum sit universalis, itemque una tantum sit negans, vix duae sedes comperiuntur, in quibus terminus generaliter accipitur: nimirum locus subiecti propositionis universalis, et locus praedicati propositionis negativae. Iam vero alterutram sibi vindicat *medius terminus,* qui semel saltem in praemissis distribuendus est, seu generaliter sumendus (reg. IV). Ergo una sedes dumtaxat distributionis universalis pro illationis terminis relinquitur. Unus igitur illationis terminus distribuitur in praemissis. Iam quaero, si illatio universalis deduci velit, eritne haec affirmans, an negans? Affirmans esse non poterit, quippe cum alterutra praemissa sit negans, et, ut paulo ante dictum est, si una praemissarum est negans, negantem etiam illationem esse oporteat. Illatio igitur erit negans. At in propositione universali nega-

tiva *distribuitur* tum subiectum tum praedicatum. Ergo illatio eiusmodi duos habebit terminos universales, quorum unus tantum, ut diximus, universalis fuit in praemissis. Aliquis igitur terminus magis patebit in illatione, quam in praemissis. Quare ut hoc vitetur, ea etiam hypothesi conclusio particularis esse debet.

ARTICULUS IV.

De figuris et modis syllogismorum.

82. In syllogismo considerari potest materia et forma. Materia sunt termini et propositiones; ita tamen ut illi dicantur materia remota, quia in tantum conflant syllogismum, in quantum prius componunt propositiones; hae vero dicantur materia proxima, quia immediate ex ipsis syllogismus construitur. Sic se habent lapides et muri quoad aedificium, quod proxime ex his, remote ex illis exsurgit. Forma vero syllogismi est artificiosa dispositio terminorum et propositionum respectu illationis deducendae. Quare dividi solet in *figuram* et *modum*, prout spectatur vel dispositio terminorum in ratione praedicati et subiecti, vel dispositio propositionum secundum qualitatem et quantitatem. De his summatim aliquid delibabimus.

83. Artificiosa dispositio quoad inferendum, seu forma syllogismi, potest primo considerari quoad solos terminos; et haec, ut dixi, appellatur *figura* syllogismi. Quot igitur modis termini in praemissis disponi possunt in ordine ad illationem deducendam, tot diversae syllogismi *figurae* habeantur necesse est. At vero haec diversa ratio disponendi terminos, triplex est. Nam hi vel ita collocantur, ut medius terminus *bis praedicatum*, vel ut bis *subiectum*, vel ut semel *praedicatum, semel subiectum* agat. Si hoc ultimum fiat, talis dispositio vocatur *prima figura;* si primum, *secunda;* sin demum alterum, *tertia*. Praeter has nulla alia figura dari potest; cum nulla alia dispositio terminorum in duabus praemissis excogitari possit. Exemplum primae figurae sit: *Omne rationale est liberum; sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est liber.* Exemplum secundae sit: *Nullum corpus opacum transmittit lucem; sed crystallus*

transmittit lucem; ergo crystallus non est corpus opacum. Exemplum tertiae sit: *Omnis spiritus gaudet intelligentia; sed omnis spiritus est substantia; ergo aliqua substantia gaudet intelligentia.*

84. At animadvertendum est primam figuram concludere posse non modo *directe,* verum etiam *indirecte.* Conclusio directa dicitur, cum termini illationis eumdem locum in ea occupant, quem occuparunt in praemissis; ita ut qui fuit *praedicatum* in praemissis, sit *praedicatum* in illatione, et vicissim qui fuit *subiectum* in praemissis, sit subiectum in illatione. Si contra accidit, nimirum si termini in illatione non occupant eandem sedem, quam habuerunt in praemissis, conclusio dicitur indirecta. Exemplo sit hic syllogismus: *Omne rationale est liberum; sed homo est rationalis; ergo aliquod liberum est homo.* Hinc tribus figuris ab Aristotele productis, quartam addidit Galenus; quae revera non est aliud, nisi prima figura indirecte concludens. Hoc autem solius primae figurae proprium est; nam duae posteriores ita habent terminos, ut necessario alter eandem sedem in conclusione occupet, quam occupavit in praemissis, alter vero diversam, ut paulo attendenti patet.

Memoriam iuvandi gratia tres figurae, de quibus loquuti sumus, exprimuntur hoc versu:

Sub prae prima, sed altera bis prae, tertia bis sub.

Idest medius terminus in prima figura semel subiiciatur et semel praedicetur; in secunda bis praedicetur; in tertia bis subiiciatur.

Regulae vero, quas quaeque figura servare debet, exprimuntur his versiculis:

1. fig.ª *Sit minor affirmans, maior vero generalis.*
2. fig.ª *Una negans esto, nec maior sit specialis.*
3. fig.ª *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*

Ratio est, quia nisi tres dictae figurae has regulas servent, peccabunt contra aliquam ex octo legibus superius constitutis, ut quisque per se periclitari potest. Sed veniamus ad syllogismi modos.

85. Modus syllogismi intelligitur ille, qui resultat ex diversa dispositione praemissarum, quoad qualitatem vel quantitatem. Hinc patet in quaque figura huiusmodi modos esse sexdecim. Nam si attenditur sola qualitas exsurgunt quatuor modi, prout vel utraque praemissa fiat affirmativa, vel utraque negativa, vel maior affirmativa et minor negativa, vel vice versa maior negativa et minor affirmativa. Horum autem singuli quadrifariam variari possunt denuo, ratione quantitatis; prout vel utraque praemissa fiat universalis, vel utraque particularis, vel maior universalis et minor particularis, vel vice versa maior particularis et minor universalis. Ergo omnes tres figurae simul collectae praebent octo et quadraginta modos; quibus si addas sexdecim primae figurae indirectae, habebis modos syllogismi quatuor et sexaginta numero.

86. At horum non omnes sunt utiles ad concludendum, sed solum novemdecim; quippe reliqui peccant contra communes syllogismi leges.

Ex utilibus quatuor pertinent ad primam figuram directam, quinque ad eandem indirectam, quatuor ad secundam, et sex ad tertiam. Omnes autem a Dialecticis expressi sunt quibusdam versiculis; qui, etsi prima fronte ridiculi videantur, tamen diligentius inspecti ingeniosissimi deprehenduntur propter artificium, quo singulos syllogismos eorumque figuras et leges, quibus alii in alios converti possunt, significant. Qui eos irridet, meliores de suo penu in medium afferat, qui eadem arte instruantur et tamen sonent elegantius. En versus, de quibus sermo est.

1. fig.ª Barbara, Celarent, Darii, Ferio. (Indir.ª) Baralipton Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
2. fig.ª Cesare, Camestres, Festino, Baroco (3.ª fig.) Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quaeque harum vocum exprimit syllogismum ope trium vocalium, quae in primis tribus syllabis inveniuntur (1). Unde earum dumtaxat habenda ratio est; quippe aliae litterae quae adiunguntur, appositae sunt vel ad complendum vocabulum, vel ob causam quam sequenti articulo dicemus.

(1) Recole quae diximus de significatione vocalium A, E, I, O, §. 70.

ARTICULUS V.

Demonstratio novemdecim modorum utilium.

87. Demonstrandum hic est novemdecim modos assignatos revera esse utiles ad concludendum. Id autem facillime efficitur respectu quatuor modorum primae figurae directae, qui appellantur *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, et sunt huiusmodi:

BARBARA
Omne bonum et appetendum;
Omnis virtus est bona;
Ergo omnis virtus est appetenda.

CELARENT
Nullum corpus est simplex;
Omnis lapis est corpus;
Ergo nullus lapis est simplex.

DARII
Omnis planta est vivens;
Aliquod corpus est planta;
Ergo aliquod corpus est vivens.

FERIO
Nullum opacum est per se lucens;
Aliquod astrum est opacum;
Ergo aliquod astrum non est per se lucens.

In his evidenter apparet vis concludendi, praeiactis duobus illis principiis: *dicto de omni*, et *dicto de nullo*. Nam si per *dictum de omni* quidquid universaliter distributive praedicatur de aliquo subiecto, praedicari debet de omni eo quod in subiecto illo continetur; profecto attributum *appetenda*, quod in primo syllogismo praedicatum est de *bonis omnibus*, praedicari debet etiam de *virtute*, quae bonum aliquod esse conceditur. Idem dic de praedicato *vivens;* quod quia in tertio syllogismo generaliter affirmatum est de *omni planta*, debet sine dubio affirmari etiam de *aliquo corpore*, quod *planta sit*.

Pari modo si per *dictum de nullo* quidquid universaliter distributive negatur de aliquo subiecto, negari debet de omni

eo, quod subiecto illo continetur; profecto *simplicitas,* cum in secundo syllogismo negata sit de *omni corpore,* neganda etiam erit de *planta,* quae in notione corporis, ut species in genere, continetur. Idem dic de praedicato *per se lucens* quoad quartum syllogismum. Ergo evidenter apparet primos quatuor modos vi concludendi esse praeditos.

88. Non aeque vis concludendi ceterorum modorum potest sic directe demonstrari: sed demonstratur indirecte per eorumdem reductionem ad quatuor praedictos. Quare dicuntur *modi imperfecti,* et ad usum quod attinet, adhiberi nequaquam solent. Hinc intelligis rationem consonantium, quae positae sunt in versibus, quibus singuli modi exprimuntur. Nam consonans initialis indicat modum illum esse reducendum ad eum ex quatuor perfectis, qui eadem littera incipiat. Sic *Baralipton* reduces ad *Barbara, Cesare* ad *Celarent, Datisi* ad *Darii, Fapesmo* ad *Ferio:* atque ita de reliquis. Quid vero est operandum ut fiat reductio, innuitur a consonantibus *S, P, M,* quae sequuntur tres primas vocales significantes tres propositiones, quibus quisque syllogismus conflatur. Nam *S* denotat propositionem, significatam a praevia vocali, esse convertandam *simpliciter; P,* esse convertendam *per accidens; M* denique exprimit mutandas esse praemissas, ita ut maior fiat minor et alternatim.

Ut res ostendatur exemplo, sumatur syllogismus *Fapesmo,* qui sic se habet: *Omnis homo est sensitivus; nullum brutum est homo; ergo aliquid sensitivum non est brutum.* Hic syllogismus ex ante dictis reduci debet ad *Ferio,* nam incipit a litera *F.* Eius maior, quae exprimitur vocali *A,* converti debet per accidens; nam sequentem habet consonantem *P.* Eius minor; quae exprimitur vocali *E,* convertenda est simpliciter; quippe sequentem habet consonantem *S.* Et quoniam insuper invenitur post *S* littera *M,* praemissae mutare debent vicissim sedem, quam occupant. Peractis hisce operationibus, allatus syllogismus convertitur in hunc, qui evidenter est *Ferio:*

Nullus homo est brutum;
Aliquod sensitivum est homo;
Ergo aliquod sensitivum non est brutum.

89. Quod de *Fapesmo* exempli causa diximus, valet de omnibus aliis modis imperfectis syllogismorum, ut quisque per se experiri poterit. Tantum excipiuntur duo syllogismi, *Bocardo* nimirum et *Baroco*, qui praedictam reductionem, quae *extensiva* dici solet, non admittunt.

Haec enim, ut ex dictis patet, peragitur conversione propositionum; propositiones autem, quibus Bocardo et Baroco constant, cum sint vel universales affirmativae, vel particulares negativae, conversionem susciperent in casu prorsus inutilem. Nam de particulari negativa non datur nisi conversio per *contrapositionem*, quae ad rem non facit; universalis autem affirmativa habet conversionem *per accidens*, quae illam transmutat in particularem, ac proinde syllogismum praeberet duabus particularibus praemissis coalescentem. Quare pro demonstranda bonitate illationis in his duobus syllogismis, excogitata est reductio *ad impossibile*. Dicitur autem *reductio ad impossibile*, quando ex contradictoria illationis, quae ab adversario negatur, ostenditur sequi contradictoriam alicuius praemissae, quae ab ipso iam concessa est. Quo facto monstratur evidenter modum illum syllogismi habere vim inferendi; quippe talis est, ut negari nequeat eius illatio, concessis praemissis. Exemplo rem declaramus. Sumatur sequens syllogismus in *Baroco:*

Omnis homo est animal;
Aliquid intellectivum non est animal;
Ergo aliquod intellectivum non est homo.

Si quis illationem hanc negaret, concessis praemissis; sic redargui posset: Si per te falsa est illatio; erit vera eius contradictoria. Hanc ergo sumo ut praemissam, cui appono alteram praemissam a te concessam; et inde per syllogismum *Barbara* eruam contradictoriam alterius praemissae a te pariter concessae. En exemplum:

Omnis homo est animal;
Omne intellectivum est homo;
Ergo omne intellectivum est animal.

Prima propositio est *maior* concessa in praecedenti syllogismo. Secunda est contradictoria illationis negatae. Tertia, quae evidenter infertur, est contradictoria *minoris* iam receptae ab adversario; qui proinde sibimet contradicere cogitur.

Idem dicatur de syllogismo in *Bocardo,* qui sic se habet:

Aliquod animal non est homo;
Omne animal est sensitivum;
Ergo aliquod sensitivum non est homo.

Si quis concessis praemissis, illationem negaret; redargui posset hoc modo: Ponatur ut *maior* contradictoria illationis, quae negata est; retineatur *minor,* et inferatur contradictoria *maioris* ab adversario concessae. En exemplum:

Omne sensitivum est homo;
Omne animal est sensitivum;
Ergo omne animal est homo.

Littera *C,* quae invenitur in *Baroco* et *Bocardo,* innuit, utrumque non admittere nisi hunc modum reductionis. Quare ut id et regulae etiam *reductionis ostensivae* memoria facilius retineantur, inventi sunt hi versiculi:

Simpliciter verti vult *S; P* vero per accid.
M vult transponi; *C* per impossibile duci.

90. Collige ex his, modos syllogismi perfectos esse tantum quatuor primos, nimirum *Barbara, Celarent, Darii, Ferio;* hi enim dumtaxat per se lucent, et aliis non egent ad vim inferendi, qua pollent, manifestandam. Inter omnes vero eminere syllogismum in *Barbara;* quippe qui universalem illationem habet et affirmativam. Ut autem notum est, illatio universalis praestat particulari, et affirmativa negativae.

ARTICULUS VI.

De syllogismo composito et expositorio.

91. Quae hactenus diximus, valent pro syllogismis simplicibus, qui constant propositionibus simplicibus. At praeter hos inveniuntur syllogismi compositi, qui videlicet constant propositionibus compositis. Tres potissimum species recensentur: *conditionalis, disiunctivus, copulativus.* Porro *conditionalis* (qui etiam *hypotheticus* dicitur) is est, qui utramque vel alterutram praemissam conditionalem habet; ut: *Si illuxit, solis ortus propinquat; atqui illuxit; ergo solis ortus propinquat.* Dupliciter argui potest: ex positione antecedentis ad positionem consequentis, vel ex remotione consequentis ad remotionem antecedentis. Exempla sint: *Si loquitur, vivit; sed loquitur; ergo vivit;* et: *Si dies est, lucet; atqui non lucet; ergo non est dies.* Ratio harum legum est, quia ex vero non sequitur nisi verum. Contra non posset ex falsitate antecedentis inferri falsitas consequentis, vel ex veritate huius veritas illius; quia, cum ex falso possit *per accidens* sequi verum, nihil vetat quominus falsum sit antecedens, et tamen verum consequens. Sic si dicas: *Omnis substantia est composita, sed lapis est substantia, ergo lapis est compositus;* illatio erit vera, licet maior propositio sit falsa.

Syllogismus *disiunctivus* audit, si praemissam aliquam continet disiunctivam; ex ipsaque per exclusionem ceterarum partium, quae distribuuntur, inferri potest pars relicta; ut: *Vel degis in Europa vel in Africa; non in Europa; ergo in Africa.* At curandum est ne divisio partium, quae enumerantur, manca sit: secus negatione ipsius argumentum eluditur.

Syllogismus *copulativus* nominatur, cum una saltem praemissa copulativa constat. Hic autem si talis erit ratione praedicati, quod plura de subiecto collectim neget, ex positione unius partis attributi inferri poterit exclusio alterius; ut si dicas: *Nemo servire poterit Deo et pecuniae, atqui multi serviunt pecuniae, ergo non serviunt Deo.* Contra, non habuisset vim, si dixisses: *Atqui multi non serviunt pecuniae;*

ergo serviunt Deo. Hi enim possent alio turpari vitio, quo divina servitus impediatur. Atque haec satis; nam alias partiones non prosequor, ne praecepta nimium excrescant: cum praesertim pleraeque sint ratiocinandi formae, ad quas diiudicandas oppido sufficit generales syllogismi leges applicare, et sensum propositionum expendere.

92. Tantum aliquid addimus de syllogismo, qui dicitur *expositorius.* Hoc nomine ille syllogismus venit, qui constat aut omnibus terminis singularibus, aut *medio* saltem singulari; ut: *Alexander vicit Persas, sed Alexander fuit filius Philippi; ergo filius Philippi vicit Persas.* Iisdem regulis subiicitur ac syllogismus communis; cum proportione tamen, quae facilius ex sensu ipsius propositionis, quam ex praeceptis iudicabitur. Sic prior syllogismus legitimus fuit, quia Philippus unum filium habuit; at si plures habuisset, in illatione non *filius Philippi*, sed *aliquis filius Philippi* dici debuisset, ut nulla aequivocandi ansa daretur.

ARTICULUS VII.

De fallaciis.

93. Fallaciae in sensu logico nihil aliud sunt, nisi *argumentationis vitia;* quibus si inficitur syllogismus, in *sophisma* convertitur.

Prima itaque fallacia latissime patens est violatio legum, quas descripsimus, quae idcirco prae oculis haberi debent. Praesertim animadvertendum est ne syllogismus quatuor revera constet terminis, qui specie tenus tres esse videantur. Quod fit ancipitum vocum abusu, *usurpatione* significationis in syllogismo eodem variata. Exemplum sit illud Dialecticis tritum: *Canis latrare potest; sed aliqua constellatio est canis; ergo aliqua constellatio latrare potest.* Ad hanc fallaciam detegendam opus est ea reminisci, quae de terminis eorumque proprietatibus supra docuimus.

Altera est fallacia *sensus compositi et divisi;* quae tunc incurritur, quando ex eo quod duo praedicata nequeunt alicui subiecto simul competere, infertur ea neque seorsum competere posse vel viceversa; ut si dicas: *Impossibile est vigilantem dormire; sed Petrus vigilat; ergo impossibile*

est Petrum dormire. Dissolvitur distinguendo sensum compositum a diviso.

Tertia est fallacia *figurae dictionis;* qua ex identitate rei fit transitus ad identitatem qualitatis, et quia res diverso modo se habens, vel sumpta sub diverso respectu, eadem dictione nominetur, perinde arguitur quasi eodem modo eodemque respectu accipiatur. Ex. gr. *Ille sepultus hodie est, qui nudius tertius tecum colloquebatur; at is erat homo vivens; ergo sepultus est homo vivens.* Reponitur illum eumdem, at non eodem modo se habentem, sed morte peremptum, seu, quod idem sonat, eius cadaver sepultum esse.

Quarta est fallacia *petitionis principii*, cum ad aliquid probandum id ipsum, quod probari debet, ut certum assumitur. Ex. gr. si quis animum humanum nunquam esse periturum ostenderet, ex hoc principio, quod animus dissolutioni corporis in perpetuum sit superstes. Huc revocatur *circulus vitiosus*, qui in eo situs est, ut quis ratiocinando in illud idem tandem recidat, a quo initium sumpsit, aut duarum propositionum alteram vicissim per alteram demonstret.

Quinta est *ignoratio elenchi* seu argumentationis; qua peccatur cum quis extra controversiam evagatur et demonstratione sua aliud evincit, quam quod in quaestione versatur. Accidit id plerumque cum disputantes se mutuo non intelligunt, aut cum dolose alter alterius sententiam in alienam interpretationem torquet.

Sexta, *assumptio non causae pro causa,* vel *causae partialis pro totali.* Exemplum erit, si quis propterea, quod non pauci philosophi humano generi nocuerunt, inferret philosophiam per se esse nocivam; vel quia unum sequitur aliud, hoc eius esse causam sine alia ratione deduceret, quasi sic ratiocinans: *Hoc post illud, ergo ex illo.*

Haec accurate sunt cogitanda, si bonus ratiocinator esse velis. Etsi enim fallaciae, praesertim cum ex ambiguitate dictionis enascuntur, ita sint putidae et pueriles, ut nonnisi stupidum hominem capiant; tamen nonnunquam fucatae sunt, et latentes adeo, ut prudentem etiam decipiant, nisi diligentiam adhibeat.

ARTICULUS VIII.

De ceteris argumentandi generibus, quae facile ad syllogismum reducuntur.

94. Integra ac simplicissima ratiocinii expressio, ut diximus, est syllogismus, quippe qui tria refert iudicia; quot revera ratiocinatio comprehendit. At aliae exstant argumentationes, quae a syllogismi aut integritate aut simplicitate desciscunt, ntpote quae aut iudicium aliquod reticeant, aut plura offerant quam una ratiocinatio complectatur. Potissimum recensentur: *Enthymema, Sorites, Epichirema, Polysyllogismus, Dilemma.* De singulis pauca.

Enthymema, argumentatio est duabus propositionibus coalescens, quarum una infertur ex alia; ut si dicas: *Animus humanus est spiritualis; ergo est immortalis.* Iisdem legibus ac syllogismus regitur; quia reapse syllogismus quidam est detruncatus, seu cuius una praemissa reticetur. Haec autem etsi ore non exprimatur, mente tamen revera profertur. Nequit enim mens conclusionem inferre, quin celerrime praemissas intueatur, unde illa consequitur.

Sorites, seu acervalis, ut a Tullio nominatur (1), argumentatio est pluribus propositionibus ita constans, ut semper praedicatum praecedentis fiat subiectum sequentis, donec formetur conclusio, in qua subiectum primae cum praedicato ultimae copuletur. Exemplum sit: *Homo personali dignitate ornatur; qui personali dignitate ornatur, iuribus destitui nequit; qui iuribus destitui nequit, in purum instrumentum boni alterius converti non potest; ergo homo in purum instrumentum boni alterius converti non potest.* Huius argumentationis infrequentior est usus; quippe propter nimiam propositionum congeriem, mentem impedit quominus dilucide vim illationis perspiciat.

Hoc argumentandi genere, quod Tullius, rei dialecticae apprime peritus, captiosissimum appellat (2), ratus est Tracyus simplicissimam omnium germanamque ratiocinii formulam

(1) *De Divinatione,* lib. II, c. 4.
(2) *Acad.* lib. II, seu *Lucullo,* c. 16.

contineri. Verum errorem ipsius facile perspicies, si cogitaveris soritem nil esse aliud, nisi acervum syllogismorum, ita tamen ut horum aliquae praemissae et intermediae omnes illationes omittantur.

Ut autem vitium omne in usu soritis declinetur, caveas primo ne praedicatum propositionis praeviae, dum subiectum insequentis evadit, aliquantulum immutetur. Deinde, ne aliqua propositio falsa vel ambigua intermisceatur. Denique, ne solis negativis propositionibus constet; tunc enim sorites resolvendus foret in syllogismos ex meris negativis coalescentes, ex quibus, ut dictum est supra, nihil sequitur. Quod si difficilior ad iudicandum aliquando sorites occurrerit, ipsum resolve in syllogismos, quos mutilat et comprehendit; atque ita indubie et facile intueberis vitiosusne sit an secus.

Epichirema est syllogismus, cuius vel alterutri vel utrique praemissae probatio adiungitur. Exemplum hoc habe: *Quodlibet ens spirituale est incorruptibile prorsus; nam partibus caret et a materia non pendet. Atqui animus humanus est spiritualis, siquidem est intelligens. Ergo animus humanus est incorruptibilis prorsus.* Ut vides, iisdem legibus, quibus simplex syllogismus, regi debet.

Polysyllogismus est argumentatio, in qua uni completo syllogismo alter ita subnectitur, ut conclusio praecedentis fiat praemissa sequentis. Exemplo sit: *Quod est immutabile prorsus, caret principio et fine; sed Deus est immutabilis prorsus; ergo Deus caret principio et fine; sed quod ita se habet, est aeternum; ergo Deus est aeternus.* Ut patet, aliud revera non est, quam multiplex syllogismus, et ideo iisdem atque ille gaudet legibus.

Dilemma est argumentatio ita bifariam distributa, ut utraque eius pars assumatur atque ad concludendum adhibeatur. Cuiusmodi est illud Tertulliani in Apologetico: *Vel nocentes sunt Christiani, vel innocentes. Si nocentes; cur inquiri prohibes? Si innocentes; cur delatis poenam irrogas?* Ad eius rectitudinem, duo cavenda sunt. Primum, ne inter distributionis partes detur quid tertium, ut ex. gr. in dilemmate Socratis morituri, sic aientis: Aut in morte sensus omnis adimitur, ut in somno, aut animus ad feliciora loca migrat. Si primum, suaviter quiescam. Sin alterum, felicius vivam cum Orpheo, Ulysse ceterisque praeclaris viris. Ergo mori

expedit. Nil concludit dilemma istuc, quippe tertium adest, nempe ad aeternam miseriam demigratio. Deinde videatur, ne retorqueri possit contra ipsum argumentantem. Sic accidit in dilemmate illius, qui alteri persuadere conabatur, ne rempublicam administrandam susciperet, ita ratiocinatus: Vel male vel bene administrabis. Si primum, Diis displicebis; sin alterum, hominibus. Ergo hoc munus suscipere non expedit. Quod qui ipsum interrogaverat sic in eundem retorsit: Vel bene vel male, ut dicis, rempublicam administrabo. Si primum, placebo Diis; sin alterum, hominibus. Utrumvis igitur contingat, id muneris expedit.

ARTICULUS IX.

De inductione.

95. Inductio dicitur argumentatio, qua enumeratione singularium universale aliquod infertur; v. gr. cum singillatim haec et haec corpora gravitate donari conspiciens, id de omnibus corporibus in genere affirmandum esse deducis.

De hac argumentationis specie separatim loquimur, propterea quod prima fronte a syllogismo penitus differre videtur, eique opposita constare natura. Syllogismus enim hoc habet proprium, ut particulare aliquod ex universali derivet. Nam illatio ad quam devenit, non est nisi principii alicuius universalis ad peculiare subiectum applicatio. Contra inductio in hoc tota vertitur, ut ex inspectione casuum particularium, phaenomena aliqua exhibentium, ad generalem quamdam legem statuendam assurgamus. Quare maximopere inservit scientiis experimentalibus, eaque nituntur axiomata physicae tantum certitudinis.

At si rite perpenditur, inductio a syllogismo essentialiter non discrepat, sed forma tantum. Nec mirum id cuipiam videri debet; siquidem syllogismo generalis processus ratiocinantis animi continetur; nulla autem argumentatio extra processum eiusmodi evagari potest. Quare maximopere deerravit Baconus, qui sola inductione laudata syllogismum diris devovit; quae sententia si praevaleret, Logica penitus pessumdaretur. Clarissime id patebit ex iis, quae mox dicturi sumus.

Inductio dividi potest in eam, quae per enumerationem completam, et eam, quae per enumerationem incompletam procedit. Illa est, quae individua singula recenset; ut si quis planetas omnes lucem a sole mutuari inferret, propterea quod observatione instituta, de singulis id compererit. Hoc ubi contingit, inductio in syllogismum manifeste resolvitur. Ad substantiam enim quod pertinet, sic procedit exempli gratia: Planeta A, planeta B, planeta C, planeta D, et sic de aliis, ut experientia constat, lucem a sole recipiunt; atqui hi sunt planetae omnes hactenus cogniti; ergo planetae omnes hactenus cogniti lucem a sole recipiunt.

96. At plerumque omnia particularia singulatim inspicere et experiri impossibile est. Tunc inductio contenta est enumeratione incompleta; siquidem non omnium particularium, sed nonnullorum tantum observatione aut experimento nititur. Haec etiam inductio ad syllogismum tandem refertur; quod per se clarebit, si eius processus intime penetretur.

Huiusmodi inductio, quae non in omnium sed aliquorum enumeratione fundatur, diligenter cavere debet ne temere pauciores casus observet, quam par sit ad aliquid generatim de omnibus inferendum. Secus enim vitiosa esset inductio, a veritate aliena, et ad concludendum omnino impar; quippe in sophisma incideret, quo perperam ab individuis ad speciem et a specie ad genus fit illatio. Nam etsi quod commune esse convincitur, idem individuis omnibus insit necesse est; non tamen contra, quod individuis inest, idem continuo commune esse convincitur. Ut hoc ex inspectione individuorum constet, requiritur sane ut ostendatur phaenomena illa in individuis procedere non a proprietate quadam privata singularium, sed a proprietate quae toti speciei communis sit. Tot igitur individua examinari debent, ac tamdiu observatio et experimenta iteranda sunt atque continuanda, donec ad id liquido dignoscendum perveniatur. Tunc tantum enumeratio illa incompleta individuorum ius dabit ad idem asserendum de tota specie et ad legem universalem affirmandam, qua regantur etiam individua nondum observata. Quod sane infertur vi illius axiomatis: *Eaedem causae physicae eosdem semper producunt effectus;* aut, quod idem sonat: *Leges naturae sunt constantes.*

At vero, ut quisque videt, in eo casu inductio convolutum sibi habet syllogismum, in quem proinde evolvi potest. Huic enim ratiocinationi aequivalet: Experientia manifestat haec aut haec phaenomena in individuis, quae observata sunt, procedere non a casu aliquo aut ex individuali quadam proprietate, sed a lege naturali aut aliqua proprietate specifica, quae illis inest et consequenter communis est omnibus aliis individuis nondum exploratis. Atqui leges naturae sunt constantes, et eadem causa physica eundem semper gignit effectum. Ergo quotiescumque occurret individuum eiusdem ordinis aut naturae, eadam phaenomena procul dubio expectanda sunt.

97. Inquies, nullam in his difficultatem cerni, sed explicari oportere quo pacto in individuis observandis atque experiendis detegi possit phaenomeni causa, ut certum evadat illam non esse sitam in fortuita aliqua aut individuali rei circumstantia, sed in natura ipsa aut proprietate specifica. Repono hanc notitiam obtineri diligentia observationis et experimentorum, quae instituuntur; et potissimum olfactu quodam quasi venatico rationis, qui praeceptis non acquiritur, sed dono traditur a natura. Ceterum ut principio aliquo communi dirigaris in rebus saltem usitatioribus, canonem hunc accipe et animo radicitus fige: *Ea est habenda causa phaenomeni cuiuslibet, quae ubi adest, phaenomenum adest; ubi demitur, phaenomenum demitur; ubi crescit, phaenomenum crescit; ubi decrescit, phaenomenum decrescit.* Hoc axiomate illustratus, non aegre definire poteris in casibus peculiaribus quaenam sit phaenomeni causa, si multiplices experimenta et observationes, variando subiecta particularia et adiuncta quae rem comitantur. Nam si constanter plura individua alicuius speciei, in ceteris diversa et solum convenientia in certa quadam qualitate, eadem offerunt phaenomena, licet varietur tempus, locus et reliquus circumstantiarum apparatus; indubium erit, phaenomena illa nonnisi ab ea qualitate procedere, et, ut consequens est, in reliquis etiam individuis esse oritura, quae eadem qualitate ornantur. In hoc etiam, ut vides, semper syllogismis nixus progrederis; nec passum ullum tendere posses, si syllogismo destituereris.

98. Ad inductionem revocari potest argumentatio ex analogia vel paritate deprompta, cum nimirum aut simile ex si-

mili infertur (quod pertinet ad paritatem); aut ex proportione una nobis comperta ad aliam non compertam fit illatio, quod spectat ad analogiam. Sic cum videamus bruta nobiscum convenire in structura organorum et in motibus sensationi respondentibus, ea sentiendi viribus donari iure deducimus. Eiusmodi quoque argumentatio syllogismo nititur, cuius praemissam hoc agit principium: *Ubi eadem aut consimilis ratio militat, idem aut consimile iudicium ferendum est.* Ut autem ab hoc argumentandi genere error omnis arceatur, sedulo considerandum est utrum inter ea, pro quibus instituitur, vera similitudo aut proportio vigeat necne. Quae profecto talis esse debet, ut ad idem *attributum* utrisque concedendum aut negandum adigat. Quod nisi fuerit, coniecturam dumtaxat aut probabilitatem ea ratiocinatio suppeditabit.

ARTICULUS X.

De inventione medii.

99. Tota ratiocinationis instituendae difficultas in inventione medii termini sita est. Eo enim invento, nullo negotio instruitur argumentatio per comparationem extremorum cum ipso quae fiat in praemissis; ex qua comparatione sequitur ut eadem extrema in illatione conveniant vel non conveniant inter se. At medii termini inveniendi facilitas nequit per logica praecepta conquiri; cum pendeat ex peritia singularum scientiarum, in quibus instituitur ratiocinatio. Id tantum hic doceri potest, quomodo generatim medius terminus se habere debet quoad extrema, seu terminos illationis, propter quos uniendos vel separandos flagitatur.

100. Ut igitur rem hanc declaremus, observandum est illationem quadruplicem esse posse; nimirum aut universalem aut particularem, et in utroque casu vel affirmativam vel negativam. Ad has illationes derivandas suppetunt undeviginti syllogismorum modi, de quibus supra loquuti sumus. Horum tamen primi quatuor tantum considerandi sunt; tum quia reliqui, ut vidimus, ad eos reducuntur, tum quia eorum dumtaxat est usus in ratiocinando, cum omnium clarissimi sint et structuram syllogismi simplicius referant. Ex his vero

quatuor duo posteriores, nimirum *Darii* et *Ferio,* negligi a nobis hic possunt; propterea quod illationem continent particularem, quae proprie ad scientias non pertinet et ex universali consequitur. Satis igitur est animum convertere ad solos duos primos modos argumentandi, nimirum ad *Barbara* et *Celarent;* quorum alter concludit universali affirmativa, alter universali negativa, et quorum medii termini opportuni sunt pro ceteris omnibus ratiocinandi modis.

101. His praenotatis, pro inventione medii duas tantum statuimus regulas:

I. Ad ratiocinandum in *Barbara,* seu ad probandam propositionem universalem affirmativam, quaerendus est terminus qui sic se habeat quoad praedicatum et subiectum illationis, ut subiiciatur primo et affirmetur de secundo. Exemplo rem illustremus. Demonstranda tibi sit haec propositio: *Omnia entia naturae sunt ordinata ad finem.* Id indubie probabis si nanciscaris terminum, de quo dicatur praedicatum tuae propositionis et simul ipse dicatur de eiusdem propositionis subiecto. Considerationi occurret fortasse hic terminus: *opus intelligentiae,* qui duplici illi muneri optime satisfacit. Hunc igitur syllogismum extrues: *Omnia opera intelligentiae sunt ordinata ad finem; sed omnia entia naturae sunt opus intelligentiae; ergo omnia entia naturae sunt ordinata ad finem.*

II. Ad ratiocinandum in *Celarent,* seu ad probandam propositionem universalem negativam, pro medio quaerendus est terminus, qui sic se habeat respectu praedicati et subiecti illationis, ut repugnet primo et conveniant secundo. Sic, verbigratia, demonstranda tibi sit haec propositio: *Nullum ens finitum est ens improductum.* Id facile perficies, si inveneris terminum, cui repugnet notio improducti, et tamen dici debeat de omni ente creato. Inter alios qui obiici possent, occurret fortasse conceptus *entis mutabilis,* qui ex una parte cum notione *improducti* conciliari nequit, et ex alia omni enti *finito* competit. Sic igitur conficies syllogismum: *Nullum ens mutabile est ens improductum; sed omnia entia finita sunt entia mutabilia; ergo nullum ens finitum est ens improductum.*

Ratio harum regularum est, quia nequit ulla notio universaliter competere alicui subiecto, quin hoc ipso eidem

competant affirmationes vel negationes, quae ex notione illa oriuntur.

102. Quod si agatur non de probatione directa, sed de probatione indirecta, ad inveniendum medium syllogismi excogitandum erit quaenam absurda consequerentur, nisi vera esset propositio (affirmativa sit vel negativa, non refert) de qua disputatur. Sic in allatis exemplis demonstrari poterit: *omnia entia naturae ordinari ad aliquem finem, quia secus aut a Deo non procederent, aut Deus temere operaretur.* Itemque probabitur *nullum ens finitum esse improductum;* quia *secus summa perfectio, nimirum esse a se, fundamentum esset omnium imperfectionum, quae finiti notionem comitantur.*

Haec praecepta, ut perspicis, potius docent qualis esse debeat medius terminus, quam fontes indicent, e quibus hauriatur. Verum praeter hoc, nihil aliud iure exigi potest a Logica; quae formam dumtaxat ratiocinandi, non materiam praebet, circa quam ratiocinatio versatur. Huiusmodi materia suppeditanda est e scientiis realibus; in quarum proinde disciplina et studio praedicti fontes reperiuntur. Generatim tantummodo dicere possumus ad inveniendum medium conferre plurimum ut mentis obtutu diligenter circumspiciatur tum subiectum tum praedicatum propositionis demonstrandae, ac sive ex analysi idearum, quibus extrema illa constant, sive ex experientia, quam de iisdem consequuti sumus, eruere conemur quid utrique conveniat vel repugnet. Hac enim trutina facile apparere poterit aliquid, cui insint dotes, ad medium exhibendum idoneae.

FINIS PRIMAE PARTIS LOGICAE.

LOGICAE PARS ALTERA

Expleta Logicae parte, quae planior erat et primum veluti disciplinae rudimentum; ad aliam nos convertamus, quae altius assurgit et superioris complementum est et quasi culmen. Quare, ut supra notavimus, *Logica maior* a veteribus nominata est, propterea quod copiosius, quam *Logica minor*, de obiecto disserat et ad scientiae naturam magis accommodate. Hinc mirum esse non debet, si aliqua, quae iam tacta sunt, hic denuo examinanda et quasi polienda resumantur; non tam enim diversitas rerum, quam potius tractationis spectanda est.

Praeter adductum discrimen, hoc etiam differt praesens tractatio ab ea, quam iam exegimus: quod illa generales leges enucleat, quibus mens in operando regitur; haec ad subiectum ipsum iis legibus gubernandum propius accedit, ac finem quem mens spectat, media quibus utitur, vias quas percurrit, pericula quae declinat, atque alia huc pertinentia, subtili investigatione rimatur. Unde factum est ut etiam *Logica materialis* dicta sit a nonnullis, qui contra *Logicae formalis* nomen Dialecticae impertiverunt.

Atque hinc apparet quanta cautio adhibenda nobis sit, ne in alienam segetem falcem mittamus. Haec enim Logicae pars, cum Psychologiae confinia proxime tangat, facile adduci potest ut in eius campum excurrat. Quod sane magnam doctrinae confusionem afferret, utriusque disciplinae terminis male permixtis. Illud etiam enixe curandum nobis est, ut claritati et brevitati simul consulamus, et ut, quantum fieri poterit, dialectica disputandi ratio servetur. Detestabilis enim errorum lues, quae hodie scientias saepe commaculat, inde potissimum profluxit, quod severa ratiocinandi forma neglecta ad exlegem quemdam disserendi morem philosophi deflexerint.

CAPUT PRIMUM

DE VERITATE MENTISQUE HUMANAE QUOAD ILLAM STATIBUS.

103. Quinque articulis caput hoc expedietur. Primum, quid sit veritas et in quo actu cognitionis reperiatur; deinde quatuor mentis statibus respectu veritatis enumeratis, separatim de ipsis, quae dictu potiora sunt, innuemus.

ARTICULUS I.

Quid sit veritas et in quo actu cognitionis inveniatur.

104. Veritas, ut usu notum est, non modo *conceptibus* attribuitur, sed etiam *signis*, quibus illi extrinsecus exprimuntur, et praeterea *obiectis* ipsis, circa quae notitia versatur. Sic veras ideas, verum sermonem, veras res nominamus. Hinc profecta divisio est in veritatem *logicam*, *moralem*, et *metaphysicam*, seu, ut veteres aiebant, in *cognoscendo*, in *significando*, in *essendo*.

Veritas logica cognitionem afficit, et convenientiam conceptus importat cum re, quae percipitur. Nam ea cogitatio, quae obiecto consonat, vera habetur; quae contra obiecto dissidet, falsa nuncupatur. Sic vera est cognitio, qua sol apprehenditur ut corpus immane; contra esset cognitio falsa, si eius moles tanta iudicaretur, quanta propter distantiam apparet.

Veritas metaphysica in ipsa obiecti realitate consistit, quatenus ad veram sui notitiam ingenerandam est idonea. At si de rebus creatis agitur, quoniam hae in tantum sunt atque ad veram sui cognitionem movere possunt, in quantum ideae supremi Artificis respondent; earum veritas metaphysica in huiusmodi convenientiam cum ideis divinis tandem aliquando resolvitur.

Postremo, veritas moralis in concordia sermonis vel signorum cum sententia animi collocatur. Illum quippe *veridicum* dicimus, qui quod mente concipit, verbis exprimit; qui contra aliud mente cogitat, aliud ore sigificat, mendax audit. Sed

huiusmodi veritas potius *veracitas* dici debet, eiusque consideratio ad scientiam morum pertinet, quae leges honestae operationis tradit. Verba autem prout sub consideratione speculativa veritatem continent, ad logicam veritatem reducuntur; siquidem in ipsis sub eo respectu non aliud attenditur, nisi consensus inter conceptum, quem denotant, et obiectum.

105. Ex his elucet veritatem, quaecumque ea sit, semper in aliqua convenientia morari, semperque ordinem quemdam ad cognitionem involvere. Quare sapienter a S. Thoma veritas generatim definita est, *adaequatio rei et intellectus* (1).

Patet etiam, verba (quippe quae ab arbitrio proferentis pendent) et cogitationes humanas (utpote errori obnoxias) falsitate aliquando laborare posse; at res, cum nequeant divinis ideis non congruere, proprie esse falsas nequaquam posse. Non enim Deus talis est artifex, qui opus suum a forma, quam mente concepit, desciscere sinat. Improprie tamen res naturales quoad nos tantum quandoque falsae dicuntur; in quantum, etsi per se ad veram sui notitiam gignendam aptae sint, tamen propter adiuncta, quibus circumdantur, falsae notioni ansam praebent. Sic dici solet falsum aurum, quod in se reapse est verum orichalcum.

106. Omissa veritate morali, quae, ut dixi, ad scientiam morum spectat, et omissa veritate metaphysica, cuius tractatio propria est Ontologiae; solam veritatem logicam ulterius discutiendam sumimus, eam nimirum, quae afficit cognitionem. Huiusmodi veritas, ut diximus, consensus est et adaequatio cognitionis cum obiectis; ac proinde in concreto spectata nihil aliud est, nisi cognitio suo obiecto respondens. In hoc sensu dixit Augustinus *veritatem esse, quae ostendit id quod est* (2); per eam enim patefit menti entitas, qua obiectum in se constituitur. Ne tamen in errorem incidas, adverte adaequationem, de qua loquimur, intelligendam esse sub ea tantum parte, qua obiectum per cognitionem repraesentatur. Non enim, ut notio sit vera, necesse est ut obiectum plene et quoad omnia, quae complectitur, attingatur. Secus sola scientia divina veritate frueretur, cum tan-

(1) « Per conformitatem intellectus et rei veritas definitur. » *Summa theol.* I. p. q. 16, art. 2.

(2) *De vera religione,* c. 36.

tum ipsa notitiam obiecti quaqua versus exhauriat. Sed ad veram cognitionem habendam plane sufficit ut obiectum aliquo pacto percipiatur, et sub eo respectu, quo percipitur, notioni concordet. Sic licet ignores exempli gratia internam structuram lunae; tamen vera erit notitia, quae eius exsistentiam tibi refert.

Haec quidem planissima sunt et facile ab omnibus intelliguntur. Illa subtilior est quaestio, in quo mentis actu veritas reperiatur, num solum iudicium an simplicem etiam apprehensionem informet. Quae sane quaestio tanti momenti est, ut mirandum omnino sit eam passim a philosophis negligi. Ad ipsam vero resolvendam sic procedimus.

PROPOSITIONES

107. Propositio 1.ª *Veritas proprie et perfecte nonnisi in iudicio inest.*

Probatur primo ex *signo*. Nam oratio quae mentis conceptus exprimit, veritatem aut falsitatem non habet, nisi propositionibus constet. Sic si profers voces disiectas, *mundus, corpora, motus,* et cetera, quae simplices tantum conceptus significant, nemo sermonem tuum verum aut falsum esse dicet. Contrarium accidit, si terminis illis propositionem aliquam confles, ut si dicas: *In mundo sunt corpora; corpora sunt immobilia.* At propositio iudicium significat.

Probatur secundo ex *natura ipsorum actuum mentis.* Veritas est perfectio cognitionis. Ergo in illo actu mentis plene et proprie invenitur, in quo plene et proprie invenitur cognitio. Atqui hoc non competit, nisi iudicio. Ergo veritas plene et proprie soli iudicio inest. Et sane simplex apprehensio est potius cognitio quaedam initialis et inchoata, quae ad iudicium per se tendit. Idcirco enim a simplici apprehensione exordium cognoscendi sumimus, quia motu quodam in cognoscendo ferimur et ab imperfecto procedimus ad perfectum. Vi igitur simplicis apprehensionis obiectum se sistit in mente; at clare et distincte non collucet, nisi in quantum plura attributa, sive re sive ratione tantum distincta, in ipso detegimus. Id autem divisionem et compositionem cognitionis importat, nempe iudicium. Sic si virtutem mere

apprehendis, cognitionem aliquam habes valde imperfectam, quae paene nihil dicit. Eam postea perficis et comples, cum acutiore mentis intuitu rationem *virtutis* rimando intelligis, *virtutem esse habitum voluntatis, esse perfectionem propriam naturae liberae, esse summopere laudabilem;* quae, ut patet, iudicia sunt, non simplices apprehensiones.

Probatur tertio ex *ratione ipsa veritatis.* Veritas in adaequatione mentis cum obiecto sita est. At mens proprie non adaequatur obiecto, nisi per iudicium. Ergo nonnisi in iudicio veritas reperitur. Et sane per simplicem apprehensionem fit tantum repraesentatio quaedam obiecti in mente. At repraesentatio dici nequit conformis aut difformis prototypo, nisi ut ipsius expressio spectetur. Sic imago picta, exempli gratia nec laudari ut similis, nec vituperari ut dissimilis revera potest, quamdiu absolute inspicitur et ad nullum exemplar refertur.

Dices: si ita est, veritas nonnisi in cognitione reflexa invenitur, in cognitione nimirum, qua repraesentatio obiecti dignoscitur ut talis, nempe quatenus repraesentatio est rei alicuius a se distinctae.

R. *Nego prorsus.* Nam hic non agitur de actu mentis, quo intelligamus nos habere veritatem; qui actus sine dubio reflexionem involvit. Sed agimus de actu mentis, qui tantum informatur veritate. Hic autem tametsi directus, nihilominus exquirit ut similitudo obiecti, quam habet, munus similitudinis explicite exerceat, quatenus sit notitia quae dicat aliquid esse, vel non esse, sic aut aliter esse. Quod sane non fit, nisi per iudicium quo res concepta de subiecto aliquo affirmatur vel negatur. Attamen tam res, quae concipitur, quam subiectum, de quo affirmatur vel negatur, directe intelliguntur, quin attendere oporteat ad repraesentationem idealem, quae nos afficit et forma quaedam subiectiva est mentis. Non enim sermo est de veritate prout actui intellectus inesse cognoscitur, seu de conscientia veritatis; sed mere sermo est de veritate prout actum intellectus exornat: ad quod sufficit iudicium, quo res dicatur esse quod est, aut non esse quod non est (1).

(1) Vide S. Thomam, *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. 9.

108. Propositio 2.ª *Etsi non plene et perfecte, inchoative tamen simplici etiam apprehensioni veritas inest.*

Prob. primo. Veritas dos est cognitionis. Atqui simplex etiam apprehensio cognitio quaedam est. Ergo veritatem aliquo modo participat.

Prob. secundo. Simplex apprehensio aliquid profecto refert; repugnat enim cogitatio, quae nihil referat. At nequit cogitatio aliquid referre, quin hoc ipso aliqua eiusdem similitudine fruatur; similitudo autem adaequationem importat. Simplex igitur apprehensio adaequatione quadam gaudet; ac proinde veritatis aliquo modo subiectum est.

Prob. tertio. Mens, cum obiectum simpliciter apprehendit, ita in eo cogitando sistit, ut ipsum cum aliis non confundat, sed solum ea, quae ipsi insunt, contempletur. Ergo ex hoc capite veritatem assequi incipit. Siquidem mens obiecto iam tum incipit adaequari, quatenus, licet eidem non tribuat explicite notas, quas contuetur (quod iudicii proprium est); eas tamen illi tribuit velut implicite, et quasi impetu quodam naturali.

109. Propositio 3.ª *Veritas sub eo respectu, quo competit simplici apprehensioni, ab ea separari non potest.*

Prob. Nam, etsi iudicium dissentire possit ab obiecto, quatenus dicat ipsum aut non esse quod est, aut esse quod non est; hoc tamem contingere nequit de simplici apprehensione, cum impossibile sit ut per ipsam non referatur id, quod reapse refertur. Et sane cum ex. gr. concipis *exsistentiam*, *vitam*, *libertatem* atque alia, quotquot concipi possunt; hoc ipso quod rem abstracte intueris et nulli subiecto tribuis, cogitatio, quam exerces, excidere nequit ab illius similitudine. Sicut enim res exsistens sua propria entitate constat; sic etiam cogitatio sua propria constat forma ideali, seu expressione rei, quae cogitatur. Quare simplex apprehensio, hoc ipso quod compositione et divisione caret, nunquam falsa esse potest. Sic enim non comparatur, nisi cum obiecto quod actu reapse repraesentat; cui proinde nequit non consentire.

Dices: obiectum, quod apprehenditur, repraesentari poterit comitatum aliqua nota, quae ipsi non conveniat. Tunc apprehensio, licet simplex et nihil affirmans, falsa erit.

R. In eo etiam casu simplex apprehensio non erit falsa per se, sed tantum ratione latentis iudicii, in quod deinceps converti posset. Enimvero quamdiu nota illa extranea de obiecto non affirmatur, immerito cognitio, quae eandem mere offert, falsitatis arguitur. Tantum dici posset, eam esse falsam *occasionaliter* et *dispositive*, quatenus exinde ansa datur intellectui proferendi falsum iudicium. Sic si montem aureum mere concipis, captare fortassis hinc poteris occasionem pronuntiandi montem eiusmodi in exsistentium esse numero. At, si periculum hoc excipias, apprehensio illa nullam per se continet deceptionem. Sicut enim montis aurei exsistentiam non negat, sic etiam non asserit, sed mere in abstracto contemplatur.

110. Propositio 4.ª *Veritas et falsitas proprie non est in sensibus; est tamen, quatenus suo modo iudicium imitantur.*

Prob. prima pars. Sensus proprie non iudicant, sed tantum percipiunt. At veritas et falsitas, ut supra demonstratum est, proprie non invenitur nisi in iudicio. Ergo sensus nequeunt esse proprie subiectum veritatis et falsitatis. Id aperte docet S. Thomas multis in locis ac speciatim in *Summa theologica*, ubi sic iniquit: « *Proprie loquendo veritas est in intellectu componente et dividente* (id est iudicante), *non autem in sensu neque in intellectu cognoscente quod quid est* (idest simpliciter apprehendente)' (1). »

Hinc quod diximus de simplici apprehensione mentis, etiam sensibus proportione quadam applicari debet; eos nimirum, quatenus mere percipiunt, nunquam falli; falli autem dici posse, quatenus occasionem fallendi intellectui praebent.

Prob. secunda pars. Sensus aliqua ratione umbram quamdam iudicii continent. Nam, cum corporeas qualitates non in abstracto sed in concreto percipiant, pro termino suae cognitionis compositum quoddam habent, nempe corpus ipsum prout qualitatibus quibusdam ornatur. Sic cum oculis percipis colorem, non abstracte percipis sed concrete, nimirum in pariete: ac proinde percipis quodammodo parietem ipsum, prout colore illo perfunditur. Quare oculi, etsi non iudicando,

(1) *Summa theol.* I. p. q. 16, art. 2.

tamen exercitio ipso proprii actus colorem in pariete esse testantur; quod imitationem quamdam iudicii videtur amplecti. Sub hoc respectu sensus veritatem et falsitatem participare dicuntur, sicut dicuntur etiam iudicare.

Egregie totam hanc doctrinam exhibet S. Thomas, cuius integrum locum transcribere iuvat: « Cognitio nostra, quae a rebus initium sumit, hoc ordine progreditur; ut primo incipiat in sensu, deinde perficiatur in intellectu, ut sic sensus inveniatur quodammodo medius inter intellectum et res. Est enim rebus comparatus quasi intellectus, et intellectui comparatus quasi res quaedam. Et ideo in sensu dicitur esse veritas vel falsitas dupliciter. Uno modo secundum ordinem sensus ad intellectum; et sic dicitur esse sensus falsus vel verus, sicut res; in quantum videlicet facit veram existimationem in intellectu vel falsam. Alio modo secundum ordinem sensus ad res; et sic dicitur esse veritas vel falsitas in sensu sicut et in intellectu, in quantum iudicat scilicet esse quod est, vel non esse quod non est. Si ergo loquamur de sensu secundum primum modum, sic in sensu quodammodo est falsitas et quodammodo non est falsitas. Sensus enim et est res quaedam in se et est indicativus alterius rei. Si ergo comparetur ad intellectum prout est res quaedam, sic nullo modo est falsitas in sensu, intellectui comparato; quia secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat. Unde Augustinus dicit, in auctoritate inducta, quod non possunt omnino enuntiare nisi affectionem suam. Si autem comparetur ad intellectum, secundum quod est repraesentativus alterius rei; cum quandoque repraesentat ei aliter rem quam sit, secundum hoc sensus falsus dicitur, in quantum natus est facere falsam existimationem in intellectu, quamvis non necessario faciat, sicut et de rebus dictum est, quia intellectus sicut iudicat de rebus, ita et de iis quae a sensibus offeruntur. Sic ergo sensus, intellectui comparatus, semper facit veram existimationem in intellectu de dispositione propria, sed non de dispositione rerum. Si autem consideretur sensus secundum quod comparatur ad res, tunc in sensu est veritas vel falsitas per modum quo est in intellectu. In intellectu primo et principaliter invenitur falsitas et veritas in iudicio componentis et dividentis, sed in formatione quidditatum nonnisi per ordinem ad iudicium, quod ex formatione prae-

dicta consequitur. Unde et in sensu proprie veritas et falsitas dicitur secundum quod iudicat de sensibilibus, sed secundum hoc quod sensibile apprehendit non est ibi veritas et falsitas proprie, sed solum secundum ordinem ad iudicium (1). »

ARTICULUS II.

De variis mentis statibus respectu veritatis assequendae.

111. Assequi veritatem nihil aliud significat, quam proferri iudicia consona rebus, circa quas intellectus versatur. Id clarum est ex iis, quae in superiore articulo explanata sunt, cum demonstravimus veritatem proprie iudiciis tantum contineri.

Iam age quoad huiusmodi adeptionem veritatis mens in quadruplici statu reperiri potest. Nam vel nullum iudicium, immo nullam ideam de re habet; vel habet quidem ideam, sed quoad proferendum iudicium haeret anceps; vel ex habita idea ad iudicium aliquod proferendum graditur. Si primum contingit, mens in mera ignorantia versatur; si secundum, dubitare dicitur; si tertium, tunc aut iudicium illud cum oppositi formidine mens pronuntiat, et sic dicitur opinari; aut omni haesitatione vacat, et tunc dicitur certa esse. Praeter enumeratos casus nullus alius possibilis apparet. Status igitur mentis quoad veritatem assequendam quatuor tantum esse possunt: *ignorantia, dubium, opinio, certitudo.*

112. Ut hos animi status definias, ignorantiam dices: *Statum mentis, in quo nullum iudicium aut idea rei habetur.* Haec esse potest vel universalis, si circa omnia versetur, ut in infantibus; vel particularis magis minusve extensa, si veritates aliquae pauciores pluresve nesciantur, ut in ceteris hominibus et in creata quavis intelligentia. Dubium erit, si mens de obiecto, quod contemplatur, nihil affirmat et nihil negat. Et quidem si hoc inde evenit, quod ex neutra parte ratio, a qua mens moveatur, elucet; dubium erit negativum, quod parum ab ignoratione differt. Sin mens ideo haeret, quia utrinque ratio aliqua intellectum in suam partem in-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate*, art. 11.

clinat, dubium erit positivum. Dubium igitur dici poterit: *Status mentis, in quo, obiecto proposito, in neutram contradictionis partem adducimur.* Opinionis status, qui medius est inter dubium et certitudinem, is nuncupabitur, *in quo mens obiecto assensum adhibet, at non sine formidine oppositi et haesitantia quadam.* Hic status dici etiam solet probabilitatis. Sed melius probabilitatis nomine pondus momentorum, quibus ad assensum non certum impellimur; assensum vero hunc ipsum opinionis vocabulo significabis.

Ad opinionem revocari poterit suspicio, quae licet iudicium non sit, est tamen quaedam ad iudicandum inclinatio. Quatenus iudicium non est, ab opinione differt; quae iudicium semper includit, licet non firmum. At quatenus propensionem exhibet ad iudicandum, propter indicia quaedam vel motiva, quae in re apprehenduntur, est veluti via et quasi inchoatio opinionis.

Denique certitudinis status ille erit, *in quo animus obiecto firmiter adhaeret, sine ulla dubitatione aut oppositi formidine.* Quae quidem adhaesio per se nonnisi circa veritatem versatur; sola enim veritas vim habet attrahendi mentem sic, ut ab eius assensu omnem titubationem excludat. At quoniam mens adhaerere aliquando potest falso, quod debitae considerationis defectu verum appareat; efficitur hinc ut persuasio quaedam nascatur in animo, quae vocis abusu appellari quoque solet certitudo, cum in se opinionis ambitum non praetergrediatur. Sic contingit aliquando ut quis mordicus teneat rem, quae ceteroquin a veritate discedit. Quod si perdurat firma illa animi sententia, etiam cum detegitur error; ea tunc nec certitudo nec opinio vocanda est, sed obstinatio mentis et pertinacia. Idem proportione quadam dici potest de evidentia, quae per se nonnisi veritatem condecorat; quamvis negligentia cogitantis credatur nonnunquam esse evidens, quod evidens reapse non est.

Sed tum de evidentia, tum etiam de certitudine, fusiore aliquanto sermone dicendum est.

ARTICULUS III.

De certitudine et evidentia.

113. Scopus mentis nostrae in veritatem conantis is est, ut rerum certam evidentemque notitiam consequamur. Iam vero *certitudo* in quadam immobilitate mentis, obiecto adhaerentis, proprie sita est, et definiri posset: *Stabilitas assensus, obiecto adhaerentis propter motivum aliquod, quo obiectum firmatur.* Sic iudicium quo mens sic rem affirmat, ut simul existimet eam aliter esse non posse, certum dicitur.

At quoniam certitudo ex actu mentis ad ipsum obiectum, quod respicitur, transferri solet; hinc praeter certitudinem subiectivam, de qua diximus, obiectiva etiam considerari potest. Quo nomine intelligitur *aptitudo ipsa obiecti ad extorquendum assensum, sine dubio ac formidine oppositi.* Sic libertas humana, animi simplicitas, sexcentaque alia, per se inspecta, obiective certa dicuntur. Diximus *per se inspecta*, quia aptitudo gignendi certum assensum cuilibet vero per se competit, licet considerationis defectu aut alia de causa ad actum saepe non perducatur.

Utraque certitudo, subiectiva nimirum et obiectiva, dispesci potest in metaphysicam, physicam et moralem. Nam tum firmitas adhaesionis, tum aptitudo ad eam producendam fundari possunt in ipsa rei natura nexuque idearum, vel in experientia et constantia legum naturalium, vel denique in hominum testimonio atque legibus, quibus humani mores temperantur. Horum si primum contingat, certitudo erit metaphysica, ut in his veritatibus: *Totum maius est parte, Non datur effectus sine causa;* sin alterum, certitudo erit physica, ut quoad has propositiones: *Exsistunt corpora, Ignis adurit;* si denique tertium, certitudo erit moralis, ut in his iudiciis: *Caesar exstitit, Parentes diligunt filios.*

114. Evidentia pariter in *obiectivam* tribuitur et *subiectivam.* Nam res quaevis, hoc ipso quod est, quadam veluti luce in se collustratur, seu necessario pollet virtute apparendi intellectui nostro, si eidem obiiciatur. Haec igitur vis apparendi, quae analogia lucis exprimitur, evidentiam obie-

ctivam constituit. Quod si obiectum certum et evidens menti proponatur, in ipsa mente exsurgit perceptio quaedam clara et quasi lumine circumfusa, qua res dignoscitur. Hoc igitur lumen, haec claritas perceptionis, quae mentem afficit, evidentia subiectiva seu formalis appellatur. Cum vero evidentia et certitudo intimo nexu inter se copulentur, consequitur ut etiam evidentia in *metaphysicam, physicam* et *moralem* partienda sit.

115. Demum tum certitudo tum evidentia in *immediatam* et *mediatam* dividi possunt. Immediate certa et evidentia dicuntur, quae animo sine ratiocinatione, statim ac proponuntur, apparent. Huiusmodi sunt tum ea, quae conscientia per se testatur, ut *cogito, exsisto, dolore afficior,* hisque similia; tum quae sensus referunt, ut *corpora sunt gravia, dies est, sidera collucent;* tum denique quae complectimur intelligentia, ut *nequit idem simul esse et non esse; quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* ceteraque prima, quotquot exstant, principia per se nota. Mediate autem certum vel evidens dicitur id, cuius veritas non simul atque animo obiiciatur patet, sed ratiocinatione indiget, debetque ex aliunde notis demonstrari. Huiusmodi sunt hae veritates: *Animus humanus est immortalis; Deus exsistit,* aliaeque quamplures quas discursu mentis comparamus.

PROPOSITIONES

116. Propositio 1.ª *Verum evidenter apparens necessario gignit certitudinem.*

Prob. Omnis potentia necessario conquiescit in possessione boni, ad quod tendit. At bonum mentis est veri cognitio; verum autem cognosci ac menti evidenter apparere idem prorsus est. Vero igitur evidenter apparente, nequit mens in eius cognitione non conquiescere. At quies in cognitione certitudinem constituit. Ergo certitudo necessario sequitur verum evidenter apparens.

117. Propositio 2.ª *Certitudo mentis per se proportionalis est motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit.*

Prob. Effectus proportionalis est causae, a qua progignitur. Atqui certitudo mentis per se progignitur a motivo, quod

ex parte obiecti ad assentiendum trahit; mens enim idcirco firmiter adhaeret obiecto, quia stabile motivum in ipso conspicit. Ergo certitudo mentis per se proportionalis est motivo, quod ex parte obiecti ad assensum pertrahit.

Nota: Motivum huiusmodi, quod in obiecto ad assensum impellit, appellatur *obiectum formale*. Sic in hac veritate: *effectus exposcit causam*, obiectum formale erit necessarius nexus inter subiectum et praedicatum.

118. Propositio 3.ª *Certitudo mentis per se proportionalis est etiam essentiae subiecti intelligentis, et lumini sub quo obiectis adhaeretur.*

Prob. Nam actus et ea, quae actum consequuntur, per se attemperantur fundamentali perfectioni subiecti, a quo actus elicitur, et qualitatibus quae subiectum proxime disponunt ad actum eliciendum. Sed fundamentalis perfectio subiecti est eius essentia; lumen sub quo obiecto adhaeretur, proximam dispositionem exhibet, qua subiectum fit idoneum ad cognitionem eliciendam. Ergo actus cognitionis et ea, quae ipsum consequuntur, proportionalia per se sunt tum essentiae subiecti intelligentis, tum lumini sub quo obiecto adhaeretur. Sed inter ea, quae actum cognitionis consequuntur, maxime recensenda est certitudo; quae ut quies potentiae cognoscitivae ex cognitione ipsa naturaliter pullulat. Ergo certitudo per se proportionalis est essentiae subiecti intelligentis, et lumini sub quo obiectis adhaeretur.

Dixi *per se*, quia *per accidens* certitudo variari potest ex aliis etiam capitibus; ex ingenio nimirum maiori vel minori, ex attentionis gradu, speculationis exercitio atque aliis causis id genus. Verum haec diversitas accidentalis tantum est, non essentialis, quoad intelligentias eiusdem speciei et eodem lumine illustratas.

119. Propositio 4.ª *Certitudo metaphysica, physica et moralis specie differunt inter se, et una alteri praestat.*

Prob. Quod specie differant, demonstratione non eget: nam obiectum formale in ipsis est diversum; obiectum autem formale speciem impertit actui et iis, quae actum consequuntur.

Quod vero una alteri praestat, facile suadetur; si animum attendas non ad partem negativam, nimirum exclusionem dubii, quae indivisibilis omnino est et gradus non habet; sed ad partem positivam certitudinis, nimirum intensitatem

adhaesionis, quae ex obiecti formalis firmitate procedit. Nam, ut constat ex propositione secunda, certitudo proportionalis est motivo, cuius virtute obiectum ad assensum pertrahit. Ergo ubi motivum est efficacius et maiore vi praeditum, certitudo, quae inde gignitur, est praestantior. Atqui ita se res habet in certitudine metaphysica respectu physicae, et in certitudine physica respectu moralis (1). Ergo secunda praestat tertiae, et ambabus prima.

Atque ut exemplo rem veluti ob oculos statuamus, sumantur tria iudicia, quorum primum certitudine metaphysica, alterum physica, tertium morali gaudeat. Sint haec: *Totum maius est parte; Aqua refrigerat; Beneficia animum alliciunt.* Ut perspicis, prima propositio identitate constat idearum, ac talis est ut eius oppositum semper et omnino repugnet. Secunda legibus naturae fulcitur; quae licet constantes sint, a Deo tamen praeter ordinem suspendi possunt. Tertia stabilitate nititur legum moralium, quae licet firmae per se sint, ordinem tamen ad voluntatem includunt, quae in ente mutabili depravationem subire potest. Id autem etsi certitudinem obiecti propriam non demat, minus tamen arctum reddit nexum inter attributum subiectumque propositionis. Quare iudicia secundi et tertii generis absoluta non gaudent necessitate sed tantum hypothetica, quae in casu peculiari exceptioni obnoxia est. Hanc enim conditionem semper subaudiunt: dummodo legibus naturae non derogetur, et leges morales in subiecto, de quo agitur, vim suam exerceant. Quae cum ita sint, nemo non videt tres enumeratas certitudinis species sic se habere, ut non modo differant inter se, verum etiam una alteri vel cedat vel antecellat. Earum autem, ut patet, excellentissima est metaphysica; huic succedit physica; moralis tertium locum occupat.

(1) « Licet certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas, nihilominus non consistit formaliter in privatione sed in positiva perfectione, quae potest esse maior et minor iuxta excellentiam actus et causarum eius: sicut substantia immaterialis magis vel minus perfecta quoad spiritualem suam entitatem esse potest, licet privatio materiae, quae nomine immaterialis substantiae significatur, in omnibus aequalis esse videatur. » Suarez, *Tract. de Fide,* Disp. 6, sect. 3, §. 8.

120. Propositio 5.ª *Certitudo Fidei supernaturalis quamlibet certitudinem naturalem excedit.*

Prob. Haec propositio non est nisi corollarium propositionis secundae et tertiae. Nam Fides supernaturalis stabilius assentiendi motivum perfectiusque lumen menti suppeditat, quam quaevis evidentia naturae. Quare si certitudo eo maior est, quo nobilius lumen intellectui affulget, motivumque adhaerendi magis firmum atque a falsitate plus alienum ad assensum trahit; quisque perspicit certitudinem divinae Fidei qualibet certitudine naturali maiorem esse.

Et sane divina auctoritas, qua ad credendum impellimur, magis est errandi nescia, quam quaelibet metaphysica evidentia rationis. Itemque lumen Fidei, quo mens illustratur, quamlibet naturalem intelligentiae lucem exsuperat. Apposite Suarez, qui postquam asseruit Fidem divinam certitudine naturali, quaecumque ea sit, longe superiorem esse; sic propositionem confirmat: « Ratio autem proprie sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo Fidei; fundatur enim in prima Veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quam naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo Fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est, quam lumen naturale intellectus. Huiusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem . . . . . Denique quatenus Fides pendet ex voluntate, ut iam dicam, nititur in speciali motione Spiritus Sancti, quae efficax est ad praestandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit, ut certitudo Fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurant, quibus homo satisfacere nesciat nisi ad Fidem confugiendo, quod est etiam apertum signum maioris certitudinis (1). »

121. Denique quaeri posset an certitudo ab intrinseca evidentia separetur aliquando, ita ut aliquid nobis certum habeatur, quin tamen evidenter appareat. Qua in re distinctione est opus. Nam aut sermo est de obiectis, quae humanum captum non excedunt; et quoad haec fieri nequit ut evidentia a certitudine seiungatur, nisi *per accidens*, in homine nimirum indocto respectu veritatum ad scientiam aliquam per-

(1) Loco superius citato, §. 14.

tinentium. Sed per se loquendo in huiusmodi veris certitudo nunquam ab evidentia dissociatur, si menti rite proponuntur. Nulla enim est causa cur obiectum eiusmodi evidenter apparere non debeat; cum et in se evidentiam habeat, et intelligentiae nostrae viribus sit consentaneum. Sin autem sermo est de obiecto, quod nostram intelligentiam superet, vel etsi non superet, fide tamen divina credendum sit; tunc procul dubio certitudo ab evidentia separari potest. Nam cum Deus ad effectum aliquem producendum naturalibus mediis non indigeat, applicare optime potest sine evidentia motivum, atque ita assensum certum et firmissimum a mente nostra elicere, quin evidens apparentia obiecti ad assentiendum nos adigat. Sic accidit in assensu fidei supernaturalis, quem veritatibus revelatis praestamus, quemadmodum theologi fuse explicant.

Solvuntur difficultates.

122. Contra diversos gradus certitudinis, quos statuimus, sic forte obiicies: Certitudo quaevis sita est in indivisibili, nempe in mera dubitationis carentia. Atqui quae sunt eiusmodi, gradus nullos habent, atque ideo unum ab alio superari non potest. Ergo certitudo in qualibet veritate est eadem, nec una alteri praestat.

R. *Distinguo maiorem:* Certitudo quaevis sita est in indivisibili seu in mera dubitationis carentia, quoad partem negativam et exclusionem defectus, *concedo;* quoad perfectionem positivam, ex qua illa exclusio dubitationis emergit, *nego. Distinguo* pariter *minorem:* Quod est eiusmodi, idest si quoad omnem sui partem sita est in invisibili, gradus non habet, *concedo;* si in indivisibili sita est quoad solam partem negativam et exclusionem alicuius defectus, *nego.*

Certitudinis diversitas et unius praestantia prae altera non in dubii vacuitate, sed in positiva perfectione adhaesionis ac varietate motivi, trahentis ad assensum, reponitur. Quod cum in probatione explanatum sit satis, fusius explanari non eget.

Instabis: Saltem certitudo Fidei certitudini naturali non praestat, sed potius cedit. Nam certitudo naturalis est eiusmodi, ut invitos etiam cogat; contra vero Fides nonnisi volentes trahit.

R. *Nego instantiam.* Ad probationem *distinguo:* Certitudo naturalis invitos etiam cogit ratione maioris firmitatis, *nego;* ratione evidentiae, *concedo.*

Cum mens facultas sit necessaria, a vero evidenter proposito assensum cohibere non potest; idque si faceret, iam a sui natura desciscceret. Contra, ubi evidentia deest, medium desideratur quod ordine naturae idoneum sit ad intellectus extorquendam adhaesionem. Ex quo efficitur, ut veritas naturalis evidenter apparens mentem adigat ad assensum; non ita veritas supernaturalis, quae externo tantum criterio, nempe Dei revelantis testimonio, fulcitur. At hinc non aliud infertur, nisi priorem assensum esse necessarium, utpote evidentem; alterum vero liberum, utpote evidentia orbatum. Nos autem praestantiam Fidei prae certitudine naturali non ex evidentia et necessitate assensus, sed a nobilitate luminis supernaturalis, quo mens instruitur, atque ab excellentia motivi desumpsimus; quae certe affatim praestantiora esse in Fide, quam in scientia naturali, nemo nisi amens inficiabitur.

Obiic. II. Certitudo physica et moralis nulla est. Nam certitudo constat exclusione dubii. Atqui neutra illarum dubium excludit. Etenim, cum leges sive physicae sive morales exceptionem aliquando pati possint; sic in singulis casibus obiecto assentimur, ut semper dubitatione pulsemur, numne tunc praecise exceptio habeatur.

R. *Nego assumptum.* Ad probationem *concedo maiorem,* et *nego minorem;* cuius probationi hanc oppono distinctionem: Nisi ex circumstantiis constet nullum in casu illo esse exceptioni locum, *concedo;* si vero id constat, *nego.*

Cum exceptio legibus naturalibus fieri debeat a Deo, et Deus temere non operetur; si nulla est ratio, quae suadeat cursum naturae in casu illo esse suspensum, nonnisi insipienter nos ad id suspicandum moveremur. Itemque cum exceptio in legibus, quae mores hominum gubernant, provenire debeat ex abusu libertatis, quo quis veluti humanitatem exuerit; absurdum est dubium, quando nulla est ratio, quae tale portentum in casu, de quo agitur, coniicere faciat. Quare, etsi absolute et abstracte exceptio possibilis sit; eam tamen in concreto non dari scire possumus. Quo posito, animus obiecto adhaeret, quin ulla oppositi formidine exagitetur. Hoc tan-

tum ex possibilitate illa inferre licet, certitudinem physicam et moralem non esse *prorsus absolutam*, quemadmodum est metaphysica, cuius contrarium plane repugnat: sed esse semper *hypotheticam*, nimirum eiusmodi quae conditionem involvat, *ne exceptio* contingat in ordine rerum aut morum. Verum id non certitudinis naturam destruit, sed gradum quemdam inferiorem praebet.

ARTICULUS IV.

De probabilitate.

123. Plerumque non modo in vitae usu, verum etiam in scientiis ipsis certitudinem assequi non possumus; sed probabilitate dumtaxat contenti esse debemus. Abs re itaque non erit aliqua hic de illa summis labiis degustare.

Probabile, ut ipsum nomen indicat, idem est ac dignum quod probetur; sicut amabile, dignum quod ametur. Saepe enim momenta, quae rem suadent, etsi non omnem dubitandi locum excludant; tamen adeo gravia sunt, ut prudentis viri assensum iure mereantur. Tunc obiectum probabilitate ornari dicitur; quae proinde esse potest interna vel externa, prout momenta illa vel ex ipsa obiecti natura, vel ex testantium auctoritate proveniunt. Sed in utroque casu motivum, quod ad assensum impellit, validum esse debet atque huiusmodi, ut opposita argumenta, quibus forte oppugnatur, quantum satis est debilitet. Nam si res verisimilitudine tantum aut levi ratione vel infido testimonio nititur, probabilitatem revera nullam suppeditat, et leviter probabilis vel etiam improbabilis appellatur. Nequit enim dignum approbatione dici, quod viri prudentis assensum non meretur; vir autem prudens nonnisi gravi momento permotus rei non certae assensum praestat.

124. Cum sola certitudo, et quidem ex ea parte, qua dubium excludit, in indivisibili sita sit; probabilitas, quae profecto certitudo non est, extensionem quamdam et latitudinem habet, intra quam spatiari potest ac maior esse vel minor, prout magis minusve firmis aut auctoritatis aut rationis ponderibus roboretur. Quocirca assensus his adhibitus, quem opinionem appellavimus, magis minusve probabilis esse potest.

125. Qua in re arbitrantur aliqui probabilitatem minorem unius propositionis in conflictu maioris, qua contradictoria forte gaudet, prorsus elidi et improbabilem reddi. Sed hi vehementer errant. Nam etsi evidens certitudo propositionis cuiuspiam contradictoriam falsam efficiat, eique omnem probabilitatem adimat; simile tamen non contingit cum de mera probabilitate, utcumque maiori respectu minoris, est quaestio. Utrinque enim motiva militant prudentis assensus; grave autem et sufficiens motivum suo robore non destituitur, tametsi cum graviore conferatur. Magis enim et minus, ut fert effatum, non mutat speciem; nec dignitas inferior in dedecus degenerat, eo quod a maiori dignitate superetur; nec subobscurior lux in tenebras vertitur, si cum vividiore luce confligat. Et re quidem vera, probabile, ut diximus, idem est ac dignum quod probetur; idest quod habet motiva adeo gravia, ut prudentem virum ad assensum suadere possit. Iam vero huiusmodi motiva non cessant esse id quod sunt, idest gravia et digna viro prudenti, propterea quod graviora militant pro altera parte: nisi haec tanti sint ponderis, ut contrariae partis fundamenta penitus convellant. Donec id accidat, propositio gravibus fulta momentis in sua probabilitate perdurat, etiamsi cum probabiliore contendit. Praeterea, nulla est repugnantia in hoc quod sententia probabilior sit falsa. Secus, si id impossibile foret, probabilior sententia in certam commutaretur, quod est contra hypothesim, de qua loquimur. Ergo, cum sententia minus probabilis possit esse vera; non est cur eam rationabiliter improbemus, seu dicamus esse improbabilem. Accedit, quod non raro sit valde arduum definire, modo quodam absoluto, utra ex contrariis sententiis maiori probabilitate fruatur. Contingit enim saepenumero, ut quod alicui probabilius videtur, minus probabile videatur alteri; cum huiusmodi iudicium plerumque dependeat ex dispositione animorum aliisque circumstantiis, quae in librandis hinc inde argumentis magnam vim exerunt.

126. Solent etiam nonnulli ad varios probabilitatis gradus determinandos certitudinem in aliquot secare particulas, quasi unitatem in totidem *fractiones*. Verum id improbandum omnino videtur. Certitudo enim, utpote quae quoad dubii exclusionem in indivisibili moretur, nequit in partes ullas dividi; nec rerum quoad speciem differentium potest una ceu

fragmentum alterius considerari. Sic inepte cogitaretur imaginatio bruti veluti *fractio* rationis humanae. *Fractio* enim per alterius *fractionis* continuatum additamentum unitatem vel aequiparat vel etiam superat; imaginatio autem belluina nullius imaginationis perfectioris accessione rationem hominis unquam aequabit. Quod generatim de omni re diversae speciei, et proinde de probabilitate etiam respectu certitudinis sentiendum est. Non igitur probabilitas tamquam certitudinis frustum fingi poterit. Si id fieret, essentiale discrimen utriusque tolleretur, et certitudo ex probabilitatum congerie coagmentari dicenda esset. Quo errore nihil est in scientiis perniciosum magis; nam certitudinem omnino demeret, solumque summum gradum probabilitatis relinqueret.

ARTICULUS V.

De humanae ignorantiae atque errorum causis.

127. Ignorantiae, seu cognitionis carentiae, causa est primum ipsa naturae conditio. Homo enim scientiis orbatus nascitur, ad quas pedetentim comparandas industria, labore, sensuum ministerio atque sedula mentis cogitatione indiget. Est hinc ut non parva temporis intercapedine, dum adolescat, rerum fere omnium ignoratione teneatur. Deinde cum fit aetate provectior et ad scientias appellit animum, etiam tum ad multorum notitiam non assurgit, sive ratione limitum, quibus mens humana coërcetur, sive defectu experientiae, ex qua scientia hominis exorditur. His mederi incommodis, aliisque, quae omnia referre supervacaneum foret, in nostra potestate non est. Illa potius innuamus, quibus remedium aliquod afferri potest.

Ex horum numero est primum tum inertia quaedam animique torpor, tum voluptatum appetitio. Ille a laboribus absterret, qui ad scientias artesque addiscendas suscipiendi sunt; haec mentem alienat et sensuum oblectamentis affixam acie destituit ac perdit. Unde fit ut miseri hi homines, silice propemodum stupidiores, nihil fere, quod sensum superat, intelligere valeant.

Altera ignorantiae causa est ordo praeposterus studiorum. Non pauci enim sunt, nostra praesertim aetate, qui morae

impatientes, aut pueruli ad philosophiae studia se conferunt, antequam facilioribus disciplinis mentem imbuerint; aut in plures scientias easque dissitas, quibus nec tempus nec ingenium suppetit, simul incumbunt. Quo fenore? Ut mens praemature adhibita et aggerie idearum ultra vires oppressa, leviter aut ne leviter quidem erudiatur.

Tertia ignorantiae causa ex immodico abstractarum subtiliumque cognitionum contemptu repetitur. Fato enim nescio quo haec sententia multorum animos occupat: quiquid supra sensum extollitur, quidquid experientia oculorum vel tactus non est exploratum, quidquid ratiocinatione nititur, quidquid universalem cognitionem exhibet, quidquid in summa altum sapit, nonnisi deliramentum, chimaeram, inanem subtilitatem esse. Quo vitioso more efficitur ut mens torpeat, ac nobilioribus neglectis notionibus, ignorantiae tenebris teneatur. Cavendum quidem est, ne speculationis illecebra mens irretita nimis magnum studium multamque operam conferat in res obscuras ac difficiles easdemque non necessarias. At curandum pariter est, ne ea omittantur, sine quibus pleraeque disciplinae non scientiam sed factorum indigestam historiam praeseferrent.

Quarta causa ex inepta studiorum electione dimanat; saepe enim fit ut nullo scientiarum delectu, quin spectetur quo ingenium ferat, ad ea studia adolescentes propellantur, ad quae non natura, non consilium, sed casus, temeritas, libido ducit. Hinc usu evenit ut et in his operam oleumque perdant, et ceteris disciplinis non imbuantur, ad quae idoneum ingenium sortiti sunt. Antequam igitur quis huic potius quam alteri disciplinae penitus hauriendae se dedat, consideret quaeso quid valeant humeri, quid ferre recusent, nec omnes posse omnia.

128. Ad errorem vero quod attinet, hic non est aliud quam assensus falsae propositioni adhibitus, vel dissensus verae; quae pestifera cognitionum lues vario ex fonte dimanat.

Primum ex praeiudicio, seu anticipata quadam animoque alte defixa opinione, qua qui semel animum imbuerit, eam haud facile poterit dedoceri. Remedium erit, sapiens quaedam et moderata dubitatio, qua nihil ut certum admittatur, nisi aut per se evidens sit, aut legitima ratiocinatione constet,

aut fide dignorum auctoritate fundetur, iuxta materiae, de qua agitur, diversum genus.

Alter erroris fons est affectuum dominatus; siquidem, ut optime Aristoteles inquit, quisque iudicat prout afficitur: tanta vis est voluntatis ad intellectus iudicia perturbanda. Id vitii effugere qui volet (omnes autem velle debent), quantum in ipso est conabitur ut in iudiciis ferendis mens, ratio, consilium, non cupiditatum inclinatio dominetur.

Quamplures fontes, ut brevi dicam, ad negligentiam quandam, seriae considerationis defectum, nimiam propriae perspicacitatis fiduciam passim reducuntur; ex quibus fit, ut argumenta utrinque militantia nihil aut leviter perpendantur, ac temere iudicium properetur. Hoc vitabit quis, si sibi diffidat, adhibeatque ad considerandas res et tempus et diligentiam.

Denique errorum fons, latissime nunc patens, est neglectus Logicae, cuius severitate posthabita, academico stilo, saepe sub eloquentiae lenociniis turpissima sophismata propinantur. Logicae igitur sedulo vacandum; atque ea, quae forte oratorio ritu disputata reperies, ad dialecticam erunt normam exigenda. Ita fortassis non pauca videbis, quae si verborum spolientur fuco, nullam argumenti vim, immo etiam ne constantem quidem sibi sententiam retinebunt. Hoc praeceptum maximi momenti est hac praesertim aetate in libris recentiorum auctorum volutandis.

129. Baconus notiones falsas idola nominat; earumque quatuor genera recenset: *idola tribus, idola specus, idola fori, idola theatri.* Idola tribus fundata esse ait in ipsa hominum natura, seu melius, ex ea occasionem sumere; atque horum septem fontes assignat. Primus est inclinatio mentis ad maiorem ordinem et aequalitatem credendam in rebus, quam reapse sit. II. Animi aversatio ab iis, quae semel admissis contradicunt. III. Quod iis, quae subito et facile mentem feriunt, homo maxime moveatur ceteraque illis esse similia opinetur. IV. Quod mens semper ulterius gliscat, nec facile conquiescat. V. Affectuum vis, quae ad id, quod volumus, vehementer inclinat. VI. Sensuum illecebrae; unde fit ut ea, quae in sensus incurrunt, anteponamus iis quae sensum effugiunt, licet validiora sint; et rerum invisibilium considerationem negligamus. VII. Inclinatio mentis ad abstracta.

Idola specus ea dicit, quae ex individui singulari natura et conditione proveniunt, sive in eius temperamento, sive in educatione et assuetudine fundamentum habeant. Potissimum inde exsurgunt: I. Quod peculiari scientiae, quam quisque adamat, reliquas facile mancipet et accommodet. II. Quod ingenia, cum alia quidem sint acuta et apta ad rerum notandas differentias, alia sublimia et idonea ad notandas similitudines, haud aegre in alterutrum labantur excessum. III. Quod sint qui nimium in admirationem antiquitatis rapiantur, et qui penitus sint ad novitates effusi.

Idola fori, quae ex societate mutua hominum ingenerantur, potissimum ortum habere ait ex verborum fallacia. Atque id dupliciter contingere. Primum, cum nomina rerum, quae non sunt, adhibentur, ex. gr. *fortuna, casus,* hisque similia; deinde cum nomina confusae significationis et male definita commiscentur.

Tandem idola theatri ea dicuntur ab ipso, quae ex falsis dogmatibus philosophiarum et praeposteris demonstrationum regulis emergunt. Cui incommodo ut resistamus, duo proponit adiumenta: primum, ut fundamento philosophiae in principiis naturae constituto, rationalium simul et empiristarum excessus caveantur; deinde, ut inter pronuntiandi praefidentiam et acatalepsiam, seu *incomprehensibilitatem*, medium veluti tendatur iter (1).

CAPUT SECUNDUM

DE MEDIIS ASSEQUENDAE VERITATIS.

130. Media, quibus pro veritate assequenda a provido naturae Auctore donati sumus, cognoscendi facultatibus continentur; his enim obiecta detegimus, seu ideas et iudicia nobis comparamus. Porro de huiusmodi facultatibus disserere ad Psychologiam proprie pertinet; quae earum naturam, distinctionem, modum operandi et cetera exquirit. Nihilominus, respectu quodam, earum pertractatio Logicae etiam tribui potest, quatenus nempe ea tantum spectentur, quae referuntur

(1) *Novum organum,* lib. I, §. 39 et seq.

ad usum earum facultatum, prout veritati comparandae deserviunt. Neque id mirum cuipiam videri debet; saepe enim idem obiectum a pluribus scientiis sub diversa ratione attingi solet, ut alias observavimus.

ARTICULUS I.

Brevis descriptio facultatum cognoscendi.

131. Facultates cognoscendi sub consideratione logica, nimirum quatenus ad veritatem acquirendam referuntur, reduci possunt ad quatuor: videlicet sensus, conscientiam, intelligentiam, rationem. Nam obiecta omnia vel sunt per se evidentia atque huiusmodi ut immediate cognoscantur; vel contra per se non patent, sed tantum innotescunt adminiculo alterius cognitionis. Si hoc secundum intercidit, ad iudicia de ipsis proferenda non pervenimus, nisi ratiocinatione; et facultas, quae id praestat, appellatur ratio. Sin eveniat primum, tunc obiectum illud, immediate notum, vel ad ordinem idealem vel ad realem spectat. Si spectat ad ordinem idealem, quatenus sit aliqua notio in suis intrinsecis characteribus contemplanda, facultas, qua attingitur, vocatur intelligentia. Sin spectat ad ordinem realem, tunc obiectum huiusmodi vel erit ipsum subiectum cogitans, et facultas, quae illud attingit, appellatur conscientia; vel erunt corpora in propria concretione percepta, et facultas his respondens nominatur sensibilitas. De singulis gradatim agamus.

132. Sensibilitas est vis quaedam perceptiva, quae ab anima ope organorum corporis exercetur (1); et esse potest externa aut interna. Sensibilitas externa quinque organis corporeis utitur, quae sunt oculi, aures, nares, palatus, cutis. Hinc in quinque sensus dispescitur: videlicet visum, auditum, olfactum, gustum et tactum.

Unusquisque horum sensuum proprium habet obiectum, quod ab alio neutiquam attingi potest. Sic obiectum proprium visus est lux cum coloribus ex ea emergentibus; auditus sunt

(1) Nomine *organi* significatur pars corporis peculiari structura gaudens pro exercitio functionis alicuius vitalis. Quod si haec functio vitalis sit sensatio, organum dici solet etiam *sensorium*.

soni, ex motu vibratorio corporum elasticorum enati; olfactus sunt odores, qui ex evaporatione corporum oriuntur; gustus sunt sapores, ex solutione corporum quae vi salivae in ore peragitur; tactus sunt resistentia corporum ac temperatura, earumque diversi gradus et modificationes.

Haec obiecta non modo impressionem aliquam materialem in organis gignunt, sed etiam in ipsa facultate sentiendi determinationem aliquam producunt, quae illam ad talem potius quam aliam sensationem eliciendam inflectit. Id necessario infertur ex eo, quod sensus, qui per se indifferens est, in peculiarem actum prosilit; quod sine intrinseca determinatione ipsius potentiae contingere nequit; ex indifferenti siquidem nihil sequitur. Huiusmodi determinatio (quae, cum ipsam vim sentiendi afficiat, confundenda non est cum materiali organi immutatione) appellabatur a veteribus *species sensibilis impressa;* sicut perceptio, quae inde consequitur, *species sensibilis expressa* audiebat. Quod sane vocabulum, si cuipiam forte non placet, in aliud commutari potest; modo res per ipsum significata retineatur; siquidem impossibile est ut sentiendi facultas ad actum determinetur, quin influxum aliquem ab obiecto provenientem in se recipiat.

Vi obiecti proprii alia etiam sensibus percipiuntur, quae non ad unum sensum sed ad plures referuntur. Huiusmodi sunt extensio, figura, motus, quies, distantia, numerus; quae idcirco *sensibilia communia* appellata sunt.

Denique notandum est utrasque affectiones non abstracte sed concrete a sensibus percipi, idest quatenus actu corporibus inhaerent. Revera enim nos non tam colorem videmus, quam coloratum; non tam quantitatem tangimus, quam quantum; non tam sapores gustamus, quam sapidum. Hinc quodammodo ipsa substantia corporea, non quidem ratione sui, sed ratione sensilium qualitatum, quibus afficitur, a sensu attingi dici potest. Huiusmodi obiectum dicebatur a veteribus *sensibile per accidens;* quatenus, exempligratia, huic vel illi colorato aut resistenti (quod est *obiectum per se* sensus) accidit esse hominem, vel brutum, vel plantam, et sic de reliquis. Hinc dicere solemus nos videre hominem, tangere equum, olfacere rosam et cetera.

Tria igitur obiecta sensuum distingui debent: sensibile proprium, sensibile commune, sensibile per accidens: « Simi-

litudo alicuius rei, ait S. Tomas, est in sensu tripliciter. Uno modo, primo et per se; sicut in visu est similitudo colorum et aliorum propriorum sensibilium. Alio modo, per se sed non primo, sicut in visu est similitudo figurae vel magnitudinis et aliorum communium sensibilium. Tertio modo, nec primo nec per se, sed per accidens; sicut in visu est similitudo hominis, non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem (1). » In omnibus tamen his obiectis sensus non attingit nisi factum dumtaxat illius concretae exsistentiae; quin ullo pacto se extendat ad essentiam, quae obiectum solius mentis est.

133. Praeter sensibilitatem externam, est in nobis sensibilitas interna, ut experientia testatur. Nam, praeter corpora externa in nos influentia, corpus ipsum nostrum persentimus, prout vita gaudet et bonis vel malis dispositionibus afficitur. Sic membrorum defatigationem et pondus, commodum vel incommodum statum corporis experimur, ex quo sensus voluptatis vel doloris innascitur. Haec perceptio vim sentiendi nequaquam excedit, cum in brutis etiam animantibus reperiatur; quae certe motibus suis se famis et sitis, satietatis, aegritudinis et similium sensu tangi manifestant.

Hic sensus vocari potest interior, eiusque organum residere videtur in systemate nerveo, quod, centrum habens in cerebro, per totum corpus extenditur et cum singulis externis sensoriis se communicat. A S. Thoma dictus est *sensus communis*, propterea quod considerari debet quasi centrum omnium sensuum externorum, eorumque quasi radix et principium. « Vis sentiendi, sic ipse ait, diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua una radice communi, a qua procedit vis sentiendi in omnia organa, ad quam etiam terminantur omnes immutationes singulorum organorum (2). » Hinc huius sensus munus est non solum percipere organicas impressiones ab externis obiectis productas, prout bene vel male nos afficiunt; sed etiam quodammodo in se colligere omnes sensationes sensuum externorum. Nisi id fieret, nos nunquam conferre inter se possemus actus diversorum sensuum, prout organici sunt et corporis immutationem important. Ad rem

(1) *Summa theol.* I. p. q. 17, art. 2.
(2) In lib. III. *De anima*, lect. 3.

S. Thomas: « Quia discernimus aliqua virtute non solum album a nigro vel dulce ab amaro, sed etiam album a dulci, et unumquodque sensibile discernimus ab unoquoque, et sentimus quod differunt; oportet quod hoc sit per sensum, quia cognoscere sensibilia, in quantum sunt sensibilia, est sensus. Cognoscimus autem differentias albi et dulcis non solum quantum ad *quod quid est* utriusque (id est essentiam), quod pertinet ad intellectum; sed etiam quantum ad diversam immutationem sensuum, et hoc non potest fieri nisi per sensum (1). »

Ne tamen in errorem incidas, adverte hunc sensum non esse confundendum cum *sensu fundamentali*, a Condillachio, Rosmino, aliisque adstructo; qui, prout ab ipsis describitur, defendi nequit. Utriusque differentia in Psychologia, tamquam in proprio loco, demonstrabitur; sed iam nunc intelligi potest ex eo, quod sensus internus, quamvis quoad potentiam inspectus origo sit ceterorum, tamen quoad exercitium actionis subaudit exercitium sensationis externae, cum contra sensus fundamentalis illorum philosophorum omni externa sensatione anterior esse deberet.

134. Ad sensibilitatem generalissime acceptam revocatur etiam imaginatio; quae, cum in brutis etiam reperiatur, vim sentiendi non superat. Et sane bruta, saltem perfectiora, somniant et praeteritarum sensationum recordantur, quod sine imaginatione non efficitur. Apposite S. Augustinus: « Et per loca nota sine errore iumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria visarum vel certe per corpus utcumque sensarum rerum versarentur imagines (2). » Est porro imaginatio vis formandi idola quaedam, quae sensationes semel habitas earumque obiecta repraesentent. Eius organum sedem obtinet in cerebro, quod totius systematis nervei centrum est. Id ex experientia satis coniicitur; nam exercitio imaginationis cerebrum laborare et pati sentimus.

(1) In lib. III. *De anima*, lect. 3.
(2) *Contra Epist. Fundamenti*, c. 17.

Haec facultas, quae a S. Thoma *thesaurus* appellatur *repraesentationum sensibilium* (1), praestantissima est inter omnes, quae ad vim sentiendi spectant. Quare nonnisi in animantibus perfectis viget, et cuiusdam veluti abstractionis est particeps, in quantum imaginem rei concretae reproducere potest quoad unam proprietatem, praecisis aliis. Sic nos imaginamur corpora quatenus extensa sunt, quin reliquas eorumdem affectiones revocemus. Sic etiam lupus, exempligratia, urgente fame, quaerit ovem non huius aut huius coloris vel dimensionis, sed cuiuscumque; quod certe ostendit idolum, quo instinctus eius cietur, etsi concreti obiecti, aliqua tamen indeterminatione gaudere. Neque id mirum videri debet; siquidem imaginatio, hoc ipso quod suprema est inter facultates sensitivas, umbram veluti quandam intellectus participat; ut enim fert effatum, supremum infimi attingit infimum supremi.

135. Praeter indicatas facultates, nemo est qui non sentiat se alia donari, qua non modo percipit, sed percepta introspicit, ac diiudicat; non modo corpora aut eorum qualitates, sed etiam spiritus et incorporea attributa contemplatur; atque ex rebus perceptis et iudicatis ad earum antecessiones, consequutiones, causas, originem, principia detegenda progreditur. Haec vis pro duplici munere, quod exercet, intellectus aut ratio appellatur; quamvis haec nomina promiscue saepe usurpentur, quia, ad rem quod pertinet, non diversam sed eandem facultatem significant.

Hanc vim a viribus sentiendi esse distinctam in Psychologia demonstrabitur; hic tantum de actu eius et obiecto aliquid dicendum est.

Itaque haec facultas, quatenus intellectus aut intelligentia nominatur, refertur ad meram apprehensionem et iudicium immediatum mentis. Uterque autem actus non sistit circa factum quod obiicitur, sed rimatur quid illud sit; et propterea obiectum, quod respicitur, dicitur esse *quod quid est,* nimirum essentia. Quoniam vero essentia per se ad nullum individuum coarctatur, sed in omnibus inesse potest, efficitur

(1) « Ad harum formarum (sensilium nempe) retentionem aut conservationem ordinatur phantasia sive imaginatio, quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum. » *Summa theol.* I. p. q. 78, art. 4.

hinc ut obiectum intellectus, hoc ipso quod est essentia, sit universale; sicut contra obiectum sensus, hoc ipso quod est factum aliquod, est semper particulare et concretum. Exinde manifeste consequitur intellectum esse facultatem inorganicam, seu quae organo non utitur in propriae actionis exercitio. Nam facultas organica, cum superare nequeat conditionem subiecti a quo pendet, nunquam praescindere potest a concretione obiecti, circa quod versatur. Sed id innuisse sufficiat; in Psychologia fusius explicabitur.

Cum dicitur obiectum intellectus esse essentia, id sane non de qualibet essentia intelligendum est. Intellectus enim noster cum de potentia exeat in actum, progressione quadam, ut alias diximus, suas cognitiones acquirit. Nonnullas tamen essentias immediate percipere debet, secus initium processus sui nullum haberet. Quaenam autem istae sint, id ex duplici capite definiendum est. Primum, ex ratione universalitatis; secundo, ex ratione originis in cognoscendo. Nam notitia, quo universalior est et abstractior, eo magis vaga est et minus determinata. Ex alia parte, ut in Psychologia probabitur, omnis nostra cognitio exorditur a sensibus. Ergo intellectus noster, hoc ipso quod ex imperfecto procedit ad perfectum, illas tantum essentias immediate percipit, quae maxime universales sunt et facilius abstrahi possunt a perceptione rerum sensibilium. Hae in primis erunt notiones entis, unius, et reliquorum conceptuum transcendentalium, qui cum ente convertuntur. Deinde eorum, quae proxime ex partitione entis enascuntur; ut sunt notio actus, potentiae, substantiae, accidentis et similium. Tertio eorum, quae sensus directe percipit; at quatenus cum universalissima conceptione copulantur, non quatenus peculiaribus differentiis adstringuntur. Sic illico mens concipit colorem, sonum, motum, et cetera, prout sunt qualitates corporeae dumtaxat, hanc vel illam sensationem in nobis excitantes; licet ad eorum naturas distinctius dignoscendas, et prout peculiaribus differentiis afficiuntur, nonnisi mediate, nempe per discursum, deinceps ascendat.

136. Hinc locum habet *ratio;* quae nihil est aliud nisi ipse intellectus in quantum munere fungitur deveniendi in novam cognitionem, ope alterius iam habitae. Huius adminiculo determinatiores reddimus notitias rerum, et ad essentias illas assurgimus, quae nobis immediate non patent. Id omne fit ope

comparationis unius iudicii cum alio, et iuxta leges, quas in dialectica tradidimus.

Ratio igitur hoc sensu accepta non continet, nisi functionem secundariam intellectus et motum quemdam mentis, quo ex uno iudicio fit gradus in aliud, quod intime cum priore connexum sit. Quare fundamentum habet in immediata rerum quarundam intelligentia, quae causa sit cur alia prius ignota innotescant; ac proinde illius entis cognoscitivi est propria, quod non statim sed pedetentim et pluribus notitiis inter se conferendis scientiam assequitur. Huiusmodi, ut experientia constat, est homo; qui idcirco non animal intelligens sed animal rationale definitur. Contra entia cognoscitiva, quae immediate comprehendunt quidquid cognitione sua attingere possunt, non ratiocinatione sed sola intelligentia constituuntur.

137. Denique animus noster facultate ornatur redeundi supra se ipsum, atque ita actus suos et se, tamquam eorum principium et subiectum, percipiendi. Huiusmodi facultas vocatur *conscientia*. A nonnullis appellari solet *sensus intimus;* quod nomen, absolute loquendo, acceptari posset, cum idem, ad rem quod attinet, profecto exprimat. Et sane cum dicis: intime sentio me exsistere, intime sentio me cupere felicitatem; idem est ac si diceres: conscius me exsistere et habere desiderium felicitatis. Attamen nos vocabulum conscientiae praeferimus, ut tam nobilis facultas nomine etiam secernatur a sensu interno, a quo maxime differt, cum sit facultas inorganica atque ideo solis spiritibus competens. In homine autem, qui non solo spiritu, sed etiam corpore constat, non modo exercetur circa actus intellectivae partis, sed circa actus quoque partis sensitivae, atque ita completo reditu gaudet in activitatem subiecti cogitantis.

ARTICULUS II.

De veracitate sensuum.

138. Haec quaestio potissimum respicit sensus externos; a quibus exercitium exorditur totius sensitivae facultatis. Nam quoad sensum internum nulla dubitatio in hominem sanae mentis cadere potest. Sensus enim internus sensationem ipsam attingit, prout subiectiva est et ipsi sentienti inhaerens.

Quare non aliter ab obiecto deficere posset, nisi quatenus possibilis foret actio, quae circa nullum obiectum versaretur; id autem contradictionem involvere nemo est qui non videat. Et sane affectio facultatis organicae, qualis sensatio est, sentitur in ipsis organis, quibus ea facultas affixa est. Nisi igitur vere sit et actu subiectum informet, sentiri nullo modo potest. Si sentitur, est; ac proinde sensus internus, cum non referat, nisi quod est; nequit non esse verus, seu nequit cum obiecto non concordare.

Neque error timeri potest ex parte medii, quod actionem vitiet obiecti in potentiam influentis. Nam hic medium nullum intercedit; sed obiectum immediate determinat potentiam, a qua percipitur. Tantummodo ex parte organi (nam sensus internus organicus est) impedimentum et perturbatio accidere posset; sed tunc extra statum quaestionis omnino versaremur. Etenim nos de subiecto loquimur rite disposito et in conditione apta ad exercitium propriarum facultatum; perturbatio autem systematis nervei, quod organum est sensus interni, subiectum a tali conditione omnino removeret, et non Logicae documenta sed Medicinae curam exigeret. Sed ad sensationem externam veniamus.

139. Huc revocanda sunt, quae alias innuimus, sensationem posse considerari, vel prout modificatio quaedam est subiecti sentientis, vel prout repraesentatione constat obiecti, a subiecto distincti. Sub primo respectu vera est ut res quaedam, et percipienda obiicitur sensui interno, de quo nuper loquuti sumus. Restat igitur ut sensatio externa consideretur sub secundo respectu, nimirum quatenus repraesentativa est alterius rei. Sic iterum duplici modo consideranda offertur. Vel enim inspicitur prout mera est obiecti perceptio, vel prout umbram quamdam iudicii participat. Primo modo nulli controversiae dat locum; siquidem, ut superiore capite demonstravimus, in mera perceptione aut apprehensione rei nec veritas nec falsitas proprie invenitur. Quod si etiam in simplici perceptione veritatem considerare velis; haec talis est, ut ab ea separari nequeat. Perceptio enim hoc ipso quod alicuius rei perceptio est (nihilum enim percipi nequit), a re percepta dissentire non potest; non enim aliud refert, nisi id cuius est perceptio. Quod quidem valet de omni perceptione, qua talis est; ac proinde non solum de perceptione intelle-

ctuali, verum etiam de sensitiva. Sic ex. gr. cum vides colorem flavum, in visione illa, quatenus ad merum colorem flavum refertur, nullus error fingi potest. Etsi enim a parte rei nullum fortasse detur corpus flavum, semper tamen verum erit repraesentationem illam esse coloris flavi et non viridis. Idem dic de gustu saporis. Nam quamvis fortasse suspiceris dapem, quae dulciter tibi sapit, non esse dulcem, sed amaram; nulla tamen suspicio oriri potest ne sensatio saporis dulcis non sit eius saporis sensatio. Secus enim dubitare deberemus num id, quod est, sit id ipsum quod est; eoque dubio adstructo, ipsum principium contradictionis evertitur. Tota igitur quaestio reducitur ad sensationem quatenus complexa est, seu quatenus iudicium aliquo modo imitatur: propterea quod obiectum non abstracte sed concrete respiciat, et actu ipso, quem exercet, perceptam qualitatem alicui subiecto tribuat. Itaque de sensatione sic inspecta breviter disputemus.

PROPOSITIONES

140. Propositio 1.ª *Sensus, si nullum impedimentum adsit in organo vel in medio, falli nequit quoad perceptionem sensibilis proprii.*

Prob. I. Consequentia naturalis abesse nequit a proprio subiecto, nisi per accidens, nimirum propter aliquod impedimentum. Si enim nullum impedimentum intercedit, natura pergit conficere suum cursum. Atqui veritas, eo modo quo convenire potest sensibus, est consequentia naturalis actus sentiendi. Nam actus sentiendi, sicut cuiusque cognoscitivae facultatis, ad hoc naturaliter tendit, ut proprium obiectum detegat, ad quod per se ordinatur; obiectum autem detegere, atque ipsi perceptione congruere idem plane est. Ergo, etc.

Prob. II. Si natura sua, nullo intercedente impedimento, sensus errarent in perceptione obiecti proprii, error refunderetur in Deum, qui auctor eorum est. Id autem absurdissime diceretur, nedum impie. Ergo sensus circa obiectum, ad quod per se ordinantur, seu circa obiectum proprium, a veritate deficere, seu falli, nequeunt, nisi propter aliquod impedimentum.

Hoc autem impedimentum provenire aliunde nequit, nisi aut ex parte organi aut ex parte medii. *Sensus,* ait S. Thomas,

semper apprehendit rem ut est, nisi sit impedimentum in organo vel in medio (1). Provenire potest ex parte organi; quia, cum sensus sit facultas organica, vitium organi vitiat ipsum subiectum sentiens; vitium autem subiecti operantis vitiat ipsam actionem. Sic qui colore aliquo suffusam habet coniunctivam oculi, eodem conspersa videt corpora, quae contuetur; et aegrotantis lingua vel non percipit vel male percipit sapores, quos degustat. Secundo, impedimentum provenire potest ex parte medii, quo plerumque indiget obiectum ut in sensum agat. Nam sensus ab influxu obiecti ad actionem suam determinatur; influxus autem obiecti a medio, quod velut instrumentum concurrit, perturbatur aut etiam variatur. Sic propter interpositos vapores, qui radios lucis refringunt, sol, luna et alia astra quasi rubea apparent in ortu et occasu.

141. Propositio 2.ª *Sensus circa sensibile commune, seorsum accepti falli possunt, non item si coniunctim sumantur.*

Prob. Nam nulla repugnantia est, quod error interveniat in perceptione obiecti, pro quo non adhibetur integra facultas, quae illi respondet iuxta naturae ordinem. Atqui ad sensibile commune percipiendum non unus sensus sed plures a natura ordinati sunt. Ergo, nisi eorum simul testimonium conveniat, non habetur usus integrae facultatis, quae obiecto percipiendo et diiudicando congruit. Ut igitur absurdus est error, quando huiusmodi plenum testimonium habetur (nam tunc error tribueretur naturae); sic nulla absurditas est quod error adsit, quando praedictum testimonium deest. Nihil igitur mirum si oculus solus, non adiutus a tactu, erret aliquando in perceptione figurae aut magnitudinis aut distantiae aut motus aut situs; cum haec obiecta utrique sensui sint communia. At nullus error accidere potest, quando circa huiusmodi obiecta omnium sensuum, qui iis respondent, testimonium interrogatur. Quare deceptio, si quando contingit, non sensuum vitio sed imprudentiae iudicantis adscribenda est.

142. Propositio 3.ª *Facilis est error in relatione sensus circa sensibile per accidens.*

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate*, art. 11.

Prob. Nam sensibile per accidens est substantia, quae afficitur determinationibus, obiectum proprium et commune sensuum constituentibus. Haec autem substantia eatenus a sensibus apprehendi dicitur, quatenus determinationes illae concrete a sensibus percipiuntur. Nequit enim attingi determinatio concreta, quin hoc ipso subiectum, illa affectum, quadantenus attingatur. At hoc a sensu fit valde confuse; fit enim quatenus percipitur res quaedam, sic vel aliter modificata. Exempligratia percipitur rosa ut res tali figura gaudens et tali colore depicta. Quare cum illae determinationes possint etiam inesse alteri subiecto diversae naturae; oritur hinc ut si merae relationi sensus stetur, et alia rei adiuncta non perpendantur, saepe una substantia cum alia confundatur. Atque haec est causa cur bruta animantia, quae utpote ratione carentia nequeunt comparationes instituere, facillime quoad substantiam discernendam ex apparentiis decipiantur. Sed deceptio huiusmodi levi negotio vitatur ab homine, qui praeter sensus ratione gaudet, qua non modo res sed ipsas sensuum relationes diiudicat, iisque, pro rerum adiunctis, debitum valorem adscribit.

143. Propositio 4.ª *Deceptioni valde proclivis est imaginatio.*

Prob. Licet imaginatio nobilissima sit facultatum sensibilium; tamen hoc habet proprium, ut non dependeat ab actuali praesentia formarum, quas reproducit. Hinc, cum assueti simus res corporeas, in quantum praesentes sunt, attingere sensibus; facile induci possumus, ut in datis circumstantiis repraesentationem imaginariam cum actuali perceptione aliorum sensuum confundamus. Sic contingit in somniis, aut cum ex vivido quodam phantasmate reflexio et comparatio animi perturbatur. Ad rem S. Thomas: « Circa apprehensionem sensus sciendum est quod est quaedam vis apprehensiva, quae apprehendit speciem sensibilem, sensibili re praesente, sicut sensus proprius; quaedam vero apprehendit eam, re absente, sicut imaginatio. Et ideo sensus semper apprehendit rem ut est, nisi sit impedimentum in organo vel medio; sed imaginatio apprehendit ut plurimum rem ut praesentem, cum sit absens (1). »

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. 11.

Solvuntur difficultates.

144. *Obiic.* I. Contra veracitatem sensus interni. Sensus internus non percipit impressiones, quae in corpore nostro fiunt a circulatione sanguinis, ab aëris pressione, a calore vitali, et similibus. Ergo eius testimonium infidum est.

R. *Transeat antecedens; nego consequens.* Exinde non aliud inferri potest, nisi testimonium sensus interni non ad omnia protendi, quae in corpore nostro gignuntur, sed confiniis quibusdam coërceri. Id vero non infidelitatem sed limitationem importat. Ceterum circulatio sanguinis, calor vitalis et similia, nisi excessu aliquo varientur, idcirco non sentiuntur, quia ad constantem organorum dispositionem pertinent: sensatio autem excitari nequit, nisi immutatio quaedam fiat in corpore. Hinc effatum illud: *Ab assuetis non fit passio.* Ad pressionem autem externi aëris quod spectat, cum haec elidatur a contraria pressione fluidorum in corpore existentium, nullam sensationem excitare potest; nisi cum forte aequilibrium illud abrumpitur. Nonnulli tamen existimant harum rerum sensionem aliquam internam assidue in nobis haberi, debilem tamen et uniformem; quae propterea conscientiam elabitur. Sed de his fusius in Psychologia.

Obiic. II. Amentes et somniantes multa putant se sentire et pati, quae revera nec sentiunt nec patiuntur. Ergo, nisi deceptio illa tribuatur conscientiae, quae referat sensionem internam non exstantem, tribuenda est sensui ipsi interno, qui falsa renuntiet.

R. Obiectio a statu quaestionis omnino discedit. Nam exempla hominum inducit, qui extra conditionem inveniuntur ad rectum usum suarum facultatum idoneam. Ceterum ibi nec conscientia nec sensus internus decipitur, sed decipitur intellectus ex occasione phantasiae, quae perturbate operatur et offert quasi praesens id quod praesens revera non est.

Obiic. III. Saepe accidit ut cui crus vel brachium amputatur, is in crure vel brachio dolorem persentiscat. Ergo in eo casu sensus internus decipitur.

R. Etiam hic error a lusu imaginationis ortum habet. Nam, ad rem quod attinet, dolor ille non sentitur, nisi in extremitate nervorum, qui secti sunt et antea in brachium vel

crus protendebantur. Sed imaginatio supplet partem amputatam, et infirmus propter praeviam habitudinem et novitatem status in quo versatur, ad erroneum iudicium proferendum adducitur. Idque eo facilius intervenit, quod sensus doloris interni per se valde confusus est, et non bene determinatus, quoad limites loci, quibus adstringitur.

145. Contra veracitatem sensuum externorum sic obiicitur. I. Sensus referunt in corporibus inesse colorem, saporem, odorem ceterasque qualitates, quae *secundariae* vocantur. At vero hae in illis minime insunt. Nam quidquid ad sensationem pertinet, id in sentiente est dumtaxat. Ergo sensuum externorum relatio fallax est.

R. Haec difficultas, quam nonnulli magnificiunt, tota quanta est puerili nititur aequivocatione. Sensus enim non ipsam sensationem coloris, etc. corporibus inesse testantur; sed testantur exstare sensationis obiectum, quod illam in nobis excitat. Hoc autem verum est. Quare merito Buffier in sua Logica Cartesium atque Malebranchium reprehendit, quod se inepte iactarint tamquam communis cuiusdam erroris detectores, statuerintque ceu rarum propriae philosophiae inventum: colorem, odorem et similia in sentiente esse tantum et nullo modo in obiectis (1). At cum lucem afferre vellent, rei satis per se clarae caliginem offuderunt. Cum enim de colore, odore ceterisque corporum qualitatibus loquimur, duo distinguenda sunt, quae habent quidem inter se aliquam analogiam et ordinem, sed tamen maxime differunt. Unum est ipsa coloris aut odoris sensatio, alterum est proprietas aliqua obiecti, quae ad sensationem illam determinet. Primum in sentiente est, posterius vero in corporibus. Quis autem adeo delirus aut stipes fuit, ut unum cum altero commisceret, et in igne sensum caloris, qui est in nobis, inesse iudicaret? Apposite hoc loco Reid: « Rudis ait: ignis

(1) Vide sextam meditationem Cartesii, ubi is dicit nos ad credendum induci quod in obiectis sint ipsae sensationes; ac serio conatur ostendere nullam esse rationem cur ignis, ex eo quod calorem in nobis producit, caloris sensatione fruatur. In responsionibus autem ad sextas obiectiones pag. 360 ait, colores, odores, sapores, aliasque consimiles qualitates non esse nisi sensationes, quae nullam exsistentiam extra cogitationem habent.

est calidus, nix frigida, saccharum dulce; id nostri testantur sensus, et inficiari absurdum est. Philosophi dicunt: calor, frigus, dulcedo non sunt nisi sensationes in nobis, eas in igne, in nive, in saccharo inesse statuere absurdum est. Contradictio magis est apparens, quam realis; progignit illam abusus vocabuli ex parte philosoporum, et confusio idearum ex parte vulgi. Cum inquit philosophus nil esse caloris in igne, quid ipse intelligit? Ignem sensatione caloris destitui. Nae is vera loquitur, seque si explicet, vulgus non dissentiet. Verum hic homo se perperam exprimit; reapse enim in igne inest qualitas, quae calor nominatur; atque tum philosophi tum vulgus multo saepius qualitatem, quam sensationem nomine illo significant (1). »

Obiic. II. Quamvis non possumus imaginari corpus, quod non sit extensum aut figuratum aut mobile et alicubi collocatum; tamen optime possumus avocare mentem a calore, sapore, odore, etc. Ergo possumus inferre has qualitates non esse aliud nisi modificationes ipsius sentientis et nullo modo residere in obiectis.

R. Pessima esset haec illatio. Si enim quotiescumque possumus imaginari aut concipere in subiecto aliquo unam proprietatem, sine alia, ius haberemus inficiandi eius realitatem; multa corruerent, quae certa sunt. Et sane, nonne ipsum spatium concipere possumus interminatum ac sine limitibus? Ergo dicemus figuram etiam, quae terminis extensionis constat, esse aliquid mere apparens et in solo sentiente positum? Hoc modo latum iter scepticismo aperiretur. Quod imaginari possimus rem extensam, praeciso colore aut sapore aut aliis, id ex eo provenit, quod imaginatio, licet ab omni proprietate sensibili corporum prescindere nequeat, potest tamen ab aliquibus, ut supra dictum est. Sed ridiculum plane esset inde inferre obiecta propria singulorum sensuum in se non esse. Immo, si rite advertatur, sine perceptione aliqua sensibilis proprii, nulla perceptio sensibilis communis, nimirum quantitatis et eorum quae illam consequuntur, sensibus externis competere posset. In tantum enim percipimus extensionem aut figuram aut motum, in quantum percipimus colorem, aut resistentiam. Ergo, ad concretam sensus perceptio-

(1) *Essais sur les facult. de l'homme,* Essai 2, c. 17.

nem quod spectat, tantum abest ut sensibile proprium haberi possit tamquam aliquid mere subiectivum, ut immo sit ratio obiectiva percipiendi sensibilia communia.

Obiic. III. Attamen difficilis est ratio explicandi in quo sita sit specifica essentia cuiusque sensibilis proprii, ex. gr. coloris, soni, etc.

R. Id procedit ex imperfectione intellectus humani, qui paulatim scientiam acquirit, incipiendo a notionibus indeterminatioribus ac proinde magis universalibus. Ex hoc enim fit, ut mens sensibilia, de quibus loquimur, primo apprehendat sub notione qualitatis, quae hanc vel illam sensationem excitet, ac deinde ad huiusmodi conceptum magis determinandum progrediatur indagatione distinctiore effectuum, quos qualitates illae producunt, aut causarum a quibus in obiecto ingenerantur.

Obiic. IV. In perceptione sensibilium *communium* aut *per accidens* error unius sensus corrigeretur ab alio. At si primo non fidimus, nec fidendum erit secundo.

R. Error ille proprie corrigitur ab intellectu, cuius est iudicare non modo de rebus, sed de singularum facultatum actu et valore. Is enim in nobis est suprema regula veri. Ad ipsum igitur spectabit videre quibus legibus quaeque perceptio gubernatur, ac proinde quinam sensus aptior sit in casu particulari pro testimonio ferendo circa rem, de qua agitur, et quomodo unius suffragium suffragio alterius temperetur.

ARTICULUS III.

De corporum exsistentia.

146. Peculiarem sermonem habemus de hac re propter illorum insaniam, qui corpora e rerum exsistentium numero abstulerunt, in ideis tantum aut repraesentationibus animi collocarunt. Horum systema *Idealismus* dicitur. Porro idealismi duplex est genus: *vulgaris* et *transcendentalis*. Ille mundi extra nos exsistentiam negans, eiusdem idealem tantum in nobis repraesentationem statuit, at animi cogitantis realitatem non aggreditur; hic ipsum etiam subiectum cogitans inter phaenomena et vanas apparentias reiicit. Priorem idea-

lismum professi sunt veteres sceptici, qui mundum exteriorem inter figmenta animi et inanes imagines amandarunt aut saltem realem exsistentiam corporum certe sciri non posse tradiderunt. Quam sententiam instauravit Berkeley; qui corpora in sensilium qualitatum complexu reposuit, atque has ipsas a sensationibus, quae nos afficiunt, distinguendas non esse contendit (1).

Alter autem, seu *idealismus transcendentalis*, a Kant excogitatus est, a Fichte vero ad perfectionem adductus. Hi, ad obiectivam exsistentiam quod attinet, nullum omnino discrimen habendum putarunt; ideoque non modo mundi exterioris, sed subiecti etiam cogitantis realitatem e medio repulerunt. En brevi utriusque processus. Iuxta Kant; omnis nostra cognitio duplici constat elemento, materia nimirum et forma. Forma procedit ab ipsa ratione, materia ministratur ab experientia, ope impressionis quam externa obiecta in sensoriis exercent. Hinc res illae, quae non subiacent sensibus, cognitionem nostram prorsus praeterlabuntur; sed cognitio quaevis limitibus empiricae perceptionis, seu sensilium repraesentationum, definitur. At in hoc quoque falsitas

(1) Vide eius *Tractatum de Principiis Cognitionis humanae,* et *Tres dialogos inter Hylam et Philonoum.*

Malebranche etsi corporum exsistentiam admitteret, eam tamen nonnisi ex Dei revelantis auctoritate nobis constare decrevit. Quare ad naturalem cognitionem quod pertinet, non modo vehementer arduum esse et periculorum plenum, sed cerni animo plane non posse dixit sintne corpora. Eius haec sunt verba: « Nonnisi duobus modis Deum animum alloquitur, ipsumque ad credendum adigit: evidentia et fide. Equidem assentior fidem cogere ad credendum exstare corpora; sed ad evidentiam quod attinet, ipsa mihi hac in re non integra videtur, eaque non ad aliud ineluctabiliter sciendum adducimur, nisi Deum animumque nostrum. Verum quidem est nos propensione maxima ferri, ut corpora, quae nos circumstant, exstare putemus. Ego id Cartesio facile largior. Sed haec propensio, utcumque naturalis, nos non evidentia cogit, sed impressione tantum inclinat. At vero in nostris iudiciis liberis non aliud sequi debemus, nisi lumen et evidentiam; ac si quando committimus ut impressio sensibilis nos ducat, fere semper errabimus . . . . . Profecto sola Fides est, quae animum convincere potest corpora exstare reapse. » *De la Récherche de la Vérité,* tom. 4, eclaircis. 6. Vide etiam tom. 3, *De la Méthode,* part. II, c. 6.

admiscetur. Nam obiecta experimentalia nonnisi spatio et tempore affecta nobis repraesentantur. Spatium vero et tempus formae sunt quaedam immanentes et subiectivae sensibilitatis, et nullo modo obiectis inhaerent. Ergo etiam quoad cognitionem experimentalem, sive internam sive externam, non res ipsas, quae in se sunt, sed phaenomena tantum percipimus; atque ideo de rebus insensibilibus nullam, de sensibilibus relativam tantum certitudinem habemus (1).

Ulterius processit Fichte, qui non modo formam cognitionis sed materiam etiam a subiecto cognoscente derivari ait. Qua in re sibi magis consentiens fuit, quam magister. Nam, cum ageretur de explicanda cognitione a priori dumtaxat, omne elementum empiricum removendum erat; materia autem cognitionis, ab experientia procedens, est elementum empiricum. Praeterea, impressio sensibilis per nullius formae additionem in obiectum intelligibile converti potest; natura siquidem propria spoliari nequit. Fichte igitur ut fideliter rationalismo obtemperaret, omnia a ratione deducenda putavit; atque ideo, omni externa determinatione summota, rationem, non ut complexum formarum seu legum, quibus cogitatio regitur, concipiendam voluit, sed ut activitatem omnino liberam, quae se determinaret virtute sua, et se determinando obiecta propriae cognitionis effingeret. Hinc, a kantianis principiis exorsus, ad hanc illationem iure devenit, ut solum subiectum cogitans abstracte sumptum *(l' Io puro)* exstare diceret, quod semet atque alias res omnes, a se distinctas, tamquam ludum quemdam idealem, fabricaretur (2).

Ex hac errorum farragine solum illum hic refutandum assumimus, qui corporum exsistentiam respicit; reliquos suo loco refellemus. Contra idealistas itaque generatim obiectivam mundi realitatem confirmabimus, non quod ipsa egeat demonstrari (siquidem in rebus per se notis, seu in factis immediate perceptis, reponitur); sed quia, ad pertinaces homines coarguendos, quandoque opportunum est ea etiam ratiocinando declarare, quae per se ratiocinationem non exigunt.

(1) *Critica Rationis purae.*
(2) *Theoria Scientiae.*

147. Propositio 1.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum nequit esse interna animi conformatio.*

Prob. Animus est simplex, immo per idealistas nulli corpori coniunctus; secus, si contrarium dicerent, iam corpora exstare concederent. At vero substantia, quae simplex est, per se nonnisi ad simplicia sibi repraesentanda incitatur. Quae enim cognatio aut convenientia fingi potest inter meram simplicitatem et determinationem ad composita, per ideas simulanda? Determinatio, si ex solius naturae emergit necessitate, congruere debet subiecto cui innascitur, et causae unde proficiscitur. In praesenti autem subiectum eiusmodi et causa non essent aliud, nisi animus omnino simplex, sine ullo commercio cum rebus compositis. Unde igitur in ipso repraesentatio compositorum ducit originem?

Insuper, si repraesentationes corporum ab animo dumtaxat determinantur, cur corpora tamquam extra animum posita, et non potius intra animum, immo vero cum eodem confusa plane et commixta, obiiciuntur? Atque etiam si hoc omittitur, saltem eiusmodi repraesentationes corpora in *abstracto* referre deberent, et quoad conceptum tantum, non vero *concrete* et tamquam actu praesentia.

Postremo, constitutio interna animi eadem iugiter perseverat; contra repraesentatio corporum non modo variatur assidue, sed etiam ita variatur, ut mutationum suarum normam et ordinem non a dispositione subiecti, sed ab exterioribus omnino causis repetendum esse praeseferat.

Ut igitur omnia in summam colligam, perperam fingitur rationem sufficientem repraesentationum corporum esse animum; cum per illas non animus, aut ea quae animo insunt cogitentur, sed potius cogitentur alia diversa prorsus, immo contraria, quin ulla eorum apparitio aut mutuus nexus possit per internos animi status explicari.

148. Propositio 2.ª *Ratio sufficiens rapraesentationum corporum nequit esse voluntas ipsius subiecti cogitantis.*

Prob. Voluntas in ignotum ferri nequit. Quare neutiquam flecti potest ad spectaculum aliquod sibi dandum, nisi eius notitia ante praeiverit. Hinc tam longe abest ut actus qui-

dam voluntatis possit esse creator repraesentationis mundi visibilis; ut potius, sine hac repraesentatione praeeunte, ipse actus voluntatis explicari nequeat. Accedit quod voluntas, cum rationalis sit, a ratione aliqua moveatur oportet. Quaenam igitur esset ratio, cur subiectum volens ad corpora, quae nusquam sunt, sibi tamquam praesentia exhibenda se flecteret? Puto, ut sibi illudat; nihil enim aliud, quod reponatur, invenio.

Deinde si conscientiae fidendum est, apparitio mundi corporei voluntaria in nobis revera non est. Nam, etsi quisque pro libito hoc sensu eam provocare possit, quatenus libere in iis conditionibus se constituat, in quibus alias norit se ad corpora nonnulla percipienda moveri; etsi etiam possit perceptionem habitam attentione augere, virium suarum avocatione a ceteris, earumque ad obiectum, quod sentit, revocatione; tamen omnino nequit pro arbitratu obiectum ullum sibi repraesentare, sive quoad proprium corpus, sive quoad corpora reliqua, nisi in certis rerum adiunctis, a sua voluntate prorsus independentibus. Immo eiusmodi repraesentatio tanta necessitate, praeter voluntatem, nobis imponitur; ut, nobis etiam nolentibus et vehementer repugnantibus, oriatur ac permaneat. Nequit igitur mundi adspectabilis apparitio congruenter explicari ex libera voluntate subiecti.

149. Propositio 3.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum nequit esse divinus influxus, prout ab Idealistis adstruitur.*

Prob. Deus per idealistas ita in nobis repraesentationes eas gigneret et quasi pingeret, ut mundus adspectabilis, qui ceu obiectum refertur, nulla in semet ratione consisteret; sed repraesentationes illae figmenta quaedam essent vanaeque imagines, quibus nihil vere respondet in rebus. At sane Deus mendacii auctor esse non potest; esset autem mendacii auctor, si corporibus non exstantibus, nos ad eiusmodi perceptiones determinaret. Perceptio enim rei quae non est, falsitate laborat; falsitas vero mendacium mentis est. Ea igitur opinione Deus ad mendacium nos cogeret. Immo, in ea hypothesi Deus ipse mentiretur. Ex natura enim profecta cognitio veluti naturalis quaedam Dei revelatio est, qua summus ille veritatis fons quasi disciplina nos

imbuit, atque ad cognoscendum et iudicandum adducit. Si igitur ad ea cogitanda nos impelleret, quae nulla sunt, doctori esset similis, qui contrarium eius, quod sentit, eloquitur, aut etiam testi, qui rem aliter, quam est, enarrat.

Nec Malebranchius occurrat inquiens id divinae potentiae, quae ad omnia protenditur, non repugnare. Nam oppido repugnat potentiae in Deo, quod repugnat veracitati. Potentia enim utcumque infinita sit, in mutuo pugnantibus non versatur; sunt autem mutuo pugnantia, quae a divinis discrepant attributis. Unde quidquid divinae veracitati adversatur, idem continuo e possibilium albo expungi debet; atque idcirco divinae potentiae obiectum esse non potest.

At urget, nihil hic divinae detrahi veracitati; nam sensuum error corrigeretur a mente.

Verum in primis stultum omnino est vi unius facultatis nos inclinare ad iudicia, quae deinceps vi alterius repudianda sint. Deinde hoc ipsum falsum apparet. Nam tantum abest ut ratio decernat, sensus fallaces esse, dum valent et impedimenta caventur, ut potius contrarium plane dictet. Denique si in sensibus rite dispositis timenda deceptio est, cur non idem de ratione suspicabimur? Certe nullum idoneum argumentum afferri potest, quod, aliis facultatibus in discrimen adductis, exceptionem pro una vel altera convincat. Omnes enim cognoscendi vires aeque a natura, vel melius a Deo, nobis tribuuntur; atque ideo nequit aliqua labefactari, quin aliae omnes periclitentur.

150. Propositio 4.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum est ipsa realis corporum exsistentia.*

Prob. Haec propositio non est nisi corollarium praecedentium. Nam repraesentationum corporum, quas idealistae in nobis dari fatentur, aliqua certe ratio sufficiens assignanda est. Percontamur igitur: quaenam ea sit? Non alia profecto, nisi aut animi innata conformatio, aut voluntas subiecti cogitantis, aut divinus influxus, aut tandem ipsa corporum realitas et praesentia. Praeter allatas hypotheses nulla alia fingi potest. Atqui tres superiores evidentibus rationibus exclusae sunt. Ergo non restat nisi postrema; nempe ut ratio illa sufficiens in ipsa realitate et praesentia corporum collocetur; quae, quia reapse in se sunt, ideo nobis per sensiles

perceptiones, tamquam vere exstantia, referantur. Quod quidem generatim deducere licet, undecumque earum perceptionum proxima determinatio repetatur; quod hic non quaerimus, cum nequaquam pro solvenda praesenti controversia necessarium sit.

Haec pro idealistarum pertinacia disputata sunt. Nam, ut saepe dixi, exsistentia corporum demonstrari non eget, cum veritas sit per se nota; siquidem, ut in sequenti articulo demonstrabimus, a nobis immediate percipitur. Quod iam nunc intelligi potest ex conscientiae testimonio, quo docemur nos vi experientiae corpora ipsa directe et immediate sentire. Et ratione etiam confirmatur; nam id sentiri debet, quod in sentiente agit ipsumque determinat. Atqui hoc praestant obiecta corporea. Ergo obiecta corporea per se sentiuntur; atque ideo de eorum exsistentia dubitare non possumus, quin de ipsa sensatione dubitemus.

Solvuntur difficultates.

151. Quoniam quidquid idealistae obiiciunt, iis continetur, quae Malebranchius opponit, satis erit huius tantum argumenta refellere. Haec autem ad sequentes difficultates reducuntur.

Obiic. I. Exsistentia corporum refertur a sensibus. At sensus inconstantes sunt et fallaces. Iis igitur fides habenda non est. Accedit, quod aliqua nobis obversentur in somniis, quae deinceps dum vigilamus falsa esse deprehendimus.

R. *Conc. mai.* et *dist. minorem:* Sensus sunt fallaces per se, *nego;* per accidens, *concedo.* Ad id vero quod additur, aliqua nobis obversari in somniis, quae deinceps expergefacti falsa iudicamus, respondeo etiam *dist:* Et hoc ipsum ostendit, posse nos inanes apparentias a realibus obiectis discriminare, *conc;* secus, *nego.*

Si adversarius intelligit sensus per se esse fallaces, id non aliter adstrui potest, nisi fingendo nos fraude naturae ad errorem adduci. Certe, si fatente Malebranchio, evidentiae acquiescendum est, acquiescendum est sensibus. His enim tanta perspicuitas inest, ut cum rei alicuius evidentiam amplificare volumus, rem cerni oculis ac manibus attrectari dicamus. Qua loquendi consuetudine indicamus obiecta sen-

suum tanta nobis claritate lucere, ut cetera accedere ad eam possint, sed eam superare non possint. Quod si sensus non natura sua, sed impedimento aliquo aut requisitae conditionis carentia falli posse dicuntur, hoc errandi periculum facile declinatur, si ad leges illas animus advertitur, quibus recta sensuum perceptio temperatur. Nec somniantium phantasmata terrere quempiam debent; siquidem vigiliam a somno satis distinguimus ope conscientiae, quae sensationum nostrarum seriem ordinatam, uniformem, constantem, rationibus sufficientibus fultam referat. Ceterum, nos hic de hominibus sanae mentis disputamus. Qui autem serio dicit se argumentis egere, quibus convincatur utrum in vigilia versetur an in somnio; is iam in amentium est numero, atque ideo fundamento caret et conditione ad ratiocinandum necessaria. Denique, si ex somniorum illusione prudens dubium desumi posset, id contra ipsum Malebranchium retorqueretur. Si enim vigilemusne an somniemus ambigitur, ne ipsa quidem Dei revelatio, quam ad solvendam litem Malebranchius inducit, dubium expellet. Haec enim ut percipiatur, vigilantes homines non dormientes postulat.

Obiic. II. Sensiles perceptiones, a quibus corpora exstare monemur, non ea, quae sunt extra nos, sed ea quae nobis insunt, nimirum internas animi modificationes, referunt. Iure igitur dubitare possumus an eorum repraesentationi obiecta respondeant.

R. *Transeat ant.* et *nego consequens.* Quod adversarius poscit, id praesentem quaestionem praetergreditur. Etsi enim, ut in sequenti articulo videbimus, falsum sit antecedens; tamen haec alterius loci quaestio est, nec ad praesentem refutationem spectat. Argumenta enim, a nobis producta superius, satis evincunt sensiles perceptiones (sive obiecta externa immediate referant, sive internas animi modificatioues) eiusmodi esse, ut repraesentatis obiectis verae consentiant, eorumque exsistentiae sint signum. Quare si apud sanum quemque plus vera ratio valitura est, quam vana cavillatio; vereri minime possumus ne sensibilibus perceptionibus, quae velut instrumenta ac praesidia quaedam ad exteriorem mundum internoscendum nobis tributa a natura sunt, obiecta nulla respondeant.

Obiic. III. Suspicari possumus de maligno aliquo genio, qui nos de industria in cognoscendo decipiat.

R. *Nego assumptum.* Terriculamentum hoc puerile est. Facultatum enim cognoscendi veracitas, sive de Auctore nostrae naturae cogitemus, sive non, rata et indubia profecto manet. Nam si de illo cogitamus, ambigi nequit quin a principio summe bono ac veracissimo ortum ducamus, a quo nec in errorem induci, nec decipientis cuiusdam genii ludibrio permitti possumus. Sin ab eo avocatur cogitatio, hoc tamen maneat necesse est, facultates nostras in actibus, ad quos natura sua ordinantur, per se non decipi. Nisi enim id ratum fixumque et tamquam per se notum habeatur; nec ratiocinari nec loqui revera possumus, et ipse adversarius ad silentium adigitur. Atque id optime cavit natura, quae sic animum nostrum comparavit; ut, etiamsi conemur, tamen omnino nequeamus de certitudine obiectorum evidentium revera metuere. Quod ita insitum cuique est, ut ipsi idealistae, licet, dum suos libellos soli lucubrant, talia exaggerent; tamen, cum a scribendo se removent, ad communem ceterorum hominum sententiam redeant. Adeo, prae suis systematibus, naturae bonitate vincuntur. Quod si ex timore maligni alicuius genii prudens incidere posset dubitatio, id omne etiam contra ipsum Malebranchium valeret; quippe pro sua quoque revelatione illius genii fraudes timeri possent. Sin vero ad hunc pellendum timorem principia rationis evidentia sibi suppetere Malebranchius affirmat; eccur id ipsum pro sensuum veracitate non valiturum existimat? Nonne in hoc manifestam contradictionem incurrit?

Obiic. IV. Si naturalis certitudo de exsistentia corporum haberetur, id potissimum contingeret de corpore, cui animus noster coniunctus est. At hoc falsum videtur. Accidit enim saepenumero ut cui brachium vel alia pars corporis amputata est, is dolorem se ibi persentiscere opinetur. Immo etiam nonulli sunt, qui per delirium credunt se cornuto capite ornari, aut galli gallinacei, aut lupi, aut bovis habere figuram.

R. *Conc. mai.* et *nego min.* ac rationem additam. Nos de exsistentia corporis nostri, certissimi sumus ex relatione sensus interni. Huius enim ope experimur extensum quoddam, partibus mutuo distinctis coalescens, nobis intime coniungi, eiusque adminiculo nos perceptiones sensiles exercere. Quam

quidem certitudinem deliria illa, quae Malebranchius obiicit, ne hilum quidem infirmant. Ea enim vel, ut superiore articulo vidimus, ex imaginatione proveniunt rectum usum rationis ob adiuncta quaedam praepediente; vel in amentibus contingunt. Quare exceptionem exhibent, et iure tribuuntur causarum secundarum defectui. At contra error, quem nos reiicimus, communis esset et perseverans et necessarius et pro statu facultatum normali. Quare non esset *per accidens*, sed *per se;* siquidem proficisceretur ex ipsa conformatione naturae, haberetque auctorem Deum.

Obiic. V. Deus, utpote qui est sapientissimus, per media simplicissima operatur. Ergo non exigua per magna perficit, sed contra magnos fines per exigua media consequitur. Adduci igitur hinc possumus ad subdubitandum utrumne solus Deus ideas corporum in nobis creet, an ipsa corpora vere exstantia illas excitent.

R. *Dist. ant:* Deus operatur per media simplicissima, quae proportionata sint fini, quem intendit, *conc;* per media simplicissima quae hac proportione careant, *nego.* Quamquam divinae sapientiae repugnat facere per plura et magna, quod per pauciora et exigua facere potest, quando modus et finis utrobique est idem; id tamen haud verum est, quando modus et finis est diversus, ut in re nostra contingit. Nam si Deus solus operaretur, ordo universi corrueret, qui ex actione agentium creatorum exsurgit. Ceterum etiamsi solus Deus esset causa quae ad perceptiones sensiles, sine physico obiectorum influxu, nos determinaret; haud tamen exinde vis ratiocinationis, a nobis institutae, infirmaretur. Nam tunc etiam ratio repraesentationum corporearum in ipsa exsistentia corporum reponi deberet; nisi Deus, ut supra dixi, mendacii insimulari velit; quo nihil potest esse absurdius. Quod autem determinatio illa, ad sensiles perceptiones excitandas, corporibus, tribuenda sit, tamquam veris causis; id simplicitati divinae operationis non opponitur, sed Dei sapientiam et virtutem commendat, quae non solum ipsa per se operatur, sed vim etiam agendi suis effectibus elargitur.

Obiic. VI. Evidentia non habetur, nisi de veritatibus necessariis. Exsistentia autem corporum contingens est. Ergo evidentia privatur.

R. *Nego maiorem.* Evidentia enim et certitudo habetur non solum de veritatibus necessariis, verum etiam de contingentibus; quae certe hoc ipso quod sunt, in quantum sunt, cognosci possunt indubie. Immo hae veritates, sub aliquo respectu, necessariae etiam dici possunt; in quantum, etsi non absolutam, hypotheticam tamen exhibent necessitatem, fultam hoc principio: quod aliquid, dum est, nequit non esse. Quod cum luceat per se in promptuque sit satis, hic pluribus declarari non eget. Tantum advertimus contrarium principium, nempe solas veritates absolute necessarias certitudine frui, dogma esse rationalistarum, quod tandem aliquando ad pantheismum et fatalismum adducit.

ARTICULUS IV.

De immediata corporum perceptione.

152. Idealismo ansam mature admodum dedit innovatae philosophiae doctrina. Nam Cartesius et Lockius principio illo, quod adstruxere, *Nos sensibus non attingere, nisi nostras modificationes,* Condillachio straverunt viam, docenti: *Corpora quoad nos aliud non esse quidquam, nisi diversas sensationum congeries.* Hinc, sensationibus in mera subiectivitate conclusis, inquisitio magna, plerumque sine exitu, fieri coepta est *de ponte,* qui nos ex sensationibus ad earum obiecta ut vere exsistentia transferret. At pons iste ipsa sensatio est, quae, ut saepe diximus, ad rem concretam et praesentem terminatur. Et sane, sicut intellectio est cognitio intellectualis, sic sensatio cognitio est sensitiva. At omnis cognitio vinculum quoddam est, inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum, et unum cum altero per se coniungit. Quare sensatio hoc ipso quod obiectum extra animam positum et actu praesens refert, iam subiectum, ad cognitionem quod attinet, extra se transfert. Quare, si rite natura sensationis intelligatur, non pons quaerendus est quo sentiens ex sensatione ad obiectum transeat, sed potius quaerendus esset pons, quo cognoscens in semetipsum redire valeat, nimirum quo clare et distincte sensationis habitae fiat conscius. Id autem, ut inferius dicemus, ope reflexionis animae spiritualis efficitur.

153. Quod autem sensatione obiectum aliquod extra animum positum immediate et directe attingatur, in dubium vocari nequit. Nam sensatio perceptio quaedam est. Quaero igitur a te quid per ipsam proxime et directe percipiatur? Non quidem ipsa sensatio; sic enim circulus vitiosus induceretur, et aperta contradictio. Nam sensatio, quae sentitur, vel aliquid sentit vel nihil. Si nihil sentit, contradictorie dicitur sensatio, cum sensatio necessariam relationem includat ad aliquid, quod sentiatur. Si autem dicitur per sensationem sentiri aliquid, redibit interrogatio: quid per ipsam sentiatur seu percipiatur. Exitus igitur nullus erit, nisi tandem respondeatur sensatione reapse et immediate percipi aliquid ab ipsa sensatione distinctum. At hoc quid erit? Corpusne an spiritus? An modificatio corporis vel spiritus? Absurdum certe erit dicere sensatione attingi spiritum vel spiritus affectionem. Restat igitur ut per eam percipi fatearis vel corpora vel corporum modificationes, aut melius utrumque prout concretum aliquod exhibet, nimirum extensum aut coloratum, aut sapidum, aut resistens, et ita de reliquis.

154. Putant nonnulli sensu quidem interno percipi immediate corpus, cui anima coniuncta est; at sensibus externis immediate non attingi nisi impressiones, quae in eodem corpore fiunt ex influxu obiectorum externorum. At hi evidenter sensus externos cum sensu interno confundunt. Nam sensus internus eatenus percipit corpus, cui anima coniuncta est, quatenus percipit impressiones in ipso receptas et sensionem voluptatis aut doloris excitantes. Unde, si huiusmodi impressiones dumtaxat obiectum sunt sensationis; sufficit unice sensus internus, cui deinceps accedat iudicium mentis et ratiocinatio, quae inde exsistentiam causae cuiusdam externae deducat. Omnes igitur alii sensus, tamquam inutiles, excludendi erunt. Praeterea, si impressio, in organis peracta, esset id quod a sensibus externis immediate percipitur; nos in sentiendo ad impressionem eandem non ad obiectum cogitandum incitari primitus deberemus. At contrarium omnino experimur; prius enim obiecta, deinde impressionem subiectivam advertimus. Tertio, si impressio percepta ratio esset cur cogitamus obiectum; aliqua similitudo intercedere deberet inter impressionem illam et obiectum a quo oritur. Id autem

non est ita. Quae enim similitudo fingi potest inter impressionem organicam, quae ab adversariis ad motum revocatur, et figuram aut colores, quos visu apprehendimus? Itemque quae convenientia impressionis vel motus cum saporibus aut odoribus, quos gustamus et olfacimus? Idem dicatur de aliis sensationum obiectis. Denique, etiamsi quis fingat hanc similitudinem intercedere; tamen nihil inde proficiet. Nam, ut ex cognitione signi vel imaginis inducamur ad cogitandam rem significatam et expressam, necesse est notitiam aliquam praeviam habere rei ipsius, ad quam signum aut imago refertur. Quare adstructa hypothesis dum ad cognitionem obiectorum externorum in animum introducendam assumitur, hanc iam introductam subaudit.

155. Quae cum ita sint evidenter infertur: sensibus externis obiecta ipsa, quae foris sunt, directe et immediate attingi, prout haec sensilibus quibusdam qualitatibus afficiuntur. Et re quidem vera, si sensibus externis non animi modificationes (quae non sensuum sed conscientiae obiectum sunt), nec organicae impressiones attinguntur (quibus percipiendis sensus internus respondet); restat ut iis vel ipsa obiecta externa sentiri ac percipi dicantur, vel nihil. At sensatio, qua nihil sentiatur ac percipiatur, contradictoria omnino est et repugnans. Superest igitur ut prima pars disiunctivae eligatur, perceptionem nimirum sensuum externorum in obiectis ipsis extra nos positis deprehendendis immediate versari.

Nec negotium facessit obiectio illa, qua adversarii fidunt, dicentes, si ita esset, animum actu suo extra se ferri oportere, ut obiecto, quod percipit, coniungatur. Nam respondemus distinctione: extra se ferri deberet quoad realitatem actus, quem elicit, *nego;* quoad eiusdem relationem et repraesentationem, *concedo.* Actus sentiendi, sicut cuiusque cognitionis, sub duplici aspectu considerari potest: entitative et repraesentative, seu ut actio quaedam est vitalis et ut perceptio est rei alicuius. Qatenus actio vitalis est, immanet subiecto a quo elicitur; quatenus est repraesentatio et perceptio, refertur ad obiectum, quod per ipsam repraesentatur et percipitur. At, ut id fiat, necesse non est ut sensatio subiectum egrediatur ac deserat, sed plane sufficit ut ipsi inhaereat tanquam medium *quo* obiectum aliquod patefiat. Obiectum autem per se non iungi sed praesens fieri debet percipienti.

Dices: perceptio rei exsistentis includit iudicium; iudicium autem est actus mentis, non sensuum.

R. Si haec difficultas vim haberet, sensus nec etiam impressionem organicam aut sentientis affectionem percipere possent. Nam haec impressio et affectio ab ipsis profecto percipienda esset ut exsistens, non ut possibilis. Sed obiecta propositio solvitur distinctione: Perceptio rei exsistentis perfecta, quae per modum compositionis formatur, includit iudicium, *concedo;* perceptio imperfecta, quae per modum simplicis apprehensionis habetur, *nego.* Nos vero hanc secundam, non primam, tribuimus sensibus.

ARTICULUS V.

De veracitate conscientiae.

156. Sensus internus percipit sensationes sensuum externorum et bonam vel malam dispositionem corporis, cui anima coniuncta est. Eius igitur opera principium sentiens, reflexionem quamdam exercet in aliquam sui partem, quatenus per actum unius potentiae actus aliarum attingit. Et sub hoc respectu dixit S. Thomas: *Sensus redire quidem incipit ad essentiam suam; quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire* (1). Neque id repugnat virtuti sensitivae; quae, cum pluribus viribus explicetur, optime potest per unam ex iis, quae altior sit, versari circa actiones reliquarum, ad inferiorem gradum pertinentium. Hinc bruta, licet sola sensibilitate polleant, tamen non modo vident, audiunt, tangunt; sed etiam sentiunt suam visionem, auditionem, tactionem, et ita de reliquis. Hoc faciunt ope sensus interni.

At sensus internus redire nequit in proprium actum. Id enim impossibile est cuicumque sensitivae potentiae; duplici potissimum ratione. Primum, quia sensitiva potentia, propter limitationem suam, exhauritur plene ab obiecto, a quo determinatur, eique penitus adhaeret obtutu. Secundo, quia sensitiva potentia, cum sit organis affixa, nequit in seipsam reflectere se. Ut enim id fieret, deberet in seipsum retorqueri

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. 9.

organum, quod illa informatur; idque in re corporea et extensa, cuius partes distinguuntur a partibus, contradictorium omnino est. Quare licet sensibilitas redeat quadantenus in seipsam, modo explicato, in quantum scilicet sensu interno attingit actus sensibilitatis externae, tamen huiusmodi reditus incompletus est et deficiens, cum non plene fiat in totum actionis principium. Atque hinc fit ut subiectum sentiens propriam exsistentiam non percipiat. Ad hanc enim percipiendam reflexio requiritur in totam entitatem subiecti operantis, ita ut subiectum operans se percipiat tamquam fundamentum et fontem totius activitatis, quam exercet.

157. Haec impossibilitas locum non habet respectu entis intellectualis. Nam facultas intelligendi, cum non modo sit simplex sed etiam inorganica, optime potest non modo attingere actum aliarum facultatum, sed etiam proprium et penetrare fundum ipsum suae activitatis. Quare actione sua completum et perfectum reditum in subiectum, cui inest, exsequitur. Ad rem S. Thomas: *Illa, quae sunt perfectissima in entibus, ut substantiae intellectuales, redeunt ad essentiam suam reditione completa* (1). Hinc ratio apparet cur nos non modo percipimus nos sentire, sive externe sive interne, sed etiam percipimus nos intelligere, et generatim operari. Hinc potentes efficimur percipiendi propriam nostram exsistentiam; quatenus in caput ipsum et fontem totius activitatis nostrae reflexa hac perceptione devenimus, atque ideo nos concipimus tamquam verum individuum, ab omni alia re separatum, quod operationum omnium, quas ponit, sit principium. Facultas, qua id praestamus, dicitur conscientia.

158. Actus conscientiae, ut patens est, reflexione constat. At huiusmodi reflexio confundi non debet cum illa, quae potius appellanda esset *recogitatio;* qua nimirum mens in obiecta semel apprehensa revertitur, ad ea intimius et distinctius perlustranda. Haec etiam reflexio est; sed qua non subiectum respicitur aut actio eius, sed respicitur ipsum obiectum cognitum, ut denuo cogitetur. Quare, ut una ab alia nomine separetur, posterior dici poterit, *reflexio ontologica,* prior *reflexio psychologica,* cum non rem cogitationi propositam sed cogitationem ipsam et subiectum ea affectum respi-

(1) Loco citato.

ciat. Sic cum contemplaris ex. gr. Deum et in hanc contemplationem mente redis, acies mentis tuae defigi potest vel in obiectum vel in actum ipsum contemplationis. In primo casu reflexio obiectiva erit, et dicitur *ontologica;* in altero erit subiectiva, et vocabitur *psychologica.* Haec secunda reflexio proprie constituit actum conscientiae; prima ad mentis meditationem revocatur.

159. Per actum conscientiae duo semper, confuse saltem, apprehenduntur: affectio animae et subiectum cui illa insidet. Ratio est; quia illa affectio concrete attingitur et prout est; est autem non in se, sed in subiecto quod informat. Ut enim oculo non videmus proprie colorem sed rem coloratam, et manibus non attrectamus resistentiam sed rem resistentem; sic conscientia non percipimus cogitationem, sed subiectum cogitatione ornatum. Immo id multo magis dicendum est de conscientia, quae utpote facultas omnino spiritualis et ab intellectu non distincta, rem obiectam intime penetrat. Fatemur quidem, rationem formalem, vi cuius subiectum conscitur, esse affectionem seu cogitationem qua instruitur; sicut ratio formalis, vi cuius res extensa videtur, est color; et ratio formalis, vi cuius res extensa tangitur, est resistentia. Sed id minime officit, quominus utrumque simul apprehendatur, in quantum ex utroque unum obiectum conficitur, res nimirum sic aut aliter affecta.

Quare homo non intelligit se esse et vitae principium habere, nisi quatenus intelligit se operari. Ad rem S. Thomas: « In hoc aliquis percipit se animum habere et vivere et esse, quod percipit se sentire et intelligere et alia huiusmodi vitae opera exercere. Unde dicit philosophus in nono Ethicorum: sentimus quoniam sentimus, et intelligimus quoniam intelligimus; et quia hoc sentimus, intelligimus quoniam sumus. Nullus autem percipit se intelligere, nisi ex hoc quod aliquid intelligit; quia prius est intelligere aliquid, quam intelligere se intelligere. Et ideo pervenit anima ad intellectualiter percipiendum se esse, per illud quod intelligit vel sentit (1). » Hinc sequitur, effatum Cartesianum, *cogito ergo sum,* non perinde intelligendum esse, quasi cogitatio seorsum attingatur a conscientia, ac deinde per syllogismum ad nostram exsi-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De mente,* art. 8.

stentiam inferendam fiat gradus. Sed effatum illud intelligendum est dumtaxat in hoc sensu, quatenus subiectum cogitans non nude percipiatur in sua exsistentia, sed percipiatur prout aliqua cogitatione afficitur.

PROPOSITIO UNICA

160. *De veracitate conscientiae ambigi nequit.*

Prob. Veracitas conscientiae in dubium vocari nequit, quin hoc ipso in apertam contradictionem fiat lapsus. Nam, dubium ipsum ut adstruatur, inniti debet renuntiationi conscientiae. Ergo huius veracitas eodem tempore, quo impetitur, affirmatur. Et sane, qui dubitat, is aut se dubitare conscit, aut non. Si non conscit, falso asserit se dubitare. Unde enim id novit? Sin autem conscit, iam fatetur veracitatem conscientiae; eius enim testimonio nixus aliquid affirmat, nempe dubium quo pulsatur.

Praeterea, error, qui timeretur in renuntiatione conscientiae, vel proveniret ex alteratione obiecti, vel ex alteratione potentiae, vel denique ex impedimento medii. Nihil horum est approbatione dignum. Nam obiectum in testimonio conscientiae non aliud est, nisi ipsum factum internum. Ergo quocumque modo alterari fingatur; ipsa alteratio in obiectum convertitur. Et sane obiectum determinare nequit potentiam, nisi prout est. At vero sub hoc praecise respectu a conscientia attingitur; siquidem conscientia ad actualem obiecti praesentiam et statum coarctatur. Error igitur ex parte obiecti fingi non potest. Sed nec fingi potest ex alteratione facultatis; nam facultas simplex et inorganica alterari nequit, cum omnis alteratio non procedat nisi ex parte organi. Denique error provenire nequit ex impedimento medii, nam hoc loco medium nullum est, sed obiectum per se afficit potentiam, cui intime coniungitur propter identitatem, quam habet cum subiecto. *Ad hoc quod anima percipiat se esse, et quid in se ipsa agatur attendat, sufficit sola essentia animae, quae menti est praesens; ex ea enim actus progrediuntur, in quibus actualiter ipsa percipitur* (1).

(1) S. Thomas, *Qq. Disp.* Quaestio *De mente*, art. 8.

Adverte tamen hanc non esse demonstrationem: cum impossibile sit demonstrationem instituere sine petitione principii, circa fundamenta totius scientiae; sed esse meram explanationem, qua solum res indiget. Non enim hic agitur de veritate secundaria, quae discursu tantum innotescat; sed agitur de veritate primitiva, cuius certitudo naturalis in philosophicam convertitur ope non ratiocinii sed analysis.

Solvuntur difficultates.

161. *Obiic.* I. Conscientiae veracitas, ut paulo ante concessum est, non demonstratur, sed tantum declaratur. Ergo indubia esse non potest. Deinde, ut certi simus nos conscientiam habere huius vel alterius affectionis, alia indigemus conscientia; et pro hac iterum alia, atque ita progressus instrui posset sine fine.

R. Obiectio falso hoc fundamento nititur, quod quidquid non demonstratur, id minime sit certum: quo sane nihil absurdius dici potest. Ut enim iam diximus et iterum ostendemus inferius, nisi quaedam sint veritates per se notae et certae, quae demonstratione non egeant; nulla institui poterit demonstratio. Etenim demonstratio poscit ante se principia quaedam indubia, quae aliunde minime deducantur. Iam vero in horum numero haberi debet conscientiae testimonium, quo nobis nihil est intimius, nihil evidentius. Quare quod non demonstretur, id ex summa ipsius oritur perspicuitate, quae aliunde collustrari non postulat. Nec inde quidquam eius firmitati detrahitur, quemadmodum nil detrahitur claritati solis, quod alia luce non collustretur. Sic igitur distingues *antecedens:* Conscientiae veracitas demonstrari non potest, quia non eget, *concedo;* cum egeat, *nego.*

Ad alterum repones conscientiam tum sui, tum aliarum facultatum actus testificari. Cum enim reflexione constet, et pro obiecto habeat quamlibet animi affectionem; in semet etiam redire potest atque ipsum suum consciendi actum attingere. Ut igitur de conscientia certi simus, non opus est nova facultate, sed novo dumtaxat eiusdem facultatis actu.

Obiic. II. Conscientia nec internarum affectionum causas, nec modum quo illae excitantur, nec cuius naturae sint, manifestat. Ergo non est medium idoneum assequendae veritatis.

R. *Nego consequens.* Nam ea, quae obiiciuntur, obiectum conscientiae non constituunt. Conscientia enim ad facta tantum interna, prout actu praesentia sunt, determinatur; nimirum ad exsistentiam subiecti cogitantis et modificationum, quae ipsum afficiunt. Earum vero rerum naturam, causas, discrimen, genesim explicare rationis est; quae id discursu eruit ex principiis per se notis, quae factis illis enucleandis applicantur.

Obiic. III. Id per quod aliquid cognoscitur, eo notius esse debet. Ergo si animus noster sine alio medio cognosceret seipsum, sequeretur quod esset se ipso notior. Id vero contradictionem importat.

R. Hanc difficultatem sic resolvit S. Thomas: « Dicendum quod dupliciter aliquid dicitur cognosci: uno modo sicut *ex cuius cognitione* deveniatur in cognitionem ipsius, et sic dicuntur conclusiones principiis cognosci; et hoc modo non potest aliquid cognosci se ipso. Alio modo dicitur aliquid aliquo cognosci, sicut *in quo cognoscitur;* et sic non oportet ut id, *in quo cognoscitur,* alia cognitione cognoscatur, quam id quod cognoscitur eo. Unde sic nihil prohibet quin aliquid cognoscatur se ipso; sicut Deus seipso seipsum cognoscit, et sic anima seipsam quodam modo cognoscit per essentiam suam (1). »

ARTICULUS VI.

De veracitate intelligentiae.

162. In intelligentia, prout a ratione distinguitur, duplex actus considerari potest: simplex apprehensio et iudicium. De veracitate simplicis apprehensionis nihil hic addendum videtur. Ut enim in primo capite demonstravimus, veritas sub eo respectu, quo simplici apprehensioni convenire potest, inseparabilis ab ea est. Simplex enim apprehensio, hoc ipso quod aliquid refert, nequit rei, quam refert, non concordare. Quaestio igitur tota vertitur quoad iudicium; hoc enim veritate aut falsitate affici potest, prout rem apprehensam affirmat vel negat de subiecto, cui competit.

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De mente*, art. VIII, ad 5.

Porro iudicia, quae ad intelligentiam pertinent, ea sunt quae immediata vocantur; seu quae non ratiocinatione, sed mera intuitione obiecti proferuntur. Intuitio autem haec versari potest vel circa *ideam* vel circa *factum;* et quidem factum esse potest vel internum vel externum. Intuemur ideam aliquam, seu melius obiectum per ideam repraesentatum, quotiescumque mentem exercemus in contemplanda realitate aliqua quoad propriam essentiam, consideratione avocata ab exercitio actualis exsistentiae. Aliis vocabulis, intuemur ideam, cum cogitando spectamus obiectam rem non prout physice in propria individualitate subsistit, sed prout intelligibile quiddam est, et rationem menti suppeditat a facto experientiae per se minime dependentem. Ita est cum cogitas notionem substantiae, notionem qualitatis, notionem causae, notionem infiniti, in iisque rimandis attentionem animi defigis.

Contra intueris factum, cum exsistentiam aliquam peculiarem, prout actu in rerum natura viget, contemplaris, seu eventum aliquem ordinis physici. Et quoniam eiusmodi exsistentia esse potest vel ipsum subiectum cogitans eiusque affectio, vel res a subiecto cogitante distincta; idcirco factum, quod percipis, esse potest aut internum aut externum. Si enim te ipsum cogitantem atque ideo exsistentem advertis aut dolorem et laetitiam, qua forte afficeris; factum percipis internum. Sin corpora, quae te forte circumstant, eorumque diversa phaenomena attingis, factum contueris externum; quod quidem sensibus primum usurpas, deinde intellectu diiudicas. Unde iure meritoque intuitio mentis, ratione obiecti, circa quod versatur, dividi potest in idealem, psychologicam et sensilem.

163. Hinc duplex ordo habetur in scientia: ordo rationalis et ordo experimentalis. Primus exsurgit ex intuitione idearum; posterior ex intuitione factorum, qui rursus in experientiam internam et externam dispescitur, prout renuntiatione conscientiae aut sensuum constat.

In utroque ordine mens iudicia colligit; hoc tamen discrimine: quod in ordine rationali iudicia prodeant necessitate et universalitate ornata; in ordine experimentali iudicia exsiliant particularia tantum et contingentia. Ratio huius diversitatis est, quia ideae, utpote ab exsistentia et individuali

concretione abstractae, aliquid obiective necessarium et universale contemplandum suppeditant; contra vero facta, ope conscientiae aut sensuum percepta, nonnisi concretam et contingentem veritatem obiiciunt. Sic idea substantiae, idea causae, idea infiniti, haec iudicia progenerant: *Substantia non eget subiecto, cui inhaereat; Causa prior est effectu; Infinitum mutationi non subiacet.* Experientia autem interna et externa fundamentum praebent his iudiciis: *Ego cogito, exsisto, mutationibus afficior; Corpora sunt, moventur, ordine gaudent.* Prima identitate nituntur idearum, posteriora autem facto ipso experientia comperto.

Ut patet, evidentia, qua utrumque hoc genus iudiciorum gaudet, immediata est; cum non ex aliis iudiciis derivetur, sed solum simplicem apprehensionem ideae aut facti cuiusdam consequatur.

PROPOSITIO UNICA

164. *Intelligentia in suis iudiciis proferendis falli non potest.*

Prob. I. quoad iudicia rationalia. Huiusmodi iudicia ex analysi procedunt alicuius ideae; ex qua praedicatum, in ea evidenter contentum, evolvatur. Sic, ut pronunties hoc iudicium: *totum maius est parte,* nihil aliud requiritur, nisi ut mentis obtutum figas in idea *totius,* ex eaque excessum huius respectu partis depromas. Atqui in hoc nullus error intercedere potest; mens enim non aliquid tunc creat aut aliunde acceptum adiungit obiecto, sed tantum relegit et vi propriae naturae idealiter exprimit id, quod ipsi ab obiecto immediate manifestatur. Ergo possibilitas erroris hic non aliter adstrui potest; nisi quatenus inepte fingamus mentem sic ad errorem naturaliter inclinari, ut aliud videat, quam quod praesens ipsi est, et ineluctabili necessitate obiectum pervertat. Id autem non modo hominem ex ente naturali in ens plane monstruosum et praeposterum commutaret; sed etiam omnem facultatem disserendi et disputandi prorsus adimeret. Deceptio enim, quae ex naturali procedit necessitate et ipsa prima respicit rationis principia, vim cognoscendi in suo fonte corrumpit ac plane perimit. Quo facto, nullus omnino superest disserendi ac disputandi locus.

Adverte tamen erroris absentiam quoad huiusmodi iudicia tunc haberi, cum mens fideliter id tantum affirmat aut negat, quod reapse idea, quam recogitat, immediate ostendit se includere aut excludere. Si aliud affirmaret aut negaret, non haberetur iudicium per se evidens, sed iudicium temere prolatum, de qua temeritate quisque nequiret non esse conscius.

Prob II. quoad iudicia experimentalia. Sicut iudicia rationalia proveniunt ex eo, quod mens reflexione sua in praeviam ideam distinctius attingit quod prius confuse apprehenderat; sic iudicia experimentalia inde nascuntur, quod mens reflexione sua in praeviam perceptionem elementa illa distinguit, quae in renuntiatione conscientiae aut sensuum implexa continebantur. Sic ut quis affirmet ex. gr. *se existere,* nil aliud facturus est, nisi ut mente intueatur, duo in conscientia sui reperiri: exsistentiam nempe et subiectum, quod ea actuatur. Similiter, ut iudicando dicamus solem illuminare, nil aliud opus est nisi ut complexum obiectum, quod percipitur, nempe *sol illuminans*, in duo elementa, quibus constat, tamquam in praedicatum et subiectum, resolvatur. Hanc enim analysim nequit non sequi synthesis, qua asseratur unum alteri competere vi ipsius perceptionis, quae utrumque coniunctim referebat. Mens igitur in huiusmodi iudiciis experimentalibus proferendis, nihil aliud facit, nisi analysi et synthesi sua ad formam intellectualem evehere id ipsum, quod in perceptione concreta sensuum aut conscientiae includitur. Ergo non aliter error fingi posset, nisi quatenus aut naturam intelligentiae, aut renuntiationem conscientiae vel sensus per se deceptricem esse dicamus. At haec evidentibus ratiocinationibus exclusa sunt superius. Ergo mens, ut in iudiciis rationalibus, sic etiam in iudiciis experimentalibus proferendis veracitate gaudet.

Ad rem Suarez: « Ad veritatem potest intellectus necessitari, ad falsitatem autem non potest, simpliciter et absolute loquendo; et ideo quoad exercitium nunquam potest in falsum iudicium incurrere, nisi per liberam motionem voluntatis; nam seclusa necessitate, non potest determinari intellectus ad iudicium, nisi per voluntatem, cum ipse liber non sit. Ratio autem huius differentiae est, quia intellectus non determinatur ex necessitate ad iudicium nisi media evidentia rei cognitae, ut experientia ipsa docet et ratio; quia abs-

que evidentia obiectum non perfecte applicatur potentiae ut eam ad se ex necessitate trahat ac determinet; evidentia autem non potest falsum iudicium parere, quia fundatur in re ipsa, cognita prout est in se, vel necessario resolvi debet in aliqua principia per se nota et manifesta (1). »

Solvuntur difficultates.

165. *Obiic.* I. Facta demonstratio est petitio principii. Nam, cum ideis et iudiciis constet, subaudit veracitatem intelligentiae.

R. *Nego suppositum.* Ratiocinatio superior instituta est ad rem non demonstrandam, sed tantum reflexe declarandam. Ut enim saepe dixi, de veracitate facultatum, quae nobis ad cognoscendum suppetunt, certi sumus vi naturae, non vi demonstrationis; quae profecto institui nequit, sine usu earumdem facultatum. Nihilominus hanc naturalem certitudinem in scientificam convertere possumus: quatenus reflexione mentis consideramus fundamenta, quibus illa superstruitur, et modum quo in nobis ingeneratur. Licet autem id fiat sub forma ratiocinationis, qua omnis processus mentis sive directus sive reflexus induitur; non tamen proprie dictam demonstrationem constituit, quae rebus per se evidentibus nequaquam adhibetur. Quid autem magis evidens, quam facultatem cognoscendi veracem esse per se, cum nil aliud ea sit, nisi facultas detegendi id quod est?

Obiic. II. Mens humana suapte natura fallibilis est. Ergo certitudinem praestare nequit.

R. *Distinguo antecedens:* Fallibilis est natura sua, idest natura sua ordinata ad errorem, *nego;* idest sic ordinata est ad veritatem, ut a veritate deficere aliquando possit, *concedo.*

Si bene advertitur, ipsa ratio fallibilitatis, quae menti tribuitur, eius veracitatem ostendit. Nam quid est fallibilitas? Capacitas deficiendi ab actu naturali. Ergo nequit ea dici de mente humana, nisi hoc ipso intelligatur hanc natura sua tendere ad contrarium, nimirum ad veritatem. Adeptio igitur veritatis sic competit menti humanae, ut haec ab ea non

(1) *Metaph. Disputationum,* t. I, Disp. IX, Sect. 2.

deficiat, nisi *per accidens*. Qui sane defectus contingere nequit quoad iudicia immediata, propter rationes superius adductas, sed tantum contingere potest circa veritates demonstratione acquirendas.

Obiic. III. Si mens errare non posset circa obiecta immediate evidentia, quoad haec dicenda foret infallibilis. Atqui infallibilitas propria est solius Dei. Ergo etc.

R. *Dist. mai:* Dicenda foret infallibilis relative et per participationem, *conc;* absolute et imparticipate, *nego*. Ad minorem pariter *dist:* Infallibilitas absoluta et imparticipata propria est solius Dei, *conc;* relativa et per participationem, *nego*.

Sola mens divina absolute et originarie infallibilis est, cum essentia sua comprehendat omne verum et sit fons primus cuiusque veritatis. Id non modo menti humanae sed cuilibet menti creatae, quae semper finita et dependens est, competere nequit. At mens humana hoc ipso quod donum Dei est et imago divinae mentis, aliquam infallibilitatem participat; secus prototypum nullo modo referret. Huiusmodi infallibilitas in hoc consistit, quod licet non omnia, aliqua tamen necessario et sine errandi periculo cognoscat; idque non habeat a se, sed ex communicatione divini luminis. Talia sunt prima principia per se immediate evidentia, et ea quae legitima ratiocinatione deducuntur. In ceteris mens errare potest; quamvis si diligenter lumine utatur, quod accepit a Deo, hunc ipsum errorem detegere valet.

Obiic. IV. Potest homo, sicut reapse est, generatim propensus esse in malum. Ergo similiter in falsum. Sed generali in falsum propensione admissa, nihil certi pro intelligentia superest. Ergo etc.

R. *Dist. ant:* Potest homo, sicut reapse est, in malum esse propensus, per rationalem appetitum, *nego;* per appetitionem sensilem *subdist:* in malum, quod sit eiusmodi respectu sensibilium facultatum, *nego;* respectu rationis, *dist. rursus:* quae propensio ab ipsa ratione, verum bonum appetente, corrigi possit, *conc;* secus *nego*.

Cum homo animo constet et corpore, intellectu et sensu, duplicis generis appetitiones habet: rationales, quibus ad bonum menti consentaneum impellitur; et sensiles, ad bona

tantum corporea inclinantes; quibus obsequi, etsi rationi aliquando malum sit, sensibus tamen non est ita. Quare appetitio quaevis in suo genere semper ad bonum tendit, quamquam non raro bona sensuum bono mentis adversentur, idque ex naturali imperfectione hominis oboriatur. Cui incommodo natura optime cavit, portionem sensilem rationi subiiciendo, quae cognitione veri et dilectione boni inferiorem appetitum moderaretur, atque ad sibi serviendum flecteret. Falsa est igitur generalis hominis ad malum propensio: ac multo magis falsa esse debet universalis inclinatio ad falsum; quae ex eo etiam repugnat, quod ne peculiaris quidem esse possit. Etsi enim bonum, respectu diversarum facultatum, bono queat aliquando reluctari; tamen verum nunquam vero opponi potest. Non enim verum, ut bonum, relatione constat, congruentia nimirum cum natura aliqua perficienda; sed plane absolutum est, nimirum in convenientia vel discrepantia *praedicati* cum *subiecto* repositum.

Obiic. V. Ut certo constet evidentiam iudiciorum immediatorum rite esse comparatam, debet hoc profecto per normam aliquam diiudicari. Ergo eorum veritas obiectum est non intelligentiae, sed rationis. Insuper eorum certitudo ab usu pendet debitae attentionis, et ex idonea dispositione mentis. Non igitur immediate patet, sed aliunde colligitur.

R. *Nego primum antecedens*, vel, si magis placet, *dist:* Debet hoc diiudicari per normam aliquam, ab ipsa evidentia illorum iudiciorum non distinctam, *conc;* distinctam, *nego.*

Quemadmodum lux solis, ut conspiciatur, alia luce non indiget, sed spectabilis est per se; sic evidentia iudiciorum, quae immediate patent menti, nihil a se diversum exquirit ad plenam gignendam certitudinem. Unde haec iudicia sibi ipsa sunt veritatis norma; nec unquam fieri potest ut mens, modo valeat, in eorum perspicientia hallucinetur. Quod vero requiratur diligens mentis attentio, idearumque penetrans intuitio, et mentis conformatio valens; haec non sunt nisi conditiones requisitae, non autem principia, ex quibus iudiciorum immediatorum veritas ratiocinando ducatur. Quocirca sic alteram obiectionem distingues: Eorum certitudo pendet ab usu attentionis, etc. tamquam a conditionibus, *concedo;* tamquam a demonstrationis principiis, *nego.*

Obiic. VI. Multi erronea docent; tamen ea sibi immediate esse evidentia asseverant. Ergo mens, dum in iudiciis immediatis versatur, decipi potest.

R. Eiusmodi homines id asseverant ore dumtaxat, non vero interna animi persuasione, quae omne dubium excludat. Studio enim abrepti partium, cum sua tueri placita non possint aliter, ad iactatam confugiunt evidentiam; at fide non bona sed simulate ac fallaciter. Nihil proinde ex ipsis ad intelligentiae vim debilitandam desumi potest. Apposite S. Thomas: « Nihil est adeo verum, quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingat idem esse et non esse, quidam ore negaverunt. Quaedam autem adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solum in exteriori, quae est per vocem (1). »

ARTICULUS VII.

De veracitate rationis.

166. Ad ea, quae immediate non patent, discursu rationis assurgimus, modo cum iis, quae immediate percipimus, logico nexu copulentur; nimirum ita, ut haec vera esse nequeant, nisi illa etiam vera sint. Sic conspecto mundo, de Dei exsistentia certiores efficimur; quatenus intelligimus non posse effectum exstare, nisi exstet causa, quae illum produxerit. Hinc ratiocinatio magno usui in scientiis esse solet; non enim aliter, nisi eius adminiculo, rerum naturas et principia detegimus. Quo autem artificio iudicia disponi debeant, ut veritas una ex alia inferatur, quae regulae servandae sint, quot vitia cavenda; id omne in dialectica explicavimus.

167. Ratiocinatio, si a certis et evidentibus procedat praemissis, *apodictica* seu *demonstrativa* dici solet. Sunt vero huius genera quatuor: I. Demonstratio *a priori*, cum effectus notitia ex notitia causae suppeditatur, ut si libertatem hominis ex eius rationalitate demonstres. II. Demonstratio *a posteriori*, cum contra causa probatur ex effectu, ut si exstare Deum ostendis e rerum creatarum exsistentia. III. De-

(1) In 1. *Posteriorum*, lect. 19.

monstratio *directa,* ea nimirum, quae ex una subiecti notione ad aliam inferendam pergit, ut si ex animi spiritualitate eiusdem perpetuitatem elicias. IV. Demonstratio *apagogica* seu *indirecta*, quae rem ex absurdis alias consequuturis ostendit; ut si futuram vitam deducas ex perturbatione ordinis, de qua secus divina providentia incusaretur. Harum praestantissima est demonstratio *a priori;* quandoquidem in ipsa mens plene conquiescit; in ceteris adhuc irrequieta persistit, non quidem quoad exclusionem dubii, sed quoad sciendi cupiditatem. Haec enim non expletur, nisi rei perfectam scientiam mens sibi comparaverit; ut autem recte Aristoteles notat, tunc perfecte scimus, cum rei causam cognoscimus. Haec appellabatur a veteribus demonstratio *propter quid;* quae autem *a posteriori* procedit, demonstratio *quia* dicebatur.

168. Alia etiam partitio magni momenti, ea est, qua ratiocinium tribuitur in *purum, empiricum* et *mixtum.* Primum est, quod solis praemissis rationalibus constat, velut si dicas: *Ex aequalibus summis, aequalibus demptis partibus, quae supersunt sunt aequalia; atqui in omni triangulo summa angulorum aequat duos angulos rectos; ergo si duobus triangulis aequalis angulus demitur, summae angulorum, qui supersunt, erunt aequales.* Alterum est quod solis experimentalibus iudiciis coalescit; ut ex. gr. *Ignis, stipulae admotus, eam comburit; atqui huic stipulae ignis admovetur; eam igitur comburi oportet.* Tertium dicitur, quod altera rationali, altera experimentali praemissa constat; cuiusmodi esset haec ratiocinatio: *Nequit exsistere ens contingens, nisi exsistat ens necessarium; atqui entia contingentia exsistunt; ergo exsistere oportet ens necessarium.*

Inter has ratiocinandi species hoc interest discrimen, quod prima nonnisi relationes quasdam inter ipsas ideas detegit, sed per se ad realem rerum exsistentiam inferendam minime valet; contrarium vero dicendum est de reliquis. Nam ratiocinatio empirica tota quanta est in realitate ipsa conferenda et iudicanda versatur. Ratiocinatio autem mixta veritatem quamdam puram et rationalem veritati alteri applicat experimentali, realem exsistentiam includenti. Quare ostendit eas ipsas in rebus exsistere relationes, quae intercedunt inter ideas. Veritates enim utcumque rationales, quo-

ad sensum inspectae, sunt conditionate reales; quatenus nimirum id, quod absolute asserunt de ideis, asserunt etiam de rebus, dummodo conditio, quam includunt, reducatur ad actum. Sic cum dicis: *Ens contingens exstare nequit sine ente necessario*, eiusmodi propositio idem affirmat atque haec conditionalis: *Si exsistit ens contingens, exstare debet ens necessarium*. Quare cum postea vi minoris propositionis empiricae asseris exsistentiam entis contingentis; consequens est ut in illatione realem entis necessarii deducas exsistentiam. Ex quo plane intelligitur quantae utilitatis sit haec ratiocinandi species; per ipsam enim ex iis, quae experientiae subiecta sunt, ea, quae experientiae subiecta non sunt, necessario et evidenter inferimus.

169. Denique recenseri potest tum ratiocinatio *ad hominem*, qua nimirum ex ipsis adversariorum principiis aliquid contra eos ostendimus; tum ratiocinatio *hypothetica*, idest qua hypothesis assumitur quaedam, ex ipsaque phaenomena explicantur. At haec non est veri nominis demonstratio, et vix probabilitatem suppeditat. Tamen utilis est quandoque ad aliquam explicationem effectuum, qui apparent, afferendam; quotiescumque vera causa non cognoscitur. « Ad aliquam rem, scribit S. Thomas, dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem.... Alio modo inducitur ratio, non quae sufficienter probet radicem, sed quae radici iam positae ostendat congruere consequentes effectus. Sicut in Astrologia ponitur ratio eccentricorum et epicyclorum ex hoc quod hac positione facta possunt salvari apparentia sensibilia circa motus caelestes; non tamen ratio haec est sufficienter probans, quia etiam forte alia positione facta, salvari possent (1). »

PROPOSITIONES

170. Propositio 1.ª *Mens, praemissis assentiens, nequit non assentiri conclusionibus.*

Prob. Contra naturam mentis est ut a vero evidenti refugiat. Atqui id sequeretur, si mens, dum assentitur praemissis, assensum negaret conclusioni, quam ex illis effluere

(1) *Summa th.* I. p. q. 52, art. 1 ad 2.

conspicit. Ergo mens, praemissis assentiens, nequit non assentiri conclusionibus. Praeterea mens, in asserendis praemissis, implicite asserit conclusionem, quae profecto in praemissis continetur. Ergo, cum deinde explicite concipit illationem ex praemissis manantem, nequit illi renuere, quin sibi repugnet atque in apertam contradictionem incidat.

171. Propositio 2.ª *Mens nostra in deducendis illationibus non fallitur, nisi per accidens.*

Prob. Quod per se falli nequeat, evidens est. Nam nulla facultas ab actu suo naturali deficit per se; deductio autem est actus naturalis mentis humanae. Quod autem falli possit per accidens, detrectari nequit. Nam in tantum deductio certitudinem habet, in quantum a praemissis legitime derivatur; mens autem potest aliquando huius legitimae derivationis regulas non servare.

Ut autem mens certior fiat se legitimae derivationis regulas observasse; opus est ut reflexione sua perlustret iter, quod in ratiocinando sequuta est. Ad rem S. Thomas: « Certitudo scientiae tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia (1). »

172. Propositio 3.ª *Ratiocinatione novae veritates detegunturi.*

Prob. Ratiocinatio est progressus quidam mentis in cognoscendo. Inde enim habetur, quod mens aut comparatione principiorum inter se, novas earumdem relationes dispiciat; aut comparatione alicuius ideae cum rebus, experientia compertis, videat in his concrete reperiri, quod prius in illa abstracte contuebatur. In utroque casu novas notitias sibi comparat. « Processus rationis provenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo, ait S. Thomas, est ut principia communia applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones, et ex his in alias (2). » Immo adeo indubium est ratiocinium ad novas veritates detegendas valere; ut nunquam scientiae, nisi ope ratiocinii, novis veritatibus augeantur. Nam experientia per se non praebet nisi casus singulares; inductio autem vel in syllo-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate*, art. 1.
(2) *Qq. Disp.* Quaestio *De magistro*, art. 1.

gismum resolvitur, vel syllogismo nititur. Quare nihil ineptius aut scientiae perniciosius proferri poterat, quam Baconi praescriptum de repudiando syllogismo, inductione suffecta.

Solvuntur difficultates.

173. *Obiic.* I. Si ratiocinatio verax esset, nullus error in scientiis comperiretur, nulla dissentientium philosophorum discrepantia.

R. *Distinguo:* Si omnes ratiocinia instituerent, quae nec in materia nec in forma peccarent, *concedo;* secus, *nego.*

Errores huiusmodi et dissensiones non inde oriuntur, quod mens in rite ratiocinando fallatur; sed oriuntur ex eo, quod instar principiorum statuantur effata, quae vix hypotheses dici possunt, immo saepe exaestuantis ingenii sunt deliramenta. Vel etiam inde proficiscuntur, quod, etsi vera iaciantur principia, tamen de recta ratiocinandi via mens deflectat. Quae duo vitia si semper vitarentur, nullus hercle in scientiis error, aut dissidium dominaretur. Verum haec beatorum felicitas, non praesens hominum conditio est. Attamen in hoc libertas hominis, non natura accusanda est. Natura enim suppeditavit media detegendi errorem ; quod certo fiet, si illationes resolvantur in principia, a quibus deducuntur; principia autem non habeantur, nisi ea quae evidenter et immediate notescunt.

Obiic. II. In ratiocinando memoria utimur; memoria autem fallax est. Ergo etc.

R. *Dist. mai :* In ratiocinando memoria utimur semper, *nego;* aliquando, *subdist :* ita ut in potestate rationis sit, ea, quae illa refert, ad trutinam revocare pro libito, *conc;* secus *nego.* Item *dist. min:* memoria fallax est, quatenus labi potest, et ea, quae alias arripuit, non satis reminisci, *conc;* quatenus, sufficienti attentione adhibita, potest evidenter referre falsum, *nego.*

Obiectio non una ex parte vacillat. In primis, verum non est in omnibus ratiociniis necessarium esse usum memoriae. Cum enim illationes ex principiis primis et per se evidentibus proxime deducuntur, tunc mens eodem tempore praemissas et conclusionem intuetur. Deinde, etiamsi in ratiociniis longioribus, quibus remota admodum ab iudiciis imme-

diatis illatio deducitur, adiuvari mens memoria debeat; tamen ratiocinationes ante institutas, et memoriae commendatas, iterum, si velit, ad examen traducere potis est. Denique, memoriae fallibilitas in hoc unice sita est, quod multa olim leviter cognita obliterentur, non pauca etiam dubitando meminerimus, atque id ipsum conscientiae evidenti testimonio manifestatur. At neutiquam in hoc consistit, quod, nullo intercedente impedimento, referat tamquam certam rem dubiam, aut alias non perceptam. Quod si quando hoc nonnullis accidit, id non ex natura illius facultatis, sed ex imprudentia temere iudicantis atque ex debitae considerationis defectu contingit. Memoria enim et ipsa cognoscendi facultas est, ad ideas praeteritas revocandas data. Nulla autem facultas circa proprium obiectum, si rite adhibetur, falli potest.

Obiic. III. Si vis ratiocinii perpenditur, videbitur profecto ipsum illuc revocari, ut particulare ex universali deducat: quippe omnes ratiocinandi modi ad syllogismum aliquem reducuntur. Atqui haec progrediendi ratio naturae hominis reluctatur, cuius est ex particularibus ad universalia devenire. Ergo etc.

R. *Concedo maiorem.* At *minorem distinguo:* Cuius est ex particularibus ad universalia devenire in obiectis apprehendendis, *concedo;* in̄ inferendis iudiciis, *nego.*

Adversarius duo inter se admodum diversa confundit: ordinem rerum percipiendarum, quae cognitioni praebent initium, et ordinem iudiciorum deducendorum. Illum talem esse largimur, ut a particularibus ad universalia gradiatur. Omnis enim cognitio humana a sensu incipit; sensus autem circa particularia versatur, a quibus mens suas ideas universales ope abstractionis eruit. Verum hoc, quia longam explicationem exigeret et ideologiae materia est, in proprium locum differimus; hic tantum aliquid innuisse sit satis. At cum contra non de perceptionibus eliciendis, sed de deducendis iudiciis agitur, animus noster inversum pergit iter. Ab universalioribus enim, quibus implicite saltem praebeamus assensum, ad minus universalia descendimus; idque ex ipsa ratiocinii natura repeti debet; ut ex iis, quae alias dicta sunt, satis superque colligitur (1). Neque his obest, quod

(1) Vide tertium Dialecticae caput, et primum articulum capitis prim huius secundae partis Logicae.

aliquando in demonstrationibus, analytica methodo confectis (quales potissimum sunt eae, quae ex. gr. in Algebra fieri solent) aliter factitari videatur. Nam si accurate demonstrationes illae perpendantur, et ad formam dialecticam revocentur, patebit profecto eas semper ab aliqua generaliore praemissa suam deductionem elicere.

ARTICULUS VIII.

De scepticismo.

174. Ex huc usque explicatis iudicium ferri potest de scepticismo. Est porro scepticismus doctrina illa, qua statuitur *nil posse certo cognosci,* propterea quod discussis mediis, quae ad cognoscendum habemus, ea nullis aut non satis firmis fundamentis niti deprehendantur. Celebriores, qui inter veteres hanc insaniam professi sunt, habentur Pyrrho, ex quo Pyrrhonismi ductum est nomen, et Sextus cognomento Empiricus, qui omnium maxime scientifico, si ita loqui fas est, apparatu scepticorum causam defendendam suscepit. Inter recentiores, qui plus minusve certitudinis humanae firmitatem labefactarunt, famam prae ceteris consequuti sunt Baylius, Hume, Kant, Fichte, aliique e postrema transcendentalium sophistarum schola. Age iam quid de capitali hac philosophiae labe sentiendum sit, breviter innuamus.

PROPOSITIONES

175. Propositio 1.ª *Scepticismus, ex vera animi sententia, chimaera est aut certe delirium.*

Prob. Quod ex necessitate naturae procedit, removeri nequit. Atqui talis est certitudo, quoad obiecta quae vel immediate ab aliqua facultate percipiuntur, aut ex his legitima ratiocinatione inferuntur. Ergo impossibile est ut de omnibus omnino mens sana dubitet.

Et re quidem vera, omnis potentia sicut necessario movetur a proprio obiecto, ipsi sufficienter proposito; ita in eius adeptione necessario conquiescit. Certitudo autem nihil est aliud, quam quies mentis in cognitione obtenta. Ergo nequit non consequi perceptionem veritatis. Apposite Tul-

lius: *Necesse est, ut libram ponderibus impositis deprimi, ita animum perspicuis cedere* (1). Quare mens, nisi naturam prorsus exuat, certitudini penitus valedicere nunquam potest. Hinc efficitur ut illi ipsi, qui scepticismum profitentur, sibi aperte contradicere, praxi saltem, adigantur. Nam usibus vitae se accommodant, cibo reficiuntur, somnos capiunt, vitant pericula, negotia contrahunt, propulsant iniurias, damnum inferentibus irascuntur. Quomodo haec et alia facerent, si reapse de omnibus ambigerent (2)?

176. Propositio 2.ª *Cum homine, qui perfectum scepticismum, sive sincere sive simulate, profitetur, disputari nequit.*

Prob. Nequit institui disputatio, nisi aliqua certa et inconcussa, velut fundamentum cui nitamur, stabiliantur. Sic tenendum est in primis nos veritatem aliquam assequi posse; quod nisi ratum ante sit, nihil certe proficit demonstratio. Itemque pro certo habendum est demonstrationem, si legitima sit, ad veritatem capessendam nos adducere. Ex quo sequitur ut etiam tamquam vera existimentur principia, quibus innititur demonstratio, et a quibus in ratiocinando exordium ducimus. Supponendum est pariter nos non in somno aut delirio, sed in vigilia et sanitate versari, atque alia his similia; de quibus si ambigas, demonstratio ipsa, et illationes, quae derivantur, simul vacillent necesse est. At vero perfectus pyrrhonismus, si sibi constans esse velit, de his omnibus dubitationem inducit. Quapropter crudum, ut aiunt,

(1) *Academicorum*, lib. 3.

(2) Hinc de his hominibus ridicula prorsus enarrantur; ut de Pyrrhone, qui cum pollicitus esset se deinceps in via nec equos nec currus nec ulla occurrentia pericula vitaturum; tamen cum rabido cane invaderetur, fugam arripuit. Qua de re cum postea ab amicis argueretur, respondisse fertur: *difficile esse naturam exuere*. Simile accidit Diodoro, qui motum localem denegabat. Is cum aliquando humi procidisset, eique humerus amotus esset, continuo medicum, a quo curaretur, arcessivit. At facetus medicus proprium eius sophisma in ipsum retorquens, aiebat casum illum minime contingere potuisse; quippe cum aut procubuisset loco ubi erat, aut loco ubi non erat. Verum ille moerens, per Deum deprecari medicum coepit, ut, missis nugis, curam festinaret.

laterem lavant ii, qui perfectos scepticos convincere, eosque vigiles esse mentisque non captos demonstrare contendunt.

Enimvero quoad disputandum cum scepticis, hi si aliqua ceu firma et indubia, seque vigilantes et sanos esse largiuntur, ac proinde si perfectos pyrrhonistas non agunt, ex iis, quae admittunt, coargui possunt, saltem demonstratione *ad hominem*. Sin autem se de omnibus prorsus dubitare profiteantur, tunc probe observandum est utrum id ludicre an serio dicant. Si ludicre dicunt, ludicre etiam irridendi sunt; sin autem serio, non disputatione convincendi, sed perito medico tradendi sunt, ut curentur helleboro.

177. Propositio 3.ª *Scepticismus, dum generale dubium sancit, sibimet ipse dissidet atque in patenti contradictione versatur.*

Prob. I. Sceptici non modo certitudinem, quam verbis inficiantur, consuetudine et operatione profitentur; sed etiam in oppugnatione ipsa dogmatismi se dogmaticos faciunt. Nam ad scepticismum obtrudendum ratiocinatione utuntur; atque ideo illius vim et principia pro certis assumunt. Secus irritos conatus exsererent, neque eorum dubitatio examine niteretur mediorum, quae ad cognoscendum habemus. Itemque cum dicunt nos a sensuum relatione decipi, omnesque cognitiones inania esse phantasmata, non paucas veritates statuunt; nimirum sui exsistentiam, facultates cognoscendi, harum repraesentationes fallaces, obiecta his non respondentia, aliaque quamplura, in quibus sententiarum pugna atque aperta contradictione peccare produntur.

Prob. II. Scepticismi adsertores in ipsa dubitatione, quam adstruunt, veritatis certitudinem includunt. Nam hoc ipso quod dubitant, statuunt veram esse hanc propositionem: *De omnibus dubitandum est.* Hinc veritatem dari generatim subaudiunt; abstractum enim includitur in concreto. Apposite S. Augustinus: « Regulam ipsam, quam vides, concipe hoc modo; omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re, quam intelligit, certus est. De vero igitur certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate du-

bitare, qui potuit undecumque dubitare (1). » Similiter ex dubitatione ipsa, quam sceptici tuentur, monstrari potest eos conscientiae testimonium inconcussum habere, atque ideo alicui veritati confidere. Id vero scepticismum evertit. Quod si conscientiae etiam testimonium detrectabunt, tunc ex alia parte suum systema destruent, quatenus, labefactata conscientia, ipsa etiam corruit dubitatio. Ergo quo se cumque vertant, proprium systema diruent.

Quo autem pacto, admissa conscientia, quae dubium saltem referat, scepticismus refutari possit, atque ad exsistentiam aliquam admittendam adigi, subtilissime ostendit S. Augustinus his verbis: « Nam et sumus, et nos esse novimus, et id esse ac nosse diligimus. In his autem tribus, quae dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa, quae foris sunt, ullo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus. Quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec iam corporeas, cogitatione versamus, memoria tenemus, et per ipsas in istorum desideria concitamur. Sed sine ulla phantasiarum, vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse, et amare certissimum est. Nulla in his veris academicorum argumenta formido dicentium: quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum si fallor, quomodo me esse fallor, quando certum est me esse, si fallor (2)? »

Hunc locum inepte imitatus est Cartesius convertens ad usum absolutum, quod S. Doctor adhibuerat usu tantum relativo. Instituendam enim duxit pro philosophis persuadendis et certitudine generatim consectanda eandem ratiocinationem, quam S. Augustinus confecerat pro scepticis, ut de insania, si fieri posset, convalescerent. Qua in re Cartesius ei videtur esse similis, qui methodum, qua medicus utitur in nosocomiis ad mente captos curandos, transferendam putaret ad iuvenes generatim in Collegiis educandos.

(1) Lib. *De vera religione*, c. 37, n. 75.
(2) *De Civ. Dei*, lib. II, c. 26.

178. *Obiic.* I. Prudens est cohibere assensum ad cavendum errorem. Ergo scepticismus approbatione est dignus.

R. *Dist. antec:* Prudens est cohibere assensum a rebus dubiis, quae nullo solido motivo fulciuntur, *conc;* secus, *nego.* Non modo non prudens, sed maxime imprudens est dubitatio, quando agitur de rebus evidentibus et stabili fundamento nixis. Talia sunt obiecta immediate percepta, aut legitima ratiocinatione innotescentia.

Obiic. II. Saepe falsis opinionibus imbuti sumus, quas cum veritate confundimus. Ergo prudens erit plus aequo indulgere dubitationi; quemadmodum qui baculum curvum ad rectitudinem reducere cupit, ipsum in oppositam partem inflectit.

R. *Dist. antec:* Saepe falsas opiniones cum veritate confundimus, quia recte iudicandi norma non utimur, *conc;* secus, *nego.* Ad exemplum vero reponimus, sicut insipienter ageret, qui ad rectitudinem baculo donandam, baculum ipsum frangeret; sic insipienter operari, qui ad mentem purgandam ab errore, ipsam a veritate prorsus alienat. Id faciunt Sceptici.

Obiic. III. Qui de omnibus dubitat, ab omni errandi periculo securus est. Ergo scepticismus est amplectendus.

R. *Nego antec.* Nam ipsum universale dubium est error, omnium maximus, quatenus omnem scientiam et veritatem pessumdat. Argumentum simile est huic: Qui nihil comedit, ab omni veneno securus est; ergo nihil comedendi methodus optima est.

Obiic. IV. Philosophus non potest admittere ullam veritatem, quin eam demonstret. In hac vero demonstratione circulus vitiosus incurritur. Ergo iure de omnibus dubitatur.

R. *Nego maiorem.* Dari veritatem est effatum per se notum et fundamentum omnis cognitionis. Quare non est demonstrandum, sed reflexe tantum explicandum. Neque in hoc deceptio ulla timeri potest. Nam, ut ait S. Thomas, *sicut circa ipsum introitum domus, qui omnibus patet et primo occurrit, nullus decipitur; ita etiam in consideratione veritatis* (1).

(1) In 2 *Metaphysicorum,* lect. 1.

Obiic. V. Scepticus refutari non potest, nisi per petitionem principii. Ergo eius positio manet immobilis.

R. *Dist. antec*: Refutari non potest, quia scepticus extra conditionem se constituit ad usum rationis necessariam, *conc;* refutari non potest, quasi scepticus maneat in ordine idoneo ad ratiocinandum, et quasi adversario desint arma ad ipsum impetendum, *nego.*

Etiam lapis aut stipes refutari non potest, quia ratiocinandi vi non tangitur. Ergo dicemus optimam esse eorum conditionem et philosopho anteponendam? Tunc obiectio aliquid valeret, si scepticus in stadio ad ratiocinandum apto se constitueret. Sed tunc aliqua admittere deberet tamquam vera et indubia; quibus non modo refelli posset, sed etiam proprio marte suum systema subverteret.

CAPUT TERTIUM

DE VERITATIS CRITERIO.

179. Κριτήριον graece, latine iudicatorium, iuxta vim nominis non aliud exprimit, nisi instrumentum seu medium iudicandi. Et quoniam id esse potest vel facultas, qua profertur iudicium, vel ratio, qua facultas in iudicio proferendo nititur; hinc oritur divisio in criterium *per quod* et criterium *secundum quod.* Primum nulli controversiae locum praebet; siquidem ambigi nequit facultatem, qua iudicatur de veritate, non esse nisi intellectum latissime sumptum, prout nempe non solum intuitione, sed etiam discursu operatur. Non ita est de altera acceptione criterii, prout nempe significat id a quo rationem iudicandi petimus, seu id ad quod in iudicando respicimus. Sic enim acceptum in diversas sententias animos philosophorum distraxit. Quid autem de ipso dicendum videatur, quatuor articulis aperiemus.

ARTICULUS I.

De exsistentia criterii interni.

180. Exsistentiae criterii interni adversantur, qui ultimum fundamentum iudicandae veritatis in re aliqua, eidem ve-

ritati extrinseca, collocant. Inter hos primum recenseri debet Huetius, qui nihil certi a nobis haberi posse putavit, nisi vi divinae revelationis. Deinde recenseri debet De-Lamennais, qui fulcrum totius certitudinis, quoad nos, reponi asseruit in auctoritate et consensu humani generis, quem sensum communem appellabat. Tertio recenseri debet schola sentimentalis Germaniae, quae, auctore Iacobi, normam supremam veritatis in affectiva animi propensione reperiri opinatur. Contra hos omnes sequentia constabilimus.

PROPOSITIONES

181. Propositio 1.ª *Divina revelatio nequit esse unicum aut tempore primum veritatis criterium.*

Prob. prima pars. Nequit esse unicum veritatis criterium id, quod per se non praebet, nisi fidem; secus scientia omnis ableganda foret. Atqui talis est divina revelatio; vi cuius obiectum non intuemur sed credimus. Ergo divina revelatio nequit esse unicum veritatis criterium.

Deinde, nequit esse unicum veritatis criterium quod per se notitiam certam veritatis, aliunde habitam, ante se postulat. Atqui ita se habet divina revelatio; quae certa haberi nequit, nisi saltem nostra exsistentia, et exsistentia Dei eiusque veracitatis praesumatur. Ergo, etc.

Atque hinc patet etiam secunda pars propositionis. Nam nequit esse primum quoad tempus criterium illud, cuius usus praeeuntem requirit certitudinem aliarum veritatum. At vero revelatione divina uti non possumus, nisi eam hominibus illuxisse et ab omni falsitate esse liberam ante sciamus. Necessario igitur, praeter revelationem divinam, aliud veritatis criterium, quod ipsam tempore praecedat, agnoscendum est.

182. Propositio 2.ª *Auctoritas vel consensus humani generis nequit esse unicum aut etiam tempore primum veritatis criterium.*

Prob. Nequit esse unicum aut tempore primum veritatis criterium, quod an detur necne per aliud criterium definiri debet. Talis autem est auctoritas vel consensus humani generis. Nam ut vi universalis huius consensus assentiamur alicui veritati, noscere profecto debemus ipsum pro veritate illa reapse militare iisque notis praeditum esse, quibus a

praeiudiciis vel privatis opinionibus distinguatur. Iamvero unde id noscimus? Vi eiusdem consensus? Haberetur circulus vitiosus, et petitio principii. Statuendum est igitur aliud veritatis criterium, quod ipsi consensui generis humani percipiendo atque diiudicando aptum sit, eique tempore antecedat. Iactatus igitur universalis consensus nequit esse unicum aut tempore primum veritatis criterium.

Deinde, si nihil certum et ratum habere possumus, nisi ex consensu cognito generis humani; in perenni dubio et scepticismo maior hominum pars versaretur. Nam soli sapientes, et quidem eruditissimi, ad eius cognitionem perveniunt. Immo hi etiam quoad res innumeras et per longum tempus certitudine carerent; cum nonnisi quoad pauca et post diuturnum studium, quid genus humanum senserit et sentiat detegere possent.

Denique, cum sensus communis dictet posse certitudinem acquiri, quin ullo modo quid ceteri cogitent innotescat; ipse universalis consensus proprio suo testimonio fatetur se non esse unicum neque tempore primum veritatis criterium.

183. Propositio 3.ª *Interior animi affectus haberi nequit tanquam supremum veritatis criterium.*

Prob. Haberi nequit tamquam supremum veritatis criterium, quod mutabilitati obnoxium est, et a subiecti dispositione ac praeiudiciis magnopere pendet. Atqui talis est affectus, qui facillime variatur et subiectivam indolem maxime praesefert. Ergo etc.

Praeterea, nequit esse norma rationis, quod a ratione, ne deerret, temperari debet. Atqui talis est affectus. Ergo tantum abest, ut tamquam supremum veritatis criterium ad rationem dirigendam habeatur; ut potius contra ipsum, tamquam contra erroris fontem, nos rationis praesidio muniri debeamus.

184. Propositio 4.ª *Admittendum est aliquod internum veritatis criterium.*

Prob. Cum agitur de obiecto potentiae cognoscitivae proportionato, nulla est ratio cur ipsum manifestare se illi non debeat, dummodo ei rite applicetur. Ergo, cum intellectus sit facultas ad intime scrutandam veritatem idonea, nequit haec, si rite proponitur, eidem non apparere. Sed obiectum quod apparet, seque manifestat facultati cognoscitivae, hoc

ipso iudicatur per normam aliquam eidem internam. Ergo huiusmodi norma, seu criterium, admittenda est.

Praeterea, ut quisque sibi est conscius, nos non modo fidem, sed etiam scientiam habemus, nimirum notitiam, quae certitudine simul et evidentia fruatur. Atqui evidens notitia haberi non potest, nisi obiectum propriis et internis fultum momentis proponatur, ac proinde non per externum sed per internum criterium diiudicetur. Ergo etc.

Peculiares difficultates hoc loco addendas non existimamus, cum Huetius et De-Lamennais non alias protulerint, nisi quae defectibilitatem individualis rationis exaggerarent, et cognoscendi media, quibus a natura donati sumus, per se ad dubitationem removendam inepta esse adstruerent. Hae autem superius solutae iam sunt.

ARTICULUS II.

In quo reponendum sit criterium veritatis internum.

185. Philosophi etiam, qui criterium internum veritatis admittunt, non parum discrepant inter se quoad rem definiendam, in qua tandem collocetur. Cartesius enim voluit huiusmodi criterium esse ideam rei claram et distinctam. Malebranchius, qui omnia nos in Deo videre asserebat, consequenter statuit supremum criterium veritatis esse ipsas rationes aeternas divinae mentis. Galluppius opinatus est ultimum veritatis criterium esse conscientiae testimonium. Denique Rosmini et Gioberti criterium supremum veritatis in idea entis, alter possibilis, alter realis, constituerunt. Nos dicimus criterium veritatis internum reponendum esse in evidentia obiecti ontologice spectata, seu in ipsa entitate rei prout menti cognitione splendescit. Sed claritatis gratia, ut hactenus fecimus, tum confutationem aliarum sententiarum, tum probationem nostrae sub dialectica forma proponamus.

PROPOSITIONES

186. Propositio 1.ª *Idea clara et distincta Cartesii nequit esse veritatis criterium.*

Prob. Criterium debet esse aliquid obiectivum; siquidem debet esse suprema ratio, qua nitamur in iudicando, et principium quod in nobis generet certitudinem. Atqui idea clara et distincta Cartesii subiectiva est et non generat certitudinem sed certitudine afficitur. Ergo nequit esse criterium, quod quaerimus. Maior manifesta est ex iis, quae de criterii notione tradidimus; et confirmatur, quia obiectum se imponit facultati, non facultas obiecto. Minor autem demonstratur tum ex eo, quod idea proprie sumpta est obiecti repraesentatio mentem afficiens; tum ex eo, quod eius claritas et distinctio pendet plerumque a dispositione subiecti atque a gradu attentionis, quae in considerando adhibetur.

Huius argumenti vis augescit, si animum attendas ad explicationem, quam Cartesius adiungit. Is enim idcirco dicit ideam claram et distinctam indicium certum esse veritatis, quia ex ea subiectum cogitans sic adigitur ad assentiendum obiecto, ut plane sentiat se non posse de ipsius veritate dubitare. Unde videtur Cartesius in hac necessitate assensus, quam subiectum cogitans post perspectam veritatem experitur, totam vim sui criterii reponere. Hanc autem necessitatem esse aliquid subiectivum, nemo non videt.

Praeterea, criterium veritatis nequit constitui in re mutabili et abusui valde subiecta. Huiusmodi autem est idea clara et distincta; quam quisque pro libito aut illusione mentis iactare posset quoad rem falsam, vel inficiari quoad veram. Ergo etc.

187. Propositio 2.ª *Generale et ultimum criterium veritatis nequit esse conscientiae testimonium.*

Prob. Conscientiae testimonium nos certiores reddit de factis tantum internis et exsistentia cogitationum, quibus afficimur. Unde actus est qui reflexione constat, solius experientiae ambitu coërcetur, et ad subiectum ipsum cogitans totus quantus est refertur. At vero criterium universale atque ultimum veritatis per se pertinere debet ad cognitionem tum reflexam tum directam, nec subiectum tantummodo respicit, sed etiam, immo primitus, obiectum, et quidem non quoad solam exsistentiam sed maxime quoad essentiam. Ergo huiusmodi criterium nequit esse conscientiae testimonium.

188. Propositio 3.ª *Supremum criterium veritatis nequeunt esse rationes aeternae in divina mente perspectae.*

Prob. Haec sententia supponit intuitionem directam et immediatam Dei aut rationum aeternarum, quae a Deo non distinguuntur. Sed huiusmodi intuitio propria est beatorum dumtaxat, et nos criterium quaerimus, quo utuntur homines in hac vita degentes. Ergo sententia est, quae prorsus quaestionem elabitur.

Deinde haec sententia contradicit experientiae. Nam iuxta ipsam mens nostra, ut rei alicuius determinatae certitudinem assequatur, sic procederet. Proposito obiecto, statim ad eius typum in divinis ideis deligendum recurreret; atque hunc rei iudicandae comparans, sic apud se ratiocinaretur: Quicquid e rebus creatis convenit typo increato, verum est; atqui hoc obiectum creatum convenit reapse typo increato; ergo verum est, ac proinde in eius cognitione secure possum conquiescere. At vero id ontologis fortasse contingit, sed nullo modo ceteris hominibus; qui non solum hanc typi increati visionem non experiuntur, sed ad eius cognoscendam exsistentiam se nonnisi ratiocinio adduci sentiunt.

189. Propositio 4.ª *Supremum criterium veritatis nequit esse idea entis sive possibilis sive realis.*

Probatur consimili fere modo, ac praecedens propositio. Nam in primis haec sententia supponit vel ideam innatam entis possibilis, vel intuitum naturalem entis realis et necessario exsistentis, nempe Dei. Utrumque autem falsum est; nam ideam universalem entis acquirimus abstractione a singularibus; et Deum non cognoscimus in hac vita, nisi ratiocinando.

Deinde, haec etiam duplex sententia explicat adeptionem certitudinis per applicationem typi. Prima enim vult ut in tantum adhaereamus mente singulis obiectis, in quantum ea congruere videmus cum anticipata illa idea entis possibilis. Secunda vero statuit nos eatenus percipere intellectu res determinatas, quatenus illas actui Dei creantis aut aeterno exemplari, cui conformantur, substare cernimus. At haec figmenta sunt prorsus vana et gratuita, quae non solum conscientiae testimonio adversantur, sed praeterea ex ignoratione procedunt naturae facultatis cognoscitivae. Nam facultas cognoscitiva hoc ipso, quod obiectum proportionatum praesens habet, ei adhaeret, in eoque conquiescit; siquidem

illuc pervenit, quo tendebat. Quia vero quies illa non fluit a deliberatione quapiam, sed a constitutione et natura ipsius facultatis (nam in omni mobili cessat motus, attacto termino), hinc facultas cognoscitiva non debet ratiocinatione aut collatione cum typo aliquo uti, ut dicat: ergo quiescamus; sed plane conquiescit pondere ipso, quo ad obiectum fertur sibi congruum. Non igitur anticipatio et usus typi ad genesim certitudinis explicandam requiritur; sed satis est proportio naturalis facultatis cum obiecto, et huius actualis adeptio.

190. Propositio 5.ª *Criterium veritatis, in genere inspectum, est ipsa evidentia rei obiective et ontologice considerata* (1).

Prob. Haec propositio est fere corollarium confutationis postremae. Nam si certitudo est naturalis effectus manifestationis obiecti, tamquam quies, quae necessario in potentia resultat statim atque obiectum perceptum sit; criterium veritatis non erit aliud, nisi id quod in manifestatione hac extorquet et regit assensum. Sed id quod in tali manifestatione extorquet et regit assensum, non est aliud, nisi ipsa entitas obiecti, quatenus menti fit praesens eique splendescit; entitas autem obiecti menti splendescens non aliud est, nisi evidentia obiective et ontologice considerata. Ergo in hoc generale criterium veritatis iure reponitur.

Enimvero, si sedulo investigemus motivum, quo adducimur ad assensum certum in quovis iudicio praestandum, videbimus procul dubio huiusmodi motivum in evidentia consistere ontologice spectata, seu in ipsa obiecti entitate, quae per

(1) Opportunum erit hic in memoriam revocare nunnulla, quae evidentiam spectant. Evidentia abstracte sumpta est obiecti perspicuitas; in concreto est ipsa entitas obiecti, quatenus se contuendam porrigit. Sicut certitudo primario pertinet ad subiectum, et ex ipso ad obiectum transfertur, sic contra evidentia primario spectat ad obiectum ex eoque in subiectum derivatur. Cum enim dicimus haec nostra cognitio est evidens, significare volumus eam circa obiectum evidens versari.

Evidentia potest esse immediata vel mediata, prout obiectum menti patet vel per se, vel per relationem et nexum cum alia veritate prius cognita. Sed in utroque casu non aliud offert, nisi ipsum *esse* veritatis, quae obiicitur, et menti innotescit. Et sane cum dicimus *hoc est evidens*, idem exprimimus ac si diceremus *hoc ita est et non aliter*.

cognitionem menti radiat et refulget. Ad eam enim respicimus in iudicando, et ex ipsa rationem petimus iudicii, quod proferimus. Et sane, veritas, cui ex interno motivo assentimur, vel est aliquid per se patens, vel aliquid ratiocinatione deductum. Si est ratiocinatione deductum, motivum assensus non est aliud, nisi principium immediate notum, cum quo veritas illa evidenter connectitur. Sin autem est veritas per se patens, ea non aliter menti satisfacit, nisi quatenus semetipsam intuenti animo evidenter offert. Ergo in utroque casu entitas ipsa rei, prout perspicua fit menti, rationem constituit, quae certitudinem in nobis parit. Id vero non est aliud, nisi evidentia in sensu obiectivo et ontologico, prout hic a nobis accipitur.

Exemplis rem illustremus. Finge quaeri a te cur certus sis te esse, caelum ornari stellis, effectum exigere causam, animum esse immortalem. Profecto responsum aliud dare non potes, nisi te certum esse de tua exsistentia, quia ipsam evidenter sentis; certum te esse de ornatu caeli, quia is oculis evidenter conspicitur; certum te esse de necessitate causae quoad effectum producendum, quia illa necessitas in notione ipsa effectus evidenter includitur; certum te esse de immortalitate animi, quia haec ex eius spiritualitate evidenter eruitur. At vero huiusmodi responsa, pro hisce quatuor veritatum generibus (quibus reliquae peculiares veritates sunt consimiles), non aliud motivum assentiendi exhibent, nisi ipsius rei evidentiam, obiecto peculiari implicitam et illius conditionibus veluti determinatam. Ergo, si commune elementum, quod in iis convolutum est, evolvas et a peculiaribus adiunctis liberes; non aliud nisi evidentia supererit, quae te ad assensum inclinet, in eoque firmiter detineat. In evidentia igitur, sic intellecta, generale veritatis criterium iure constituitur.

Atque id confirmatur ex communi etiam hominum sensu, qui his loquutionibus frequenter utuntur: Cedimus evidentiae, cogimur ab evidentia, resistitur evidentiae, atque ita porro. Quibus loquendi modis motivum et ratio ab ipsis exprimitur, qua mens ad assentiendum impellitur.

191. *Obiic.* I. Adstructa sententia non differt a doctrina Cartesianorum, qui criterium veritatis in evidentia reponunt. Atqui haec doctrina apud prudentiores male audit; utpote quae resolvitur in hoc iudicium: res vera est, quia sic mihi videtur. Ergo etc.

R. *Nego maiorem.* Nam Cartesiani evidentiam sumunt subiective et psychologice, nimirum quatenus confunditur cum idea mentis clara et distincta, et vim quamdam ineluctabilem in animo exerit. At nos evidentiam sumpsimus obiective et ontologice, nimirum pro obiecti ipsius realitate et veritate, quae vim habeat se manifestandi intellectui et actu hanc manifestationem exerceat. Unde longe absumus a doctrina Cartesii; vi cuius absurda Protagorae sententia renovaretur, statuentis scientiam nostram esse mensuram obiecti. Nos e contrario obiectum facimus mensuram scientiae.

Obiic. II. Ut realitas et veritas obiecti gignat in nobis certitudinem, debet certe apparere menti. Ergo eius apparentia dilucida, non vero entitas, quae apparet, criterium veritatis constituit.

R. *Conc. antec. et nego consequens.* Quid diceres, si ita argumentarer: Ut lux solis illuminet cubiculum, debet per fenestram in cubiculum penetrare; ergo non lux sed fenestra cubiculum illuminat? Profecto nisi obiectum menti appareat, nequit mens moveri ad assensum; sed illa apparentia est conditio, non vero causa iudicii. Causa est ipsa obiecti veritas, quae per apparentiam illam manifestatur. In ratiociniis manifestatur vi perceptionis comparativae intellectus; in primis principiis manifestatur vi apprehensionis quidditatis alicuius; in factis denique manifestatur vi perceptionis existentiae concretae. Sed in omnibus hisce casibus id, quod in communicatione se constituit cum intellectu, est ipsum verum obiective sumptum, seu ipsum esse quod vim habet apparendi et actu apparet.

Obiic. III. Si nomine evidentiae intelligitur ipsa veritas obiecti, quatenus menti patet; propositio, affirmans criterium veritatis esse evidentiam, aequivalet huic: *Veritas est criterium veritatis;* quae propositio tautologiam involvit.

R. *Dist:* Aequivalet huic: Veritas obiectiva est criterium veritatis subiectivae, *conc;* obiectivae, *nego.* Quando quae-

rimus criterium veritatis, loquimur de veritate iudiciorum nostrorum; non de veritate rei, cuius norma et criterium est idea divina, cui illa per se et essentialiter conformatur.

Obiic. IV. Evidentia potest esse vera et falsa. Ergo nequit esse criterium veritatis; cum et ipsa indigeat criterio, quo diiudicetur.

R. *Dist. antec:* Evidentia sumpta in sensu subiectivo et psychologico potest esse vera et falsa, *transeat;* sumpta in sensu obiectivo et ontologico, *nego.* Si quis sisteret in mera apparentia et adhaesione, quam experitur, fortasse putare posset verum esse, quod non est. At id impossibile prorsus efficitur, cum ex hac consideratione subiectiva ad obiectivam nos convertimus. Sic enim notas ipsas obiecti, quod percipimus, contuemur, et erroris periculum omnino vanescit. Et sane vel agitur de evidentia immediata vel mediata. Evidentia immediata respicit vel factum per se praesens vel propositiones in quibus praedicatum est identicum subiecto. In his autem deceptionem nullam intercedere posse superiori capite demonstravimus. Si autem evidentia est mediata; tunc etiam nequit error intercedere, si ratiocinium ad trutinam revocetur, et illatio in principia, a quibus deducitur, resolvatur.

ARTICULUS III.

De criterio externo.

192. Plura, quae captum nostrum superant, vel locorum dissociatio aut temporum lapsus nobis absentia facit, scire aliunde non possumus, nisi ex aliorum, qui ea noverint, testimonio. Quare insita nobis a natura est propensio quaedam ad fidem ceteris habendam, ita ut de rebus, quae a scientibus gravibusque testibus enarrantur, fidentia quaedam ac firma animi confisio in nobis emergat. Hinc criterium externum veritatis habetur; nimirum testantis auctoritas, quae in certis rerum adiunctis ad plenam certitudinem nos adducere potest. De hac in praesenti articulo disseremus.

Testis is dicitur, qui aliquid tamquam a se cognitum alteri quocumque signo manifestat; et, cum de factis agitur, esse potest vel *oculatus,* si rem propriis oculis usurpavit; vel

auritus, si ex aliorum excepit narratione. Actio vero, qua rem testatur, *testificatio*, vel *testimonium* dicitur. Vis denique, quam testimonium habet, seu ipsum testimonium prout vi praeditum est nos movendi ad assensum rei assertae, *auctoritas* audit; quae divina esse potest vel humana, prout Deus vel homo est qui testatur.

193. Cum testimonium nequeat ad assensum impellere, nisi testis scientiam certam habeat rei, quam enarrat, et verax in dicendo sit; ex scientia et veracitate testis auctoritas, quam eius testimonium habet, constituitur. Iam vero adhaesio, quam rei assertae adhibemus propter auctoritatem testantis, *fides* dicitur; quae definiri posset: Assensus, quo tenemus vera esse, quae dicuntur, propter dicentis auctoritatem. Hic assensus esse potest vel tantum probabilis, vel etiam certus, prout dubium omne excludit vel aliquod admittit. Sed certitudo, quam parit, non est nisi moralis; quippe quae non in absoluta rei necessitate, sed in legibus, quibus mores testantium diriguntur, innititur. Nihilominus si testis sit eiusmodi, ut eius scientia et veriloquium non lege aliqua, quae operationem gubernat, sed omnimoda oppositi repugnantia fundetur; tunc eius testimonium indirecte saltem certitudinem gignit metaphysicam. Id evenit de divino testimonio; nam quod Deus omnia sciat et mentiri nequeat, ita certum est, ut oppositum omnino repugnet.

Denique revocandum est, quod alias diximus, certitudinem moralem quandoque strictiore, quandoque latiore significatione usurpari. Cum pressius sumitur, tunc reapse talem firmitatem sonat, quae nullum dubitandi relinquit arbitrium. At cum latiore sensu accipitur, tunc nonnisi gravem probabilitatem significat, ac talem quae ad rectam prudentemque operationem loco certitudinis haberi possit. Insuper auctoritas versari potest vel circa *dogmata*, vel circa *facta*, prout vel veritatem ad scientiam pertinentem, vel eventum testatur aliquem.

PROPOSITIONES

194. Propositio 1.ª *In re scientifica testimonium sapientum, et in arte peritorum pro rudibus norma est, cui omnino acquiescendum sit; pro doctis vero et eruditis, etsi grave habeat pondus, tamen rationi cedit.*

Probatur prima pars. Cum rudes veritatem, de qua sermo est, per se detegere aut demonstrare nequeant; nisi illius notitia destitui malint, omnino oportet ut in auctoritate fide dignorum conquiescant, de quorum scientia et veriloquio dubitare prudenter non possint. Hinc ortum est illud iam tritum sermone proverbium: *Peritis in arte credendum est.*

Probatur secunda pars. Docti homines in disciplinis, quibus dant operam, non fidem quaerunt sed scientiam; quae non auctoritate nititur, sed rationum momentis. Insuper, utpote in ea rerum speculatione versati, idonei sunt prorsus ad argumenta perpendenda, quae pro veritate illa militant. Haec igitur prudenter exquirere possunt et debent, nec pecudum ritu duci aut sine causa pronuntiatis aliorum fidere. Apposite S. Augustinus: « Ad discendum dupliciter ducimur: auctoritate, ac ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur; aliud quod in appetendo aestimatur. Itaque quamquam bonorum auctoritas imperitae multitudini videatur esse salubrior; ratio vero aptior eruditis (1). »

195. Propositio 2.ª *In re facti auctoritas generatim inspecta, etsi plena non sit, haberi debet ut norma approbatione digna, quam in iudicando et operando sequamur.*

Prob. Illud tale censendum est, quod plerumque non fallit et natura sua necessarium est ut hominum vita coniunctioque servetur. Atqui eiusmodi est auctoritas. Nam quod testimonium fidem merentium, etsi ad plenam auctoritatem non assurgat, plerumque non fallat, experientia in primis persuadetur. Conscientia enim cuique patefacit, nos inclinatione naturae ad veritatem testandam adduci; sensus autem admonet res quamplurimas, cum nobis deinceps praesentes factae sunt, narrationi respondisse adamussim, quam antea ab aliis hominibus susceperamus. Ergo experientia tum interna tum externa nos docet testes saepenumero referre veritatem.

Cui experientiae accedit ratio, quae auctoritati fidem generatim deberi ostendit ex ipsis legibus, quibus sponte mores hominum temperantur. Hae autem in duabus sunt positae. Prima est: *Hominem natura sua verum scrutari et am-*

(1) *De Ordine,* lib. 2, c. 3.

plecti; nihil enim animis nostris tam innatum est atque insitum, quam veri cupiditas. Ad rem Tullius: « Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in quo excellere pulcrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus (1). » Quare quo prudentior diligentiorque est testis, hoc remotior erroris ac deceptionis fit metus. Altera lex est: *Hominem nonnisi boni cuiuspiam amore ad appetendum et operandum impelli.* Hinc fit, ut mendacium (quod non bonum et appetendum, sed turpe et indecorum est) nequeat allicere hominem, nisi specie aliqua utilitatis; quae ubi deerit, omnis mentiendi abest suspicio. Ut enim fert proverbium: *nemo gratis est malus.* Praesertim vero fraus nulla erit pertimescenda, cum de frugi et constanti viro sermo est, qui non turpi utilitate, sed honestatis legibus moveri solet. Similiter ex hac morali lege consequitur, ut si quando mendacium damno potius mentienti futurum sit, aut eiusmodi est ut facile detegi plectique possit; nunquam hominem, qui haec cogitet, ad mentiendum adducat. His itaque praeiactis, cum nos, etiam in auctoritate non plena, dignoscere possimus, utrum testis ea prudentia instructus sit, quae periculum errandi admodum probabili ratione removeat, eaque probitate ornetur vel saltem in iis versetur circumstantiis, quae mentiendi seiungant causam; auctoritati fidem habeamus oportet, nisi intoleranda mentis pertinacia peccare volumus.

Quod vero fides, auctoritati praestanda, necessaria sit ad vitae usuram, nil manifestius. Nisi enim testantibus fideremus, nec vias incedere, nec amicorum consortio uti, nec parentibus honorem impendere, immo vero nec sermonem cum aliis conferre possemus; atque ideo omnis civilis cultus, omne foedus, omnis vitae consuetudo adimeretur. Quamobrem sapienter S. Augustinus asseruit: *Totam hominum vitam naturaliter in fide fundari* (2): et subinde: *Etsi auctoritate decipi miserum sit, longe tamen esse miserius ab eadem non commoveri* (3).

(1) *De Officiis,* lib. 1, c. 6.
(2) *De utilitate credendi,* c. 12.
(3) Ibid. c. 16.

196. Propositio 3.ª *Quaedam contingunt rerum adiuncta, in quibus auctoritas plena omnique maior evadit exceptione, ac proinde veram certitudinem, omne prudens excludentem dubium suppeditat.*

Prob. Hoc ex legibus moralibus, quas proxime commemoravimus, aperte fluit. Nam ex prima lege, ut dixi, homo natura sua ad verum cognoscendum impellitur, a quo non deficit, *nisi per accidens*. Si igitur aliquando constet nullum interfuisse impedimentum, quod errandi occasionem praeberet; certa erit testium scientia. At vero id constare reapse potest aliquando. Cum enim de facto agitur simplici, perspicuo, cognituque facillimo, quod multorum attentionem excitet, atque a plerisque narretur prudentibus et diligentibus, eo tempore potissimum, quo alii, quorum intersit, refellere eos possint; error profecto timeri nequit. Sensus siquidem non sunt fallaces: ac si quando decipiuntur, id ex aliquo impedimento contingit, quod aliquando accidit in uno vel altero, sed non in pluribus; et in casu non accidisse haud difficulter discerni potest. Semoto autem impedimento, non superest nisi natura, quae certe ad errorem non inclinat. Constare igitur potest de certa testium scientia. At non minus constare potest de veriloquio. Nam per secundam legem homo nonnisi boni alicuius amore ad operandum adducitur. Ergo ut testes in mentiendo conveniant, hoc eos aliqua utilitatis spe illectos facere oporteret. Atqui id quandoque non contigisse scitur indubie. Etenim si forte testes, aetate, studiis, moribus, aliisque conditionibus differunt; certe tunc nequeunt eadem impelli cupiditate ad mendacium. In tanta enim adiunctorum varietate nequit eadem utilitas oriri ex fraude una, quae nonnullis quidem prodesse potest, omnibus vero non potest.

Huc adde, quod si testes rem confirment apud eos, quorum intersit mendacium detegere, quique facile hoc possint, sumptis etiam de mentiente poenis; impossibile iterum mendacium videatur. Homo enim non mentitur, nisi ut audientibus illudat, ac falsum pro vero tradat, quod in talibus adiunctis se consequi non posse cognoscit. Maxime vero pondus testimonii augetur, si illi qui mendacium detegere debent et possunt impune, non contradicant. Denique si facti enarratio sit eiusmodi, quae non commoda et honores testi affe-

rat, sed nocumenta potius, iacturam bonorum, infamiam, tormenta, mortem etiam; tum longe certius erit illum ad factum enarrandum nulla cupiditate moveri potuisse. Animadverti igitur evidenter potest, nullam quandoque testibus adesse causam mentiendi. Ergo nisi effectum sine causa progigni posse putemus, mendacium tunc excludi penitus fatendum est. Ut igitur de scientia, sic constare etiam aliquando potest de testium veriloquio. Atqui ex testium scientia et veriloquio auctoritatis vis coalescit. Ergo haec quandoque esse potest eiusmodi, ut ad plenam faciendam fidem, gignendamque veri nominis certitudinem valeat.

197. Verumtamen ut hac dote polleat auctoritas, conditiones quaedam necessariae sunt, quemadmodum ex praemissa demonstratione patet; quae tamen non omnes ubique et semper, sed aliquae saltem pro rei opportunitate et usu, iudicio prudentum, exquiruntur. Has brevitatis gratia ad tres reduco. I. *Factum sit eiusmodi ut testibus innotescere rite potuerit.* Id fiet primo si *possibile* sit non solum in se, quatenus nulla repugnantia laboret, sed etiam in adiunctis quae ipsum necessario comitantur; deinde si factum sit *illustre*, nimirum non modo sensibus obnoxium, verum etiam tale, quod attentionem et diligentiam contuentium excitarit. II. *Testes communiter sint plures.* Nam illa cupiditatum pugna, ex qua conspiratio in mendacium evidenter excluditur, haberi non potest, nisi in diversis hominibus, qui sicut individuas differentias sibi vindicant, peculiarem habitum, incessum, lineamenta, vocem, ita proprias pro singulorum conditione appetitiones habent. Dixi *communiter;* quia accidere aliquando potest, ut unus testis plenam faciat fidem, si singularem iustitiam prudentiae coniungat praecellenti; aut rem coram iis enarret, qui eventui interfuere, et quorum maxime intersit mendacium coarguere. Tunc enim testis specie tenus est unus, sed revera est multiplex; tot nimirum coalescens, quot factum habent perspectum nec obsistunt narranti. III. *Evidenter appareat testes non potuisse ad mentiendum adduci.* Id patebit, si conditiones et mores singulorum perpendantur, nec partium studio testes ferantur, et praesertim si enarratio est talis, ut ipsis obfutura sit potius vel certe nil profutura.

193. *Obiic.* I. Nullum etsi plurium testimonium suppeditare potest veri nominis certitudinem. Etenim quisque homo natura sua fallibilis est. Ergo etiam plurium collectio; quod enim convenit partibus, convenit etiam toti. Atqui testimonium collectionis fallibilis non praebet certitudinem. Ergo etc.

R. *Nego primum antecedens.* Ad probationem *transeat antecedens,* et *distinguo consequens:* Ergo etiam collectio plurium fallibilis est fallibilitate, de qua constat ad actum non esse adductam, quando auctoritas plena est, *conc;* de qua id non constat, *nego.* Ad *alteram probationem, dist:* Quod convenit partibus, convenit etiam toti, cum sermo est de perfectione aliqua, *transeat;* cum de defectu, *subdist:* quod convenit partibus simul sumptis, convenit etiam toti, *conc;* quod convenit partibus seorsum acceptis, iterum *dist:* si collectio nihil confert ad defectum impediendum, *conc;* si confert, *nego.* Ad *min.* etiam *dist:* Testimonium collectionis fallibilis non dat certitudinem, si fallibilitas sit eiusmodi, quae pro rei adiunctis ad actum reduci possit, *conc;* secus, *nego.*

Responsum ex iis, quae explanata sunt in probatione thesis, oppido liquet. Nam fallibilitas dicit potentiam non actum: in auctoritate autem plena talia concurrunt adiuncta, quae liquido ostendunt potentiam illam in casu ad actum non devenisse, cum desint causae, quae testes ad errorem vel mendacium adducere potuissent.

Instabis: Atqui collectio in casu nihil confert ad impediendum defectum. Etenim, quod naturale est, nulla re eximi potest. Atqui fallibilitas homini est naturalis. Ergo per collectionem eximi nequit.

R. In primis posset argumentum in adversarios ipsos retorqueri. Eo enim, si valeret, totius humanae cognitionis certitudo labefactaretur; quod certe adversarii, nisi sceptici sint, non volent. Et re quidem vera, si quia homo natura sua fallibilis est, nunquam deceptionis periculum abesse potest; id non in sola auctoritate locum habet, sed etiam in usu omnium mediorum, quibus ad cognoscendum instructi sumus.

Verum ut directe respondeamus, largimur ultro in *maiori* propositione id, quod naturale est, removeri nequaquam posse; at *minorem* sic distinguimus: Fallibilitas abstracta et remota, quae ratione circumstantiarum impediri potest quominus in actum prodeat, naturalis est homini, *concedo;* fallibilitas, quae actu fallat, quaeque nunquam ne in actum exeat impeditur, *nego.* Capacitas deficiendi homini naturalis in hoc consistit, ut nisi, certa caveantur impedimenta. deficere homo possit. Proinde conditionem habet, quae tolli potest, et in plena auctoritate reapse tollitur. In ea enim actualis causa defectus alia esse non posset, nisi aut testantium illusio aut mentiendi voluntas; quae duo in auctoritate plena penitus abesse constat.

Obiic. II. In testium multitudine non invenitur, nisi individuorum collectio. Ergo ad fidem faciendam non adest nisi auctoritas cuiusque individui collectim sumpta. Sed auctoritas singulorum individuorum non praebet nisi probabilitatem. Ergo in multitudine non invenitur nisi summa probabilitatum, ex qua certitudo emergere nulla potest.

R. *Nego primum antec.* vel, si placet, *dist:* In testium multitudine non invenitur nisi individuorum collectio iis comitata adiunctis, quae deceptionem et conspirationem in mendacium, seu deficiendi causas, vetant, *conc;* his adiunctis destituta, *nego.* Similiter *dist. consequens:* Ergo ibi non adest nisi auctoritas cuiusque individui, ab actuali defectu libera, *conc;* eo implexa, *nego.* Ad subsumptam propositionem pariter *dist:* Auctoritas cuiusque individui non praebet nisi probabilitatem, cum certo constat eam ab errore et mendacio immunem esse, *nego;* cum id non constat, *concedo.*

In tantum auctoritas singulorum, seorsum accepta, communiter probabilitate dumtaxat fruitur, in quantum plerumque constare non potest ab uno homine errorem et mentiendi voluntatem abfuisse. At hoc optime constat cum plura individua diversorum studiorum, qualia superius descripsimus, simul in re narranda conveniunt, propter rationes in thesi expositas. Quocirca eorum testimonium non est summa probabilitatum; qualis esset, si individua collectim sumpta retinerent errandi et mentiendi periculum, quod separatim habebant, quodque per collectionem, idoneis instructam notis, removeri satis dilucide constabilitum est.

Obiic. III. Auctoritatis robur generationum successu, volventibus annis, sensim imminuitur. Ergo saltem ad antiquissima gesta testanda aut nullam aut fere nullam vim habet auctoritas.

R. *Nego antec.* Nam mutatione temporum vis auctoritatis non mutatur. Quapropter, modo non interrumpatur fidelis transmissio facti, seriesque testium fide dignorum; non minus pondus habet remotissima rei enarratio, quam habuerat proxima. Idem enim motivum assentiendi iugiter perseverat. Sic non minori certitudine apud nos constat transacta imperii romani exsistentia, quam apud atavos; qui nos, quoad longissime fingi potest, praecesserunt. Immo etiam, si vera loqui fas est, quae diuturnitate temporis inveteravit traditio, potius maiori robore firmatur. Commenta enim delet dies; veritas unice temporis edacitatem superat. Accedit igitur aetatum lapsu hoc etiam argumentum in favorem rei enarratae, eiusque firmitas inde insuper fit validior, quod tot viri prudentes atque critici, qui saeculis vertentibus deesse nequeunt, narrationis non evicerint falsitatem; quod, nisi illi subesset veritas, contingere non potuisset.

ARTICULUS IV.

De sensu naturae communi.

199. Ut perennis et constans testatur experientia, exstant in toto hominum genere iudicia quaedam stabilia, uniformia et communia, quae aetate non contabuere, sed cum ipsis saeculis quodammodo inveterarunt. Eiusmodi sunt potissimum, quae ad vitam humanam alendam tuendamque et ad mores dirigendos maxime pertinent. Exemplo sint haec: Exsistunt corpora; leges naturae sunt constantes; Deus exsistit; cultus ipsi impendendus est; honestum a turpi distinguitur; colendi sunt parentes; animus humanus fato corporis est superstes; praemia iustis, poenae nocentibus in futuro aevo retribuentur; atque alia generis eiusdem.

Iudicia haec, quae Aristoteles *communes sententias* appellavit, nonnisi a natura proficiscuntur. Si enim effectus congruentem sibi postulat causam, effectus universalis, permanens, uniformis, causam pariter uniformem, permanen-

tem, universalem reposcit. At vero in hominibus, loco, natione, tempore, institutis, moribus, atque aliis, quae individua viritim spectant, inter se differentibus, maximopere variantur ea omnia, quae aut natura non sunt aut non a natura dimanant. Iudicia igitur istiusmodi explicari aliter nequeunt, nisi quatenus naturam ipsam auctricem habeant et quasi fontem.

200. Age iam, vis illa a natura rationali proveniens, seu ipsa ratio naturalis, prout sponte sua in eiusmodi iudicia unanimiter prorumpit, *sensus communis* appellatur. Quae vero iudicia ab ipso dictantur, hos praesertim characteres sibi adsciscunt: I. Universalitatem, diuturnitatem, constantiam, et quidem apud gentes non modo barbaras, verum etiam cultas, ita ut crescente cultura non obliterentur, sed potius consolidentur. II. Convenientiam cum rationis principiis, ad quorum trutinam si revocentur, non evanescant, sed potius magis magisque elucescant. III. Exclusionem ceterarum causarum, ex quibus eorum origo repeti posset; quales sunt ignorantia, praeiudicium, corruptela morum, superstitio, utilitas conquisita, et cetera eiusmodi. Quod itaque iudicium his instructum est notis, id ad sensum communem pertinebit; quod contra his notis caret, id aliunde ducet originem.

201. His rite constitutis, elucet iudiciis, a communi hoc naturae sensu dictatis, falsum subesse non posse. Cum enim illa, ut dixi, a natura rationali ortum ducant, tale sortiuntur principium, quod labi revera non potest. Natura enim rationalis suapte vi ad verum capessendum et dictandum conformata est; quod qui neget, is totum cognitionum humanarum aedificium, ut domum male materiatam, immo fundamentis destitutam, evertit. Quare patet validissimum argumentum ex communi sensu desumi posse ad veritates, pro quibus militat, comprobandas. Tunc enim testimonio ipso naturae docemur, siquidem; ut scite Tullius, *omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est* (1).

(1) *Tuscul.* lib. 1. Seneca etiam, Epist. 117, haec scribit: « Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri; tamquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos

Nec error, ex contingenti aliqua causa aut impedimento proveniens timeri potest. Is enim characteribus, quibus iudicia illa insigniuntur, excluditur; et praesertim ex universalitate, quam habent. Natura enim in uno vel altero deficere aliquando potest, in omnibus vero non potest; maxime cum nulla apparet causa, quae huic defectui explicando par sit (1).

202. At sedulo eorum fugienda opinio est, qui sensus communis naturae nomine vim, nescio quam, ab intelligentia et ratiocinatione diversam interpretantur; qua homines in iudicia quaedam non per se immediate evidentia, nec comperta experimentis, nec ratiocinio derivata, prorumpant. Enimvero haec opinio Reidianum commentum restaurat, quo suggestio quaedam et inspiratio caeca naturae inducitur, ex eaque nos impelli et cogi statuitur ad aliqua affirmanda ac pro certis habenda, quae nulla evidentia aut ratiocinatione nitantur. Haec autem iudicia, sic instinctive et sine ratione prolata, fundamenta esse dicuntur et principia totius cognitionis humanae. Qua quidem sententia nihil perniciosius est scientiae, aut magis dignitati mentis contrarium. Certe si mens sine motivo obiectis assentiri nequit, eo ferme modo quo oculus sine luce corpora spectare non potest; quo pacto fiet ut iudicia proferat sibi consona, quin ea aut per se evidentia esse conspiciat, aut aliunde ratiocinando derivet? Qua sufficienti ratione, quae in obiecto posita sit, nitetur; aut quo assentiendi motivo, ut ad assensum istiusmodi rapiatur? Iudicia illa essent prorsus irrationalia et tamen rationi consentanea. Nonne in hoc manifesta conspicitur conceptuum pugna? In ipsis nulla evidentia, sed fides dumtaxat nostrae naturae habita contineretur. At saltem scire ante deberemus, naturam nostram mereri fidem. Unde in nobis

credat. Cum de animorum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium. »

(1) Ex communi naturae sensu patrimonium illud efficitur, quo universum hominum genus natura dotavit, quodque ad vitae usum singulis oppido hominibus praesto est. In eo enim distribuendo natura nemini defuit. Quare in eiusmodi cognitione omnes generatim homines aequiparantur, nec praestantissimus inter philosophos rudem hominem ac vulgarem antecellit.

huiusmodi scientia aut certe confisio? Ex ipso communi naturae sensu? Eodem revolvimur, et in circulo vitioso versamur. Hac igitur adstructa opinione in eosdem scopulos impingimus, quos supra contra scepticos disserentes evitare curavimus, ut certitudinis et veritatis iura illaesa servarentur. Quae iura servari nequeunt, nisi sensum communem naturae non pro caeco quodam instinctu, sed pro ipsa intelligentia et ratione humana sumamus, quamvis non prout in uno alteroque individuo, sed generatim prout in ipso hominum genere explicatur, sine artis praesidio sed sola evolutione naturalis ingenii.

203. Nec obiicias sic esse non posse, propterea quod iudicia non pauca difficiliora communis sensus complectatur, quae a rudibus ratiocinando deduci nequeunt. Nam si ea iudicia accurate considerentur, videbuntur fortassis faciliora esse, quam putantur, et captui etiam rudium accommodata. Rudes enim eo ipso, quod ratione ornantur, iudicia illa ex communibus rationis principiis aut a natura manantibus appetitionibus inferunt; prona quadam ratiocinatione, licet vulgari imperfectaque, propter carentiam disciplinae. Et re quidem vera, quae difficultas tanta, captum hominis ratione utentis omnino superans, reperitur in hoc, quod Dei exsistentia ex mundo visibili, animi immortalitas ex felicitatis desiderio, retributio futura post mortem ex improborum prosperitate et bonorum praesentibus aerumnis deducatur? Idem dic de ceteris exemplis, quae afferri possent.

Nec vero obest quidquam quod rudes ratiocinia eiusmodi explicare plerumque nesciant. Multa enim in doctis etiam contingunt hominibus, quae, si explicari velint, magnam ingerunt difficultatem. Aliud enim est actionem exercere, aliud ipsam sibi vel aliis enucleare. Illud quoad principia, de quibus agitur, utpote humano generi necessarium, natura indidit; hoc, utpote non absolute in omnibus requisitum, arte et disciplina comparandum reliquit. Quare, cum vulgus hac destituatur, mirum esse non debet si in ipso, quod ex arte et disciplina pendet, desideretur.

Atque haec sufficiant; ut nihil dicamus de primitiva revelatione hominibus facta, cuius reliquiae, quamvis obscuratae et erroribus admixtae, apud ethnicos etiam populos plus minusve servatae sunt. Haec primitiva traditio, quam nemo

sanus in dubium revocat, originem explicat multarum veritatum; quae licet altiores, tamen omnibus fere gentibus. utcumque rudibus, innotuerunt.

CAPUT QUARTUM

DE UNIVERSALIBUS.

204. Tria iam explanata sunt: veritas, quae finis est mentis humanae; media, quibus ad veritatem adipiscendam utimur; criterium, nempe principium, quod in usu illorum mediorum certos nos reddit de adeptione finis. Quatuor addenda supersunt, ut sufficiens illustratio dialecticae et complementum habeatur, quod nobis in hac secunda Logicae parte proposuimus. Ea autem sunt, ut in triplicem mentis operationem (apprehensionem videlicet, iudicium et ratiocinationem) redeuntes, loquamur de conceptibus universalibus, de axiomatibus, et de scientia; iisque tractatio adnectatur de methodo, seu de via in scientiis percurrenda.

A primo itaque argumento in hoc capite auspicamur; quod, totum quantum est, in ventilanda doctrina circa obiecta simplicium conceptionum mentis occupatur. Quae sane quanti momenti sit, nemo est qui non videat. Nam si scientia fundatur in axiomatibus et axiomata in simplicibus conceptibus; liquido patet, his stantibus vel corruentibus, totam cognitionum nostrarum molem stare vel corruere.

ARTICULUS I.

Falsae quaedam opiniones quoad naturam conceptuum universalium.

205. Falsae opiniones in hac materia reduci possunt ad *nominalismum, conceptualismum, formalismum,* seu *exaggeratum realismum.* Primus existimat universalia non dari nisi in meris vocibus. Statuit enim vocabula, prius solis individuis singularibus applicata, deinceps successiva extensione ad alia individua, illis similia, denotanda suam significationem amplificasse et sic gradatim communia tandem evasisse. Ita opinati sunt veteres Sensistae; eamque senten-

tiam media aetate renovavit Roscelinus, et nostris temporibus Dugald-Stewart (1).

Secundus, nempe conceptualismus, universalia admittit non solum in vocibus, sed etiam in conceptibus; at nullo modo in rebus. Ait enim res non esse nisi singulares; mentem autem eas sibi repraesentare notionibus communibus, sive innatis, sive a mente ipsa confictis. Haec sententia, quae *nominalismus mentalis* dici posset (conceptus enim sunt voces internae et verba intellectus), antiquitus a Stoicis, media aetate ab Abailardo tradita est, eique nostris temporibus accesserunt Kantiani et quotquot plus minusve idealismo germanico suffragantur.

Tertius, nempe realismus exaggeratus, universalia, quae a nobis concipiuntur, extra mentem formaliter, seu prout actu universalia sunt, reperiri arbitratur; atque id triplici potissimum ratione explicat. Antiqui enim Platonici putabant nos intueri formas aliquas universales et per se subsistentes, cum notionibus communibus afficimur. Alii recentius, ut moderni ontologi, existimant intuitum illum nostrum converti ad ipsas divinas ideas in se directe et immediate contemplandas. Denique Gulielmus de Champeaux, cui consentit formalismus Scotistarum, res ipsas exsistentes universales esse dixit, quatenus non differrent in essentia, quae omnibus communis est, sed solum in accidentibus, quibus singula individua determinantur. Hanc doctrinam Almaricus de Béne, et David de Dinant ad purum pantheismum, cuius germina continebat, propulerunt; eosque imitati sunt nostris temporibus *Realistae* transcendentales.

His omnibus opponitur realismus temperatus Scholasticorum, de quo in sequentibus articulis disseremus.

PROPOSITIONES

206. Propositio 1.ª *Nominalismus purus absurdus est.*

Prob. Vocabula sunt signa idearum. Ergo nequeunt esse universalia, quin hoc ipso sint universales ideae, quas exprimunt; secus aliquid esset in signo, prout signum est, quo res significata careret.

(1) *Philos. de l'esprit humain*, t. I, ch. 4, sect. 1.

Praeterea, si nomen idcirco generale evadit, quia pluribus individuis significandis successive applicatur; ea tantum individua denotabit, quae nobis innotuerunt. Atqui nomine communi non solum individua iam cognita, sed omnia prorsus individua exsistentia, immo etiam possibilia significamus. Ergo nominales falso prorsus fundamento nituntur.

Tandem, quaerimus a Nominalibus: Quare, cum novum individuum eiusdem speciei occurrit, illud eodem vocabulo denotamus? Quia, reponent, simile videtur esse aliis. At vero hanc similitudinem cognoscere non possemus, nisi per conceptum universalem. Ergo impositio eiusdem nominis praevium requirit conceptum universalem. Et sane, in tantum aliquid cognoscitur ut simile alteri, in quantum in ipso conspicitur eadem ratio, quae in priore relucebat. Id autem conspici nequit, nisi mens conceptum habeat rationis alicuius seu formae, quae avocetur ab individualitate determinata et aptitudinem praeseferat subsistendi in diversis individuis. Id autem manifeste ideam universalem importat.

207. Propositio 2.ª *Absurdus est Conceptualismus.*

Prob. Sicut vocabula sunt signa conceptuum, ita conceptûs sunt signa rerum. Sed nihil potest esse in signo, quatenus signum est, nisi aliquo saltem modo sit in re significata. Ergo universalitas hoc ipso quod est in conceptibus, debet aliquo saltem modo esse in rebus. Quinam vero sit iste modus, explicabitur inferius.

Deinde, scientia est de rebus, non de conceptibus. Sed scientia est de universalibus; nam particularia sunt obiectum historiae, non scientiae. Ergo res ipsae debent aliquo modo esse universales.

Et sane, petimus ab adversario: Cum nos ratiocinamur ex. gr. circa naturam hominis generatim inspecti, speculamurne figmentum aliquod inane, an rem obiectivam et veram, quae a mente consideratur sed non creatur? Si primum; omnis scientiae realitas corruit, et mero idealismo et subiectivismo obvolvimur. Sin alterum; res ipsa, quae consideratur, aliqua universalitate gaudebit. Idem dic de natura plantae, de natura circuli, de natura lucis, de natura soni, ac de sexcentis aliis exemplis, quae adduci possent.

Tertio, ut Conceptuales concedunt, nos percipimus individua convenire inter se; atque idcirco aiunt posse nos eum-

dem conceptum applicare pluribus concretis, quia mutuam in iis detegimus similitudinem. Atqui nequiret haec mutua individuorum similitudo a nobis apprehendi, nisi conspiceremus in ipsis aliquid, quod, absolute spectatum, aeque in omnibus reperitur et per se non differt in singulis. Id vero exhibet universale. Ergo universale debet aliquo modo esse in ipsis rebus, cum non sit aliud, nisi unum aptum inesse multis.

208. Propositio 3.ª *Absurdus est realismus exaggeratus.*

Prob. primo quoad formas platonicas. Formae illae universales et per se subsistentes differrent maxime a naturis rerum individualium, quae nos circumstant. Constant enim characteribus omnino diversis et oppositis. Et sane naturae rerum individualium, prout physice et realiter exstant, sunt productae, concretae, passibiles, mutationi, saltem quoad exsistentiam, obnoxiae; contra formae illae, etiam prout exsistunt, essent omnino immutabiles, aeternae, invisibiles, impassibiles, ab omni concretione solutae. Ergo si universalia, quibus utimur ad cognitionem rerum exsistentium capessendam, formis praedictis constituerentur; scientia nostra non esset de rebus, quae sunt, sed de aliis longe discrepantibus et in contrario ordine positis. Ergo earum contemplatio, si daretur, optima quidem esset ad mentem occupandam ne otio tabescat; sed inutilis omnino foret pro fine quem intendimus, nempe pro cognitione rerum, quae mundum hunc concretum et adspectabilem conflant.

Nec dicas nos ex earum formarum contemplatione ad rerum in hoc mundo exsistentium scientiam devenire propter similitudinem, quam inter utrasque intercedere conspicimus quoad principia saltem essentialia. Nam haec similitudo deprehendi non posset, nisi individua abstractione mentis perciperentur quoad huiusmodi principia dumtaxat, seclusis iis, quibus in propria singularitate determinantur. Sed si huiusmodi principia sic abstractione percipiuntur, iam habetur ex ipsis obiectum universale, quin opus sit formas alias imaginari.

Praeterea, nos conceptum universalem habemus non solum substantiarum sed etiam accidentium. Ergo horum quoque exstare deberent formae per se subsistentes; ex. gr. color, extensio, sapor et cetera. At forma per se naturaliter subsistens exhibet substantiam non accidens; accidens enim inhaerentiam in aliquo subiecto postulat, a quo nonnisi per

divinam potentiam et praeter ordinem naturae separari potest. Ergo illae formae ineptae omnino sunt cognitioni nostrae generatim explicandae.

Prob. secundo quoad visionem ontologicam. Nos praedicamus per identitatem de singularibus illud ipsum, quod in conceptibus universalibus intuemur. Sic cum ex. gr. dicimus: *Petrus est homo*, affirmamus de individuo *Petro* illam ipsam naturam humanam, quae obiectum est notionis universalis, qua concipimus *hominem*. Si igitur obiectum illud esset idea divina, affirmaretur a nobis identitas inter ideas divinas et individua creata; quod sane pantheismum redolet.

Hoc argumentum magis elucet, quoad conceptum universalem entis, qui iuxta realismum ontologicum refert Deum ipsum, confuse spectatum. Si ita esset, quomodo cum veritate et sine pantheismi macula proferri possent haec iudicia: Sol est ens, hic lapis est ens, hoc animal est ens, et cetera huiusmodi? Num Deus confuse spectatus identificatur cum sole, cum lapidibus, cum animantibus, aliisque creatis rebus? Quid haec absurditas a pantheismo differret?

Quod si dicas, per intuitionem ideae divinae non concipi a nobis ipsam divinam ideam, sed obiectum quod illa repraesentatur; penitus Ontologismi fundamenta convelles. Nam in eo casu idea divina offerret tantum obiectum universaliter concipiendum a mente, non vero ipsum obiectum universale constitueret. Ergo, si alius modus invenitur, magis experientiae et naturae consentaneus, quo obiectum universaliter concipiendum offerri possit ab ipsis rebus, in mundo exsistentibus (ut reapse hunc modum dari in sequenti articulo demonstrabimus); non erit cur, contra conscientiae testimonium et rationis evidentiam, ad ontologicam illam visionem recurramus.

Atque hoc pro praesenti refutatione notasse sufficiat; quamquam visio illa ontologica aliis etiam prematur incommodis, quae in Psychologia persequemur.

Prob. tertio quoad formalem exsistentiam universalis a parte rei. Si verum esset individua, quoad realitatem essentiae, inter se non differre, sed solum in accidentibus; admittendum esset commentum pantheistarum transcendentalium, qui fingunt unam esse absolutam realitatem, quae se multifariam explicando et determinando res omnes mundanas

constituat. Nam sicut singuli homines una constarent humanitate, sic singula entia una constarent entitate; cum non modo ideam generalem hominis, sed etiam ideam generalem entis habeamus. Quare illa sententia, cum ad pantheismum adducat, iisdem scatet absurdis.

Praeterea, quae vere et proprie competunt alicui formae, qua subiectum aliquod actuatur, eidem subiecto possunt et debent competere in appellatione concreta. Ergo si universalitas vere et proprie competeret ex. gr. naturae humanae exsistenti in Petro; concreto nomine competeret etiam ipsi Petro, qui cum humanitate illa unum idemque est. Petrus igitur dicendus esset universalis; et consequenter iis omnibus ornatus dotibus, quae rationem universalitatis consequuntur. Esset igitur, negative saltem, aeternus, immutabilis, abstractus a loco, figura ceterisque notis, quae individua comitantur.

Atque haec pro praesenti scopo dixisse sit satis; difficultates, quae oggeri possent, in postremum articulum differimus; quippe earum solutio pendet ab intelligentia verae doctrinae, quae idcirco praemittenda est.

ARTICULUS II.

De duplici universali, directo et reflexo.

209. Magna ex parte confusio in hac materia oritur ex eo, quod non bene distinguatur universale, quod respondet notioni directae, ab universali quod respondet notioni reflexae. Curandum igitur sedulo est ut haec distinctio in luce ponatur.

Cum intellectus directe apprehendit quidditatem, exempli gratia, hominis, apprehendit eam prout quaedam natura est, avocata consideratione ab individuis, in quibus illa reperitur aut forte reperiri potest. Tunc intellectus non aliud cogitat, nisi praedicata essentialia illius naturae, nimirum animalitatem et rationalitatem, quae ipsam per se constituunt. At postquam intellectus sic naturam contemplatus est; potest iterum in ipsam cogitatione sua reverti, ut eam comparet cum individuis exsistentibus vel possibilibus, ad quae natura illa relationem habet. Tunc eandem concipit tanquam unum aliquid, ordinem includens ad plura, nimirum ut formam, quae reperiri potest in hoc vel in illo individuo, quin

unquam quoad suam amplitudinem exhauriatur. Sub primo aspectu obiectum, de quo agitur, appellatur *universale directum*, quia directa intuitione concipitur; sub secundo appellatur *universale reflexum*, quia resultat ex consideratione reflexa.

210. Inter utrumque universale plura sunt discrimina; quorum potiora innuemus,

I. Nomen *universalis* magis competit universali reflexo, quam universali directo. Nam universale, iuxta etymon vocis, significat *unum versus alia;* ac proinde definitur: Unum respiciens plura, seu habitudinem habens ad plura. Iamvero hoc *explicite* et *positive* locum habet in universali reflexo, quod actu refertur ad individua; in universali directo habet locum *implicite* tantum et *negative*, quatenus natura illa, seu forma, per se et absolute spectata, ad nullum individuum coarctatur, et solum aptitudinem habet ut deinceps reflexione mentis referatur ad omnia individua exsistentia vel possibilia.

II. Universale directum, licet quoad conceptum formalem, quo constat, includat unitatem (est enim conceptus unius essentiae); tamen quoad realem individuationem non dicit neque unitatem neque multitudinem; ab ea enim omnino praescindit. Ad rem S. Thomas: « Si quaeratur utrum ista natura *(exempligratia humanitas directe apprehensa)* possit dici una vel plures, neutrum concedendum est; quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquam posset esse uua, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter si unitas esset de intellectu et ratione eius, tunc esset una et eadem natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari (1). » Contra, universale reflexum, cum iam relationem involvat ad singula, dicit unitatem et multitudinem; unitatem quoad se, multitudinem quoad terminum suae relationis. Consideratur enim ut natura seu forma, quae apta sit inveniri in pluribus individuis, saltem possibilibus, tanquam id in quo individua non differunt sed conveniunt.

(1) Opusc *De Ente et Essentia*, c. 4.

III. Universale reflexum includit universale directum eique superaddit relationem ad individua, ita ut consideretur tanquam aliquid unum, commune pluribus. Hinc pro varietate huius relationis dividitur in quinque praedicabilia: *genus, speciem, differentiam* etc. de quibus in dialectica loquuti sumus. Quare species et genus exprimunt proprie universale *reflexum*. Universale directum non proprie est *genus*, *vel species*, sed est principium generis vel speciei; quatenus exhibet elementum illud obiectivum, quod continetur in notione generica vel specifica. En verba S. Thomae: « Notandum est quod aliud est dicere animal in quantum animal et animal in quantum universale; et similiter homo in quantum homo, et homo in quantum species. Quia animal, in quantum animal, est animal tantum et significat essentiam simplicem (1). »

IV. Id quod praedicatur per identitatem de hoc vel illo particulari est universale directum, non universale reflexum; seu est elementum obiectivum, quod continetur in notione generica vel specifica; sine relatione universalitatis, quam deinceps mens eidem adiungit ad universale reflexum conficiendum. Illud elementum obiectivum exprimit, ut diximus, naturam per se; quae, sic inspecta, indifferens est inveniri in uno aut in pluribus. Si enim necessario exigeret esse in uno, nunquam inveniretur in pluribus; et si necessario exigeret esse in pluribus, nunquam inveniretur in uno. At experientia docet contrarium. Iterum S. Thomas: « Natura in singularibus habet multiplex esse secundum diversitatem singularium; et tamen ipsi naturae secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum esse debet. Falsum enim est dicere quod natura hominis, in quantum huiusmodi, habeat esse in hoc singulari. Si enim esse in hoc singulari conveniret homini, in quantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare. Similiter, si conveniret homini, in quantum est homo, non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere, quod homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari vel in illo. Patet ergo quod natura hominis, absolute considerata, abstrahit a quolibet esse, ita ut non fiat praecisio alicuius eorum; et haec natu-

(1) Opusc. 55 *De universalibus*, tract. 4.

ra, sic considerata, est quae praedicatur de omnibus individuis. Non autem potest dici quod ratio universalis *(nimirum universalitas formalis et positiva, quae constituit universale reflexum)* conveniat naturae sic acceptae, quia de ratione universalitatis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum eorum convenit, secundum suam absolutam considerationem (1). »

PROPOSITIONES

211. Propositio 1.ª *Universale reflexum non exsistit, nisi in intellectu.*

Prob. Universale reflexum est quidditas quaedam vel essentia vel forma, prout recogitatur a mente et comparatur cum individuis exsistentibus vel possibilibus. Atqui obiectum recogitationis et comparationis mentalis est aliquid iam cogitatum, seu aliquid iam exsistens in actu mentis. Ergo universale reflexum est aliquid exsistens in mente.

Quod autem in mente tantum exsistat, facile persuadetur. Nam universale reflexum exprimit aliquid unum commune pluribus. Atqui nihil eiusmodi est in rebus; siquidem in rebus quidquid est, individuum est et singulare. Ergo universale reflexum exsistentiam non habet nisi idealem, seu in intellectu; qui naturam, iam praecisam a singularibus, ad singularia referat, eamque concipiat velut id, in quo singularia illa conveniunt.

212. Propositio 2.ª *Universale directum habet exsistentiam in rebus, quoad id quod concipitur, non vero quoad modum quo concipitur.*

Prob. Nisi id, quod concipitur, idem esset cum entitate rei, quae extra nos est; nunquam posset affirmari de ea per identitatem. Atqui haec affirmatio locum habet; nam dicimus vere: Petrus est homo; Petrus est libertate praeditus, et similia. Ergo universale directum, quoad id quod concipitur, unum idemque est cum rebus singularibus.

Quod autem haec identitas non extendatur ad modum etiam, quo res concipitur, manifestum est. Nam res illa concipitur abstracte, id est sine conditionibus, eam individuantibus; in se autem, seu prout exsistit in determinato subiecto,

(1) *De Ente et Essentia*, c. 4.

concreta est iisque conditionibus adstricta. Audiamus iterum S. Thomam, cuius vestigiis fideliter inhaeremus: « Cum dicitur universale abstractum, duo intelliguntur: scilicet ipsa natura rei, et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus: sed hoc ipsum, quod est intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi, sine eius odore. Si ergo quaeratur ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est quod color, qui videtur, non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter humanitas, quae intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturae speciei et non individualium principiorum (1). »

213. Propositio 3.ª *Ad formandum universale directum non aliud requiritur ex parte mentis, nisi abstractio quaedam praecisiva, qua in obiecto, quod proponitur, negligantur conditiones individuantes, et sola apprehendatur essentia, qua talis est.*

Prob. Ex effectu arguitur causa. Atqui in effectu, de quo agimus, praeter entitatem, quae exhibetur a rebus, non aliud invenitur nisi praecisio idealis conditionum individuantium. Ergo, nisi aliquid gratis fingere volumus (quod sane non est philosophicum), exsistentia conceptuum universalium non aliud ius tribuit, nisi ut vis quaedam inferatur ex parte mentis, a qua praecisio illa procedat.

Atque id maxime consonat naturae mentis; quae licet individua, spiritualis tamen est et a concretione materiae eiusque conditionibus libera. Hinc, cum proportio intercedere debeat inter operationem et naturam operantem; intellectio, quae primitus et directe fluit a mente, sic rem repraesentare debet, ut a concreta materia eiusque conditionibus abstrahat. At vero abstrahere ab his conditionibus in rebus mate-

(1) *Summa theol.* I. p. q. 85, art. 2 ad 2.

rialibus (a quibus cognitio nostra exordium ducit) idem est atque universale concipere; siquidem individua per hoc distinguimus, quod definitis dimensionibus, certo loco, tempore, figura aliisque determinatis characteribus afficiantur, ex concreta materia emergentibus. Ergo intellectus noster, hoc ipso quod spiritualis est, natura sua conformatur ad obiectum, quod ipsi offertur a sensibus, modo universali concipiendum. Quare sapienter S. Thomas quotiescumque rationem affert cur universalia apprehendamus, eam ab animi spiritualitate desumit. Inde enim fit ut illud ipsum, quod sensus tamquam singulare percepit, percipiatur a mente tamquam universale; iuxta celebre Boëthii effatum: *Singulare dum sentitur, universale dum intelligitur.*

214. Hisce constitutis, realitas notionum universalium nullam amplius difficultatem retinet. Nam illud idem quod intelligitur, est id quod rebus inest; modus tantum est diversus. In rebus est concrete, in intellectu autem abstracte. Huius observationis neglectus est causa omnium errorum in hac materia. Quod recte animadvertit S. Thomas inquiens Platonem ideo *errasse in sua positione, quia credidit quod modus rei intellectae in suo esse sit sicut modus intelligendi rem* (1). Plato enim, cum videret intellectu concipi res cum praecisione a conditionibus individuantibus, putavit eas sic etiam in se subsistere; ac propterea formas rerum sensibilium per se extra materiam exsistentes effinxit. Haec etiam est causa, cur Ontologi ad visionem directam divinarum idearum confugiunt. Cum enim velint obiectum intellectionis nostrae cum eadem abstractione, quam in intellectu habet, extra intellectum reperiri, ad ipsum in divina mente quaerendum transvolant. Contra Nominales, propterea quod vident res esse in se singulares, opinantur eas consimili modo esse concipiendas ab intellectu, atque ideo universalitatem solis vocibus attribuunt. Conceptuales denique negant apprehensione mentis realitatem ipsam, quae in obiecto est, spectari; et idcirco intuitum nostrum ad ideas vel repraesentationes animi, sive innatas, sive a nobis ipsis confectas, detorquent. At omnia haec commenta funditus collabuntur, si alte figatur animo convenientiam inter intellectionem mentis et rem intel-

(1) In 1. *Metaphysicorum.*

lectam intercedere oportere quoad id, quod concipitur, non vero quoad modum, quo concipitur (1).

ARTICULUS III.

Solvuntur difficultates.

215. Triplicis generis difficultates proponam; aliquas pro *nominalibus* et *conceptualibus*, alias pro *ultra-realistis*, alias contra realismum scholasticum, quem amplexi sumus.

Obiic. I. Quidquid extra mentem exsistit, est individuum. Ergo mens, ut obiectum reale concipiat, non potest apprehendere nisi individua. Ergo universalia vel sunt in vocibus vel ad summum in solis conceptibus.

R. *Dist. antec:* Quidquid exsistit extra mentem, est individuum, ita ut eius individuatio non sit idem ac ratio essentiae per se spectatae, *conc;* secus, *nego.* Item *dist. primum consequens:* mens ut concipiat obiectum reale, quoad realitatem exsistentiae, non potest apprehendere nisi individua, *conc;* ut concipiat obiectum reale, quoad realitatem essentiae, *nego;* et *nego* ultimum consequens.

Cum mentis sit proprium res non utcumque apprehendere, sed ita ut earum rationes introspiciat; optime potest essentiam sine individuatione considerare, hoc ipso quod ratio unius cum ratione alterius neque confundatur neque necessario connectatur. Quod autem utrumque verum sit, patet; nam si ratio essentiae cum ratione peculiaris individuationis confunderetur aut necessario nexu copularetur, nunquam essentia inveniri posset, nisi ea individuatione affecta, ac proinde in uno tantum determinato individuo. Sic unum tantum individuum possibile esset; quod nedum rationi sed experientiae ipsi adversatur.

Quoad distinctionem vero primi antecedentis observandum est duplicem realitatem posse considerari: aliam exsistentiae, et aliam essentiae. Si de prima sermo est, fatemur non posse quidquam ut reale apprehendi, nisi sit individuum; nam sola individua exsistunt. At si sermo est de secunda, nihil

(1) Consule opus quod inscripsi: *Della Conoscenza intellettuale* vol. II, cap. 2, ubi hanc materiam fuse explicatam comperies.

vetat quominus universali competat, hoc ipso quod in universali id, quod concipitur, non sit aliquid subiectivum aut a mentis cogitatione confictum.

Obiic. II. Ut essentia percipi posset, praecisis conditionibus individuantibus, deberet ab iis esse distincta. Atqui nulla distinctio intercedit inter essentiam et individuationem. Ergo ad universale explicandum non sufficit vis abstractiva mentis.

R. *Dist. mai:* Deberet esse distincta virtualiter et quoad rationem, *conc;* realiter et quoad entitatem, *nego.* Ad minorem eodem pacto, *dist:* Nulla est distinctio realis et entitativa, *conc;* nulla est distinctio virtualis et rationis cum fundamento in re, *nego.*

Hic non agitur de separatione reali, sed de separatione cogitativa. Mens autem vi sua efficax est ad separandum quoad cogitationem ea, quae non modo coniuncta sunt, sed etiam prorsus identica. Quanto magis id facere potest quoad ea, quae, licet physice non distinguantur, tamen quoad propriam rationem formalem obiective diversa sunt? Ita se habet essentia respectu individuationis. Ratio enim unius non est ratio alterius; secus nonnisi unum, ut supra notavi, individuum esset in mundo. Atque hinc reale fundamentum exsistit separationis idealis, quam mens exsequitur, cum essentiam, remota individuatione, contemplatur.

Obiic. III. Ut mens universale colligat, debet inductione procedere, qua discernat individua, licet distincta, inter se convenire quoad essentiam. At convenientia haec nequit deprehendi, nisi iam antea typus aliquis universalis in mente habeatur, seu notio formae, respectu cuius individua illa similia sunt mutuo.

R. *Nego maiorem.* Ad universale directum colligendum, mens non procedit inductione, sed abstractione; qua puram essentiam cogitat, neglectis conditionibus individuantibus. Ad hoc autem non requiritur enumeratio et examen plurium individuorum, sed sufficit ut unum individuum ipsi obiiciatur vere continens illam essentiam, quae per se considerari potest sine individuatione, quam habet. Non enim ad separandam cogitatione essentiam ab individuantibus principiis mens inducitur ratiocinio, sed determinatur vi naturae, quatenus sic per se comparata est, ut obiectum primo perspiciat quoad quidditatem, et postea cetera, quae ad ipsum perti-

nent, consectetur. Et sane quaeque facultas a natura sortitur proprium modum attingendi obiectum, sibi consonum. Sicut igitur modus proprius visus, qui ab organo in sua actione dependet, est ut lucem percipiat concrete exsistentem; sic modus proprius intelligentiae, quae spiritualitate fruitur, est ut quidditatem apprehendat, absolute spectatam.

Quo loco animadvertimus quod, sicut datur duplex cogitatio, directa nempe et reflexa, sic etiam datur duplex abstractio; quarum una ad primum ordinem, altera ad secundum pertinet. Abstractio propria ordinis reflexi dici potest secundaria et relativa, quatenus exercetur circa obiecta iam intellectu cognita, et procedit observatione similium vel dissimilium, ad eruendas eorum similitudines vel varietates. At abstractio propria ordinis directi, de qua hic loquimur, appellari potest primitiva et absoluta, quatenus exercetur pro primo actu cognitionis intellectualis, ipsumque praecedit, si non tempore, saltem natura. Nec vero comparationem ullam instituit aut sequitur, sed instinctivo processu resolvit in obiecto, sensibus apprehenso, quidditatem a conditionibus individualibus et concretis. Ex quo patet, eamdem distingui etiam ab astractione improprie dicta, quae non quidditatem a subiecto concreto, sed unam partem concreti ab alia secernit, retentis characteribus individualibus, saltem nonnullis. Haec improprie dicta abstractio locum habere potest etiam in actibus imaginationis, vi quorum ex. gr. apprehenditur determinata quaedam figura, sine materia in qua illa viget.

Obiic. IV. Mens in prima intuitione obiecti passive potius se habet, quam active. Atqui si abstractione uteretur, licet instinctiva, actionem exerceret. Ergo etc.

R. *Dist. mai:* Passive potius se habet, quoad id quod percipit, *transeat;* quoad modum percipiendi, *nego.* Recolatur animadversio superius facta: aliud nempe esse rem perceptam, aliud modum quo illa percipitur. Transmisi autem primam partem distinctionis, quia licet intuitio rei dici possit passiva, quatenus mens non aliquid tribuit obiecto sed potius recipit, ut ipsum deinde idealiter exprimat; tamen in hoc vitaliter operatur, ac proinde active se habet.

Obiic. V. Si mens obiectum singulare conciperet sub forma universali, falleretur. Conciperet enim obiectum aliter, quam in se est.

R. *Dist:* Si conciperet sub forma universali per cognitionem complexam, id est iudicium, *conc;* si per cognitionem simplicem, et puram abstractionem, *nego.* Tunc esset falsitas in conceptu universali, si mens affirmaret universalitatem de obiecto, quod percipit. At id nequaquam contingit in simplici apprehensione, per quam mens intuetur quidditatem absolute, quin de ea affirmet universalitatem, sed mere negligat seu non consideret individualitatem. De obiecto autem sic apprehenso mens iure profert iudicia et instituit ratiocinationes, quae referantur ad meram quidditatem rei absolute et per se consideratam. « Licet principia speciei, sic S. Thomas, vel generis nunquam sint, nisi in individuis; tamen potest apprehendi animal sine homine, asino et aliis speciebus; et potest apprehendi homo, non apprehenso Socrate vel Platone, et caro et ossa et anima, non apprehensis his carnibus et his ossibus; et sic semper intellectus formas abstractas, id est superiora, sine inferioribus, intelligit. Nec tamen falso intelligit intellectus; quia non iudicat hoc esse sine hoc, sed apprehendit et iudicat de uno, non iudicando de altero (1). »

Obiic. VI. Universalia sunt necessaria et aeterna. Ergo sunt ipse Deus vel saltem divinae ideae. Nam necessitas et aeternitas sunt attributa divina.

R. *Dist antec:* Universalia sunt necessaria in ratione essentiae, et sunt aeterna negative, *conc;* sunt necessaria in ratione exsistentiae et sunt aeterna positive, *nego.* Ad rationem additam pariter *dist:* Necessitas quoad exsistentiam et aeternitas positiva sunt attributa divina, *conc;* necessitas quoad meram essentiam et aeternitas negativa, *nego.*

Licet res creatae sint contingentes et mutabiles quoad exsistentiam, tamen sunt necessariae et immutabiles quoad essentiam. In hac enim non pendent a voluntate sed ab intellectu divino, ut in Metaphysica demonstrabitur. Hinc, cum nequeant divinis ideis non assimilari, nequeunt habere essentiam diversam ab ea, quam actu habent; licet potuerint non creari, et possint in nihilum a Deo redigi. Universalia vero exprimunt solas quidditates seu essentias rerum, praescindendo a facto actualis exsistentiae. Et inde etiam fit, ut tamquam aeterna menti obiiciantur negativo modo, quatenus

(1) Opusc. LXIII. *De potentiis animae*, c. 17.

nempe nulla temporis differentia coarctentur, cum a tempore omnino abstrahant, sicut etiam abstrahunt a loco. « Universale, inquit S. Thomas, dicitur esse ubique et semper magis per remotionem, quam per positionem. Non enim dicitur esse ubique et semper eo quod sit in omni loco et in omni tempore, sed quia abstrahit ab his quae determinant locum et tempus determinatum (1). » At contra necessitas Dei propria respicit non solum essentiam sed ipsam exsistentiam, quae est ultima rei actualitas; eiusque aeternitas positiva est, quatenus indivisibili praesentia tempus omne possibile comprehendit.

Obiic. VII. Ex doctrina proposita sequeretur universalia esse aliquo modo in rebus ipsis. At id absonum dictu est.

R. *Dist. mai:* Sequeretur universalia esse aliquo modo in rebus, idest fundamentaliter et potentia, *conc;* esse aliquo modo, idest formaliter et actu, *nego.* In hoc differt realismus scholasticus, ut explicatum est, a realismo exaggerato et falso, quod hic universalia formaliter et actu exsistentia requirat extra mentem; ille vero tantum fundamentaliter et in potentia. Non enim statuit essentias realiter communes et ab individuatione singularium distinctas esse in rebus; sed tantum statuit essentias, ita a singularibus individuis re non differre, ut tamen differant ratione; quatenus nempe de se spectatae non exigant individuationem hanc potius quam aliam. Mens autem, quae rationes rerum attingit et non merum factum; intuitu suo optime secernit unum ab alio, et sic essentiam contemplatur nude sumptam, quam deinceps comparatione cum individuis universalitate donat positiva. Ad rem S. Thomas: « Sententia Aristotelis vera est, scilicet quod universale est in multis et est unum praeter multa; et tangitur in hoc duplex esse universalis: unum secundum quod est in rebus; aliud, secundum quod est in anima. Et quantum ad istud esse quod est rationis, habet rationem praedicabilis; quantum vero ad aliud esse, est quaedam natura, et non est universalis actu sed potentia, quia potentia habet ut talis natura fiat universalis per actionem intellectus. Et ideo dicit Boëthius: Universale dum intelligitur, singulare dum sentitur; quia una et eadem natura, quae singularis

(1) *Quodlibeto* II, art. 1.

erat et individuata per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea universalis per actionem intellectus, depurantis ipsam a conditionibus, quae sunt hic et nunc (1). »

CAPUT QUINTUM

DE AXIOMATIBUS.

216. Axiomata vocantur ea iudicia, quae non modo per se evidentia sunt, verum etiam universalitatem habent, atque ideo scientiarum principia constituunt. Atque haec est ratio, cur eo nomine, quod *dignitatem* significat, donata sunt; cum altissimum in cognitione locum obtineant. De iis quinque articulis disseremus, quibus postquam eorum indolem, diversitatem, reductionem indagaverimus, certitudinem et valorem ab adversantium conatibus vindicabimus.

ARTICULUS I.

De diversa iudiciorum classe, prout ad axiomata constituenda evehuntur.

217. Memoria repetendum est, quod alias docuimus: iudicia immediata, quotquot sunt, bifariam dispartiri, nimirum in ea, quorum veritas elucescit ex ipso idearum nexu, et in ea quae non item, sed facto tantum et experientia fundantur. Exempla primi generis sint: *Partes simul sumptae aequant totum; Si ab aequalibus aequalia demas, quae supersunt sunt aequalia.* Exempla autem generis posterioris esse possunt: *Cogito*, *Dolore afficior*, et quotquot ea respiciunt, quae conscientia refert; aut: *Exsistunt corpora, Ignis adurit*, *Aër est gravis*, atque similia, quae immediata sensuum renunciatione nituntur. Prima multimodis nominantur; iure autem dici possunt *iudicia a priori*, quia ex experientia non pendent; vel, si lubet, *analytica*, quia ex resolutione ideae subiecti aut praedicati enascuntur. Altera, etsi diversas etiam denominationes sortita sint, commode tamen

(1) Opusc. 55. *De universalibus*, tract. 1.

vocari possunt *iudicia a posteriori*, quia experientia praebentur; vel etiam *synthetica*, quia attributum extra notionem subiecti positum eidem adiungunt (1).

Huius bipartitae divisionis ratio evidens est; quia pro iudiciis immediate ferendis nihil aliud in obiecto inest, quod mentem ad assensum moveat, nisi aut relatio ipsa idearum convenientiaque vel repugnantia praedicatum inter et subiectum necessario intercedens, ut: *Nihil, quod incipit esse, exsistit virtute sua;* aut factum ipsum experientia compertum, ut: *Loquor, Nix refrigerat*, quae certe nisi conscientia aut sensibus factum testantibus proderentur, nunquam comparatione idearum assequeremur. In *mei* enim idea profecto non est ut actu nunc loquar; ex *nivis* autem conceptu, qualem acquirimus, refrigerandi vim, antequam experiamur, nequimus elicere.

(1) Iudicia omnia, quae synthetica sunt, *a posteriori* vocamus, idque iure meritoque. Ut enim contra Kant mox videbimus, nullum est syntheticum iudicium, quod experimentale non sit.

Has vero denominationes ad iudicia mediata, quae ratiocinio deducuntur, transferre facile erit. Nam si iudicium mediatum sit eiusmodi, ut per ratiocinium *purum* ex duobus iudiciis analyticis deducatur; nemini dubium esse potest, quin ipsum quoque analyticum censendum sit. Sic si dicas: *Quidquid simplicem naturam habet, caret partibus; atqui quidquid caret partibus, discerpi et dividi nequit; ergo quidquid simplicem naturam habet, discerpi et dividi nequit;* certe veritas haec illata eádem, qua praemissae, necessitate pollet; et quamvis mediate, ex idea tamen subiecti resolutum praedicatum habet. Si vero per ratiocinium empiricum ex duplici experimentali iudicio deduces aliquid, ut si dicas ex gr. *Aestati succedit autumnus; atqui modo est aestas; ergo post erit autumnus;* clar m est deductionem istiusmodi non esse nisi veritatem empiricam, quae physicae tantum sit certitudinis. Denique cum per ratiocinium mixtum ex praemissis, altera rationali, altera experimentali, illatio ducitur, veluti si dicas: *Non exsistit ens contingens, nisi exsistat Ens necessarium; atqui exsistunt entia contingentia; ergo exsistit Ens necessarium;* aperte vides illationem, non esse nec mere rationalem, nec experimentalem tantum, sed mediam quodammodo, et hypotheticae necessitatis quoad nos. Nimirum talis est, ut vi praemissae necessariae repugnet oppositum, facta tamen hypothesi veritatis praemissae experimentalis, ex qua etiam pendet.

218. Haec cum ita sint, videndum est quomodo iudicia eiusmodi universalitatem induant, ut ex ipsis principiorum seu axiomatum classes constituantur.

Atque in primis illud constat, iudicia quaelibet analytica suapte vi necessitatem et universalitatem includere. Etenim talia sunt, ut non modo sua luce pateant, sed etiam ut ad omnes casus possibiles se protendant. Cum enim in his iudiciis attributum cum subiecto absoluta necessitate copuletur, ubique et semper eidem iungatur oportet: nec potest uspiam inesse notio *subiecti*, quin ibidem notio adsit *attributi*. Exemplum habes in iudicio saepe usurpato *Totum maius est parte*. In eo enim *subiecti* idea ideam *attributi* sibi implicat. Quare reperiri nusquam subiectum potest, eodem attributo non praeditum. Quot igitur iudicia sunt analytica immediate evidentia, tot axiomata seu principia scientiarum habentur: hoc enim nomine intelliguntur iudicia per se nota et universalitate ac necessitate fruentia.

At contra in iudiciis syntheticis non ita contingit. Horum enim nonnulla circa singularia et individua obiecta versantur: atque ideo *universalitatem* non modo non habent, sed ne induere quidem possunt. Huiusmodi sunt ex. gr: *Ego cogito, Sol nunc horizontem illuminat*, et quotquot alia rem individuam, prout individua est, respiciunt. Cetera vero, quae ita non sunt, quaeque non *singularia* sed *particularia* vocantur, possunt quidem ad universalitatem attolli, at non ope idearum, quibus constant, sed inductionis adminiculo. Cum enim praedicatum habeant extra subiecti notionem positum, nequeunt generalia esse vi sua. Itemque cum sola *experientia* nitantur, universalia censeri non possunt, nisi legitima plurium casuum enumeratio id gradatim de omnibus persuadeat. Sic cum lapis aliquis non suffultus deorsum ruere primo conspicitur; non potest hoc continuo de omnibus certo asseri, sed necesse est experientiam de pluribus consectari. At quoniam fieri nequit ut individua omnia periclitemur, quae axiomate universali comprehenduntur; idcirco est ut quaestio exsurgat qua ratione axiomata eiusmodi certa esse possint.

219. Qua in re nonnulli cum Wolfio existimant ea prout ad casus extenduntur, de quibus experientia nondum facta est, probabilia tantum esse, non certa; indubia autem haberi.

si ad casus tantum iam exploratos restringantur. Unde certitudinem illis tribuunt relativam.

Verum huic opinioni acquiescere minime possumus. Etsi enim non raro res ita se habeat; tamen saepe etiam axiomata inductione fulta omnimodam universalitatem cum certitudine veri nominis exhibent. Sic ex. gr. cum ignem adurere, aut corpora gravia esse affirmamus; id de omnibus omnino intelligimus, atque ita ut certissime putemus non esse nec ullum fore individuum, cui praedicatum illud non competat; sub hac tantum exceptione, nisi Deus in casu quodam peculiari prodigium patrare velit; quod certitudinis quidem physicae proprium est, eam tamen non infirmat. Quare aliter explicanda res est.

Itaque, cum iudicii universalitas per solam enumerationem casuum comparari nequeat (quippe haec semper peculiaris est et ad determinata individua coarctatur); opus est ut dicamus, ei principium quoddam analyticum subvenire, quod absolutam universalitatem includens iudiciis quibusdam experimentalibus, observatione dilatatis, universalitatem communicet. Et sane quod huc confugere opus sit, evidenter elucet. Nam si effectus superare causam nequit; iudicii universalitas nunquam a singularibus, sed ab universali quodam prodire debet; universale autem per se nonnisi iudicium aliquod analyticum esse potest.

Hoc vero iudicium analyticum, quod ad universalitatem his iudiciis impertiendam, post idoneam casuum peculiarium observationem, accedat, principio *causalitatis* continetur: *Nihil contingit absque causa,* vel, si melius libet, principio rationis sufficientis: *Nihil est sine ratione sufficienti,* in quod ipsum principium causalitatis resolvitur. Etenim postquam observatio talis de pluribus individuis facta est, ut eluxerit quoddam phaenomenum constanter et uniformiter rem aliquam comitari, utcumque individua, de quibus experientia instituitur, quoad numerum aut peculiares qualitates conditionesque varientur; profecto patet phaenomeni illius causam neque determinationes eas peculiares, neque fortuitas circumstantias esse posse. Haec enim pro individuorum varietate mutantur, effectus autem constans et uniformis constantem et uniformem exigit causam. Hinc mens vi principii causalitatis aliam phaenomeni causam quaeret. Et cum

praeter adventitias circumstantias et peculiares individuorum proprietates, nihil aliud iure assignari possit, nisi aut ipsa individuorum natura, aut lex in illis a Deo constabilita; ex his phaenomeni causam mens repetet. At vero natura omnibus inest, etiam proinde iis, de quibus nondum instituta experientia est; leges autem, quibus res mundanae temperantur, stabilitate fruuntur. Ergo phaenomenum, quod hinc ducit originem, non modo in individuis, de quibus habita experientia est, sed in iis etiam, quae nondum explorata sunt, vigere oportet; modo eandem naturam habeant aut eodem ordine contineantur. Iure igitur iudicia synthetica (si sufficiens inductio praecedat) vi principii causalitatis generalia evadunt. Vi enim huius principii phaenomena particularia, quae observantur, ad naturam omnibus communem, aut ad ordinem a Deo in rebus constabilitum, tamquam ad propriam causam, revocantur; atque adeo ipsis applicantur duo illa principia, quae innuimus in Logica: *Causae naturales eosdem semper producunt effectus. Leges naturae sunt constantes* (1).

220. Verum, ut quisque videt, magna cautio in his efformandis axiomatibus adhibenda est, ne observatio non satis idoneum suppeditet fundamentum. Non enim utcumque sufficit nonnulla explorare individua, sed tam diligens tamque studiosum examen exigitur, ut evidenter appareat phaenomeni causam aliam esse non posse, nisi aut illorum individuorum naturam aut ordinem a Deo sancitum in rebus. Qua in re praeclare Verulamius: « Inductio, iniquit, quae procedit per enumerationem simplicem, res puerilis est, et precario concludit, et periculo exponitur ab instantia contradictoria; et plerumque secundum pauciora, quam par est, et ex his tantummodo, quae praesto sunt, pronuntiat. At inductio, quae ad inventionem et demonstrationem scientiarum et artium erit utilis, naturam separare debet per reiectiones et exclusiones debitas, ac deinde post negativas tot, quot sufficiunt, super affirmativas concludere (2). » Opus est igitur in primis obiecti non perfunctoria sed accurata consideratio, ita ut illius, quoad fieri potest, plena obtineatur notitia,

(1) Parte prima, c. 3, art. 4 *De inductione.*
(2) *Novi Organi*, lib. I, aphor. 105.

Deinde omnino oportet ut obiectum, quod observatur, rite secernatur ab iis, quae circumstant, ne forte quod aliunde provenit, ipsi errando tribuatur. Ubi autem dilucide perspectum est quid proprie ad obiectum pertineat; tum demum plenum et sufficiens casuum peculiarium examen instituendum est, observatioque iteranda, pro rei, qua de agitur, conditione.

Nec vero sola observatio sufficit, sed experientia etiam saepe iungenda est. Quas inter hoc interest, quod observatio dicatur, cum examinantur phaenomena prout a natura offeruntur; experientia autem, cum naturae periculum de industria instituitur, resque ad phaenomena exhibenda compellitur. Ut vero rite fiant experimenta, necesse est praeter eas praeceptiones, quas pro observatione tradidimus, has insuper adhibere:

I. Variari experimenta debent, obiecto in diversis conditionibus et adiunctis constituto, ut quaqua versus effectus, qui ab ipso prodit, appareat.

II. Saepenumero experimenta invertenda sunt, ut dispiciatur utrumne, diverso processu, consimilis aut contrarius eventus exsurgat.

III. Sumpta semel experientia produci debet, ut constantia phaenomeni dignoscatur; nec non ad res diversas vel consimiles extendenda est, ut manifestetur utrum a peculiari an a communi aliqua lege vel proprietate effectus fluat.

IV. Quoad fieri possit, instandum est, atque examen experimentumque urgendum, ut phaenomeni intensitas eiusque causarum idonea mensura determinetur.

Haec potissimum servanda sunt, ut legitima sit inductio et ratiocinationi, quam diximus, det locum, ad generalia axiomata vi observationis et experientiae colligenda.

Ut itaque ea, quae disceptavimus, velut in summam conferamus, duo sunt iudiciorum genera: *analytica,* quae intuitione et analysi idearum habentur; *synthetica,* quae facto ipso et experientia nituntur. Prima, cum insitam universalitatem et necessitatem exhibeant, suapte natura sunt axiomata. Altera, cum non necessitatem sed contingentiam praeseferant, et universalitatem per se non habeant; ratiocinatione egent, principio causalitatis innixa, ut ad universalitatem evehantur. Quare vocari poterunt *principia inductiva*

et *a posteriori*, vel etiam, si placet, *syntheticorum* nomen retinebunt; quippe quae, etsi universalitatem induerint, semper tamen praedicatum includunt extra notionem subiecti positum eique superadditum.

ARTICULUS II.

Utrum principium aliquod sit, ad quod reliqua revocentur.

221. Asseruit Leibnitius ratiocinia duobus veluti magnis superstrui principiis, quorum unum sit effatum contradictionis: *Non potest idem simul esse et non esse;* alterum vero pronuntiatum rationis sufficientis: *Nihil est sine ratione sufficienti* (1). Primo inniti docuit veritates necessarias, seu iudicia analytica; posteriore veritates contingentes, seu iudicia quae synthetica nominavimus. Haec Leibnitii doctrina non distincta satis est et quoad secundam potissimum partem, nisi in bonum sensum torqueatur, subabsurda etiam esse videtur. Totam igitur quaestionem accuratius expendamus.

Atque in primis illud sedulo cogitandum est: non perinde primum unum inquiri posse principium, quasi ipsum tantum notum sit propter se, alia vero omnia ex eo postulent demonstrari. Id enim aperte repugnat; non modo, quia iudicia analytica immediate percipiuntur, intellectis terminis; sed etiam quia, ut alias diximus, institui nequit ratiocinatio, quin antea non pauca in certorum et evidentium numero habeantur. Saltem enim iudicia duo, quae in ratiocinando praemissarum munere fungantur, ante ratiocinium quodvis admitti debent; ut nihil dicam de principiis iis, in quibus ipsa ratiocinandi forma fundatur. Verus igitur sensus, quo primum aliquod principium absolute et universaliter vestigatur, is unice esse videtur; ut certum statuatur iudicium, quod ceteris velut implicitum sit, et generalem conditionem exprimat quae in quovis assensu mentis praesumatur.

(1) *Theses in gratiam* Principis Eugenii, §. 31 et seq. Opusc. t. 2.

PROPOSITIONES

222. Propositio 1.ª *Principium omnium primum, quod in ceteris omnibus latet implicitum, pervulgato continetur contradictionis effato: Nequit idem simul esse et non esse.*

Prob. Si idea entis in quolibet conceptu implicita est, profecto in omni iudicio implicitum esse debet iudicium illud, quod ex idea entis immediate consequitur. Atqui tale est contradictionis principium. Nam per ipsum nihil aliud enuntiatur, nisi repugnantia, quae viget inter *ens* et eius negationem, nempe *non ens;* idque generalissime, prout ad omnem rerum ordinem se protendit. Unde non fundatur nisi in sola notione entis; siquidem mens cognoscendo *ens*, cognoscit etiam *non ens*, cum intellectio se habeat ad opposita.

Praeterea, illud iudicium haberi debet tamquam implicitum ceteris et tamquam conditio omnibus praesupposita, quod non modo evidentissimum est atque universalissimum, sed etiam adeo necessarium, ut eo sublato certitudo omnis eripiatur. Atqui tale est principium contradictionis: Ergo etc. Et re quidem vera quod hoc principium sit evidentissimum atque universalissimum manifestum est. Nam eadem claritate innotescit, qua idea entis, et iuxta illius amplitudinem se protendit. Est etiam maximae necessitatis: siquidem continet primam veluti legem, qua intelligentia in iudicando temperatur: a qua si recederet, omnis illico cogitatio corrueret, et quivis obiectorum ordo sus deque verteretur.

223. Propositio 2.ª *Principium contradictionis formulam generalem exprimit, in quam veritas ceterorum principiorum analyticorum ultimo resolvitur.*

Prob. In iudiciis analyticis, etiamsi immediate pateant, mens idcirco assensum praestat, quia in illis identitatem terminorum, nexumque necessarium inter duas ideas sic perspicit, ut contrarium cogitari non posse videat. Hanc autem impossibilitatem idcirco videt, quia videt non posse idem simul esse et non esse. At haec ipsa est enuntiatio contradictionis effati, quemadmodum ex terminis constat. Ergo hoc principium communem legem exprimit, qua mens in quovis iudicio analytico proferendo adstringitur. Et sane si ex. gr.

resolvuntur iudicia, quibus mens affirmat *totum esse maius parte,* aut *effectum postulare causam;* apparebit profecto nihil aliud tandem illis affirmari, nisi *totum* non posse esse simul *totum* et *non totum,* nec *effectum* esse simul *effectum* et *non effectum;* quod generali expressione idem est ac dicere: *non posse idem simul esse et non esse.*

Hinc fit ut iudicia analytica per principium contradictionis apud pertinacem hominem declarari aut etiam demonstrari indirecte possint, demonstratione, ut aiunt, *ex absurdo;* modo adversarius notionem obiecti, de quo agitur, admittat. Nam si quis ex. gr. concessa idea totius, negaret totum superare partem, sic ipsum coarguere posses: Quid est totum? Complexus partium. Ergo dicit partem et aliquid praeter partem. Atqui id significat maius esse parte. Ergo *esse totum* idem est ac *maius esse parte.* Ergo hoc principium negari aliter nequit, nisi in quantum statuatur totum esse totum et non totum, seu idem simul esse et non esse.

Quare principium contradictionis est veluti lydius lapis ad analytica iudicia internoscenda. Ea enim in hoc numero haberi debent, quae nisi vera essent, idem simul oporteret affirmari et negari.

224. Propositio 3.ª *Iudicia synthetica nequeunt resolvi in principium rationis sufficientis, tamquam in formulam generalem motivi, quo ad iis assentiendum impellimur.*

Prob. Quamquam verum sit iudicia synthetica semper circa obiecta versari, quae, utpote contingentia, non modo rationem cur exsistant, sed etiam causam postulant; tamen falsissimum est nos vel implicite ab alterutra earum moveri ad assensum iis adhibendum. Sed fundamentum, quo in eiusmodi assensu nitimur, in experientia tantum, sive interna sive externa, positum est. Et sane si quaererem a te cur de tua exsistentia sis certus aut quare nunc diem esse non dubites; haud certe reponeres: quia *nihil est sine ratione sufficienti;* sed reponeres te propterea certiorem esse de obiectis illis, quia primum conscientia, alterum sensu evidenter attingis. Experientia igitur est tibi harum veritatum auctrix et suada; atque in hanc illae dumtaxat resolvuntur.

Nec vero officit, quod res contingentes nexum quemdam cum aliqua sui ratione sufficienti et causa habeant; Id enim

omne rerum earumdem exsistentiam respicit, non vero cognitionem; quam quidem nos in praesenti ordine non a priori, sed a posteriori ex facti ipsius intuitione consequimur.

225. Propositio 4.ª *Si non de quibuslibet veritatibus contingentibus sermo sit, sed de iis quae inductione ad universalitatem evehuntur, hae principio rationis sufficientis indirecte saltem nituntur.*

Prob. Ut superiore articulo demonstravimus, inductio, in universalitate veritatibus contingentibus impartienda, principio causalitatis regitur. Nam in tantum detegit causam phaenomenorum, quae scrutatur, esse vel ipsam subiecti naturam, vel legem a Deo constabilitam, in quantum mordicus adhaeret huic principio: non datur effectus sine causa. At hoc principium (quod principium causalitatis appellatur), non est aliud nisi coarctatio quaedam principii rationis sufficientis, ac proinde communi usu saepe cum ipso confunditur. Ergo si Leibnitiana doctrina hac benigna interpretatione lenitur, quod intelligatur de veritatibus contingentibus quatenus ad universalitatem evehuntur, admitti plane poterit. Sed tunc ad ambiguitatem tollendam, sic proponenda foret: Iudicia universalia, ex quibus ratiocinia pendent, duobus magnis superstruuntur principiis; quorum unum est effatum contradictionis: *Non potest idem simul esse et non esse;* alterum est principium rationis sufficientis: *Nihil est sine ratione sufficienti.* Primo innituntur axiomata analytica, alteri axiomata synthetica seu experimentalia. Pro illis non praesupponitur nisi intuitio idearum; pro his vero requiritur intuitio facti, cum legitima enumeratione casuum particularium.

Solvuntur difficultates.

226. *Obiic.* I. Effatum contradictionis est *negativum.* Ergo non est primum in genere principiorum. Probatur *antecedens.* Iudicium negativum posterius est positivo; siquidem negatio in affirmatione fundatur. Deinde, effatum contradictionis est *modale;* modus autem sabaudit rem, quam afficit.

R. *Dist. ant:* Effatum contradictionis est mere negativum, *nego;* est negativum admixtum affirmatione, *conc;* et nego *consequens.* Ad probationem *dist:* Iudicium mere negativum

posterius est positivo, *conc;* iudicium admixtum affirmatione, *nego.* Ad alteram difficultatem *dist:* Effatum contradictionis est *modale,* per *modum* omnino identificatum cum ipsa notione simplici, *conc;* per *modum* ab ea distinctum, *nego.* Ad eius vero probationem item *dist:* modus *proprie* dictus, nempe qui a re distinguitur, subaudit rem, *conc;* modus *improprie* dictus, nempe qui a re non differt, *nego.*

Principium contradictionis ita negatione constat, ut constet etiam affirmatione. Docet enim ea, quae sunt, ita esse, ut simul non esse nequeant. Hoc autem, ut quisque videt, ad positivam entis et cognitionis perfectionem pertinet. Nec quidquam obest, quod negatio affirmatione nitatur: siquidem principium contradictionis revera in positiva cognitione fundatum est, nimirum in perceptione entis, ad cuius conditionem pertinet, ut in quantum est non possit non esse. Atque id ipsum per effatum contradictionis pronuntiatur. Quod autem modali propositione significatur, hoc eius *prioritati* non nocet. Nam hic modus consistit in repugnantia, quam *ens* habet respectu *non entis.* Haec autem repugnantia non differt ab ipsa notione *entis,* quae certe excludit a se *nihilum,* et quidem necessario. Intellectus enimvero, cum percipit quidditatem obiecti quod apprehendit, nequit non percipere eodem actu modos illos et determinationes, quae ad quidditatem ipsam rei constituendam pertinent. Sic cum percipit substantiam, hoc ipso percipit quod sit *per se stans;* hoc enim notionem ipsam substantiae ingreditur. Quoniam igitur necessaria exclusio *nihili* confunditur cum ipsa quidditate entis, in quantum est ens; iudicium modale, quod id exprimit, non requirit aliud iudicium praevium, quod versetur circa rem sempliciter inspectam. Ceterum principium contradictionis spoliari posset externa forma modali et proponi sub forma simplici, retenta eadem sententia. Exponi enim posset hoc modo: *Ens non est nihilum;* vel: *Enti repugnat non esse, in quantum est;* vel etiam *Nequit id, quod est, non esse.* Quod autem eiusmodi iudicium, quacumque forma vestiatur, sit primum a mente prolatum, sic brevissime suaderi potest: Iudicium resultat ex comparatione duarum idearum. Atqui ideae, quae primo in nobis explicantur et ceteris praesupponuntur, sunt idea entis et idea non entis. Ergo illud iudicium est primum omnium, quod

resultat ex comparatione ideae entis cum idea non entis. Atqui ex hac comparatione non aliud resultat, nisi repugnantia unius respectu alterius. Ergo principium, quod id exprimit, est primum iudicium quod mente profertur.

Obiic. II. Principium contradictionis evidentiam subaudit; secus non posset apparere menti, eamque ad assensum determinare. Ergo non est omnium primum.

R. *Dist. antec:* Subaudit evidentiam tamquam characterem et notam, quodlibet verum concomitantem, *conc;* tamquam principium, ex quo ratiocinando inferatur, *nego.*

Etsi principium contradictionis hoc ipso, quod verum est et notum sponte sua, evidentiam, et quidem quae maxima sit, praeseferat; tamen ne indirecte quidem infertur ex ea, tanquam ex praevio iudicio, sed assensum rapit immediate propter nexum praedicatum inter subiectumque intercedentem. Et sane quomodo ex evidentia, per modum iudicii expressa, inferri posset; si principio contradictionis non praesupposito, omne iudicium corrueret? Certe ut dicas: *Quidquid est evidens, verum est*, mente praesumere debes *non posse idem simul esse et non esse;* secus quod est evidens posset simul esse verum et non verum.

Obiic. III. Nisi verum esset in principio contradictionis praedicatum unum idemque esse cum subiecto, mens ipsi neutiquam assentiretur. Ergo principium *contradictionis* praevium habet principium *identitatis;* videlicet: *Quod est, est;* seu: *A aequat A.*

R. *Conc. antec.* et *nego consequens.* Certe nisi supponitur veritas in obiecto, non potest mens assensu suo eidem adhaerere. Quapropter ut mens pronuntiet effatum contradictionis, tanquam iudicium immediatum, necesse est ut revera in eo effato praedicatum sit unum idemque cum subiecto. Sed acie mentis intueri hanc identitatem et effatum contradictionis proferre, idem est. Non igitur requiritur ut ipsa identitas terminorum constituat aliud effatum, ex quo veritas principii contradictionis, aut alterius cuiuscumque iudicii inferatur. Atque hoc inde magis persuadetur, quod identitatis effatum eo modo, quo proponitur ab adversariis, in principiorum numero haberi nequit. Revera enim nugatorium est, nec ullo modo ad ratiocinationem instruendam deservit. Minor enim, quae subiungenda foret, idem prorsus exprimeret quod illa-

tio. Ita est ex. gr. si diceres: *Quod est, est; atqui tu es; ergo tu es.* Quo syllogismo nescio an possit aliquid ineptius excogitari.

227. Adversus ea, quae diximus de resolutione axiomatum syntheticorum seu experimentalium in principium causalitatis vel rationis sufficientis, sic fortasse quis obiiciet: Si ea theoria vera esset, axiomata experimentalia haberent certitudinem metaphysicam, saltem quoad universalitatem suam; nam principium causalitatis, a quo eam derivarent, certitudinis est metaphysicae.

R. *Nego consequens.* Nam axiomata experimentalia formantur quidem adminiculo principii causalitatis vel rationis sufficientis, at indirecte et remote; quatenus nempe eo principio mens regitur in detegenda phaenomeni causa. Proxime autem et directe fundantur in experientia facti et enumeratione casuum peculiarium, adiecta constantia legum naturalium. Quod, ut suo loco diximus, non suppeditat nisi certitudinem physicam. Ceterum etiamsi axiomata experimentalia haberi vellent ut conclusiones duarum praemissarum, quarum una sit principium rationis sufficientis, altera factum experientia compertum; tamen certitudinem physicam non prorsus excederent; siquidem ipsis applicari posset effatum illud: *Conclusio sequitur debiliorem praemissarum partem.*

ARTICULUS III.

De principio causalitatis.

228. Causalitatis effatum sic enuntiari potest: *Quidquid fit, sui causam habet;* vel: *Omnis eventus subaudit causam;* vel etiam: *Non datur effectus, sine causa.* Qua quidem in re sedulo notandum est, quod etsi plerumque communi usu principium eiusmodi cum principio rationis sufficientis confundi soleat; tamen ab eo non parum differt. Subiecta enim et attributa utriusque diversa sunt prorsus. Nam rationis sufficientis effatum ait: *Nihil est quod rationem sufficientem cur sit non habeat;* effatum vero causalitatis affirmat: *Nihil efficitur absque causa.* Iam vero *esse* non est idem, quod *effici.* Deus enim est, sed minime efficitur; siquidem *effici* importat novitatem exsistendi, seu transitum a non ex-

sistentia ad exsistentiam. Itemque *ratio sufficiens* non est idem quod *causa*. Illa enim latius patet, ac generatim significat id, unde est ut aliquid sit potius quam non sit; causa autem minus vagatur, et significat agens aliquod, quod rei a se distinctae exsistentiam largitur. Quare etsi quidquid causae notionem habet, idem continuo est etiam ratio sufficiens; non tamen contra, quidquid est ratio sufficiens, idem continuo habet notionem causae. Sic optime dicitur Deus esse suimetipsius ratio sufficiens, at nequaquam dicitur esse suimetipsius causa. Atque haec ad distinctam huius effati notionem explicandam dicta sint: modo eius vim ab adversantium conatibus defendamus.

229. Quod vix credi posset, non defuerunt homines, qui effatum adeo perspicuum debilitare ac de medio pellere conati sunt. Hume in primis causalitatis principium inde impetit, quod nullam esse viam opinetur, qua germanam notionem causae nobis comparare possimus. Verum hunc in Ontologia refutabimus, ubi de causae efficientis conceptu disseremus. In praesens, quidquid sit de fonte, unde notio haec dimanat, eam nobis evidenter inesse sufficiat; quod quidem communis conscientia testatur. Quisque enim optime sentit, se hoc iudicium mente proferre atque ad suas actiones temperandas adhibere.

Potius cum alio hoste congrediendum est, qui intimam principii causalitatis vim et certitudinem evertere tentavit. Hic est Beguelin, qui in actis Academiae Berolinensis principium causalitatis, quod cum principio rationis sufficientis perpetuo confundit, utpote obscurum atque demonstrationis incapax incertum esse contendit. Atque hinc constabilire nititur, saltem ut possibilem, hypothesim *fortunae* vel *casus;* nimirum, ut ipse se exprimit, hypothesim exsistentiae cuiusdam vel eventus, qui exsurgat sine ulla causa (1).

PROPOSITIONES

230. Propositio 1.ª *Principium causalitatis indubium est.*

Prob. primo ex communi naturae sensu. Haec propositio: *Non datur effectus sine causa,* adeo in promptu et explo-

(1) Consulatur egregia Gerdilii dissertatio: *Réflexions sur un mémoire de M. Beguelin, concernant le principe de la raison suffisante,* t. 4 Operum.

rato est omnibus, ut nemo inveniatur (modo rationis suae sit compos), qui se de eius veritate dubitare serio affirmet. An vero quisquam opinabitur corpus, ad quietem motumve inertiae lege indifferens, sine impellente aliquo, moveri; aërem absque luce illuminari posse; segetes sine semine enasci; arcam pecunia carentem, nulla admota manu, ingenti auri vi impletum iri? Delirantis sunt haec insomnia, quae quamquam per iocum ore proferri possint, mente tamen nequeunt agitari.

Prob. secundo ex analysi terminorum. Principium: *quidquid fit, causam habet,* in analyticis est; quandoquidem sic praedicatum cum subiecto complexum habet atque iunctum, ut si unum sustuleris, alterius simul notionem perimi et evanescere necesse sit. Et sane, res quae efficitur, seu quae a statu possibilitatis ad statum graditur exsistentiae, notionem exhibet rei, quae aliquid recipit, nimirum exsistentiam; quae certe merae possibilitati quidpiam aliud superaddit. Plus enim certe est actu exstare, quam possibile esse dumtaxat. At profecto conceptus rei, quae exsistentiam accipit, correlativum habet conceptum rei, quae exsistentiam impertit; nihil enim nihil dat. Tum etiam, realitas, quae exsistentiam alteri impertit, causa illius est ac ratio sufficiens. Ergo causae exsistentia et necessitas, quoad rem, quae exstare incipit, seu quae fit, cum eius notione necessario connectitur. Quae ratiocinatio, seu melius conceptuum explicatio, dum effatum, de quo agitur, in analyticorum probat haberi numero, Beguelini simul absurditatem elidit. Nam pronuntiati illius non modo veritatem, sed etiam absolutam necessitatem ostendit.

231. Propositio 2.ª *Principium causalitatis ex effato contradictionis proxime sequitur.*

Prob. Ad Beguelini pervicaciam magis retundendam, optimum erit veritatem huius principii ex ipso contradictionis effato deducere, cuius vim inconcussam adversarius ipse fatetur. Propterea enim axiomata Matheseos in certis haberi ait, quia ex effato illo derivantur, nec aliud sunt quidquam, nisi ipsum contradictionis principium, diversis exhibitum terminis et peculiaribus entis conditionibus accommodatum. Quae omnia si in illis vera sunt, procul dubio pro nostro etiam effato vim habent. Etenim si aliqua contingens exsi-

stentia, sine causa efficiente, prodiret; certe res istiusmodi aut a sui *possibilitate* exsistentiam reciperet, aut a *nihilo*. Utrumque autem principio contradictionis reluctatur. Nam si a sui possibilitate effectus ille reciperet exsistentiam (quod auctor opinari videtur, cum asserat exsistentiam, ut sit, non egere nisi sola interna possibilitate); tunc, praeterquam quod omnia possibilia hoc ipso exstarent (haberent enim quod ad exsistendum sufficit), in apertam conceptuum pugnam labendum foret. Nam certe exsistentia *maius* quiddam est quam nuda possibilitas, eique determinationem actumque exsistendi adiungit. Ergo si ad exsistendum sufficeret possibilitas, *minus* sufficeret ad constituendum *maius;* quod ipse Beguelin contradictorium agnoscit. Loquens enim de principio: *totum maius est parte,* ipsum ex contradictionis effato idcirco deducit, quia aequivalet huic propositioni: *maius nequit esse minus.* At mirum est, quo modo id ipsum pro causalitatis effato non contueatur. Evidenter enim si possibilitas (quae, ut diximus, minor est quam exsistentia) ad exsistentiam sola sufficeret, *minus* sufficeret ad *maius;* proinde esset idem simul *minus* et *maius,* seu *minus* et *non minus.* Qui conceptus pugnant inter se et contradictorie opponuntur.

Idem fiat ratiocinium, si adstruitur exsistentiam suppeditari a *nihilo.* Nam *nihilum,* cum non sit aliquid, certe minus est, quam exsistentia, quae, quidquid sit, profecto est aliquid. Praeterea, si nemo dat quod non habet; *nihilum,* utpote omni realitate privatum, nequit certe hanc impertire; nisi pugnantibus ideis statui velit, illam a *nihilo* haberi simul et non haberi.

Solvuntur difficultates.

232. Sed quibus argutiis Beguelin deliramentum illum tutetur, videamus.

Obiic. I. In effato causalitatis, vel rationis sufficientis fit transitus ad exsistentiam *realem,* cuius notio est valde obscura; contra in principio contradictionis exsistentia *idealis* respicitur. Ergo hoc ut absolute certum haberi potest, non illud.

R. *Dist.* primam partem *antecedentis:* In effato rationis sufficientis fit transitus ad exsistentiam *realem,* hoc est eius

veritas pendet ab aliqua reali exsistentia, ex cuius experientia colligitur, ut est de axiomatibus experimentalibus, *nego;* hoc est enuntiatur generatim et *abstracte* nexus necessarius inter exsistentiam entis contingentis et eius causam, ita ut ex reali illius exsistentia inferri debeat huius etiam realis exsistentia, *concedo. Transmitto* aliam partem *antecedentis*, et *nego* tum *consequens*, tum rationem additam.

Si principium: *Nihil fit sine causa*, logice resolvatur, huic aequivalet: *Omne, quod fit, est habens causam.* Quare non aliud facit, nisi ut enuntiet necessarium nexum seu identitatem inter duas ideas abstractas, ideam nimirum entis contingentis et ideam exigentis causam. Quocirca est principium reapse analyticum et a priori, eodem ferme modo ac principium contradictionis. Nec, contra, obstat quod ex ipso, posita reali exsistentia entis contingentis, inferatur realis exsistentia eius causae. Nam hoc valet etiam pro contradictionis effato; ex quo similiter, posito quod aliquid *realiter* exstet, deducitur etiam *realiter* illud ipsum non posse non esse. Transmisi autem alteram partem antecedentis, quia si hoc sensu intelligatur, principium contradictionis respicere idealem exsistentiam, quatenus hanc respicit *abstracte* et *independenter* ab actuali exsistentia rerum creatarum, vera est propositio; sed ea locum habet etiam pro causalitatis principio. Etsi enim nil creatum exsisteret, semper tamen verum esset hoc axioma: *Nihil fieri nec fieri posse, sine causa.* Sin quispiam sic antecedens illud interpretetur, ut existimet contradictionis effatum veritatem suam non de exsistentia obiectiva, sed de idea ipsius dumtaxat pronuntiare; falsa est propositio. In cognitionibus enim directis non percipimus ideas, sed obiecta idearum.

Denique falsissima est addita ratio, quae aiebat notionem exsistentiae realis esse valde obscuram. Ea enim omnium notionum clarissima est et notissima. Ceterum, sive obscura sit sive clara, certe clarissimum est per exsistentiam aliquid superaddi nudae possibilitati, ac proinde aliquam necessario requiri causam, quae rem antea possibilem ad exsistentiam transferat.

Obiic. II. In demonstrando principio rationis sufficientis circulus vitiosus offenditur. Etenim demonstrare aliquid, idem est ac rationem eius sufficientem afferre.

R. Antequam ad solutionem veniam, duo adverto. In primis: principium rationis sufficientis demonstratione non indigere, cum sit axioma per se notum. Deinde, Beguelin argutia illa, qua utitur, vel sibimet contradicere, vel nimis probare, et viam ad scepticismum sternere. Nam si demonstratio omnis principio rationis sufficientis, ut vult, innititur; profecto principium eiusmodi aut inconcussum habendum est, aut omnis demonstratio corruit. Ergo vel Beguelin sibi ipse non est consentiens, vel e medio omnem demonstrationem tollit.

His obiter dictis, respondeo directe, *negando antecedens*. Ad *probationem* vero *distinguo:* Demonstrare aliquid, idem est ac rationem eius sufficientem afferre, hanc semper inferendo ex hoc principio: *Nihil est sine ratione sufficienti, nego;* hanc inferendo ex alio quovis principio, quod licet in se sit ratio sufficiens illationis, tamen non constituit principium illud: *Nihil est sine ratione sufficienti, concedo.* Tum *nego consequens.*

Ut vel Logicae tirones sciunt, tunc circulus vitiosus incurritur, cum ad aliquam illationem deducendam assumitur ipsa illatio, tamquam principium demonstrandi. Sic in casu, si quis ad probandam veritatem principii rationis sufficientis, assumeret ipsum principium, tanquam praemissam ratiocinii; is profecto circulum vitiosum offenderet. At nullus est huiusmodi circulus, quoties in ea veritate demonstranda aliud assumitur principium, licet hoc in se sit ratio sufficiens illationis.

Obiic. III. Posita absoluta necessitate principii rationis sufficientis, in fatalismum incidendum foret. Nam in primis omnes veritates, quae illius ope deducuntur, essent etiam absolute necessariae: sicut evenit in veritatibus, quae ex principio contradictionis inferuntur. Deinde, nulla causa libere operaretur. Nam vi principii rationis sufficientis sicut, adstructo *rationato,* adstruenda esset *ratio sufficiens;* ita, adstructa *ratione sufficienti,* adstruendum esset *rationatum.*

R. *Nego primum antecedens.* Ad primam vero rationem *dist:* Si veritates illae procederent etiam ex *minori* absolute necessaria, *conc;* si autem ex *minori* contingente, *nego.*

Beguelin dum ita ratiocinatur, palam facit se in Logicae praeceptis parum esse versatum. Ut enim saepe dictum est,

tunc illationis veritas absolutam habet necessitatem, cum ex duplici praemissa absolute necessaria consequitur. At cum syllogismus alterutra praemissa contingente constat, quae hypothetica tantum teneatur necessitate; tunc, licet altera praemissa absolute sit necessaria, tamen illatio contingens est et solum hypotheticam necessitatem exhibet. Quare, ut ad rem nostram veniamus, cum ex. gr. posita diurna luce, inferimus exsistere eius causam, nempe solem; huius exsistentia vi illius ratiocinii non aliter nobis constat, nisi necessitate hypotethica; altera enim praemissarum, a quibus pendet, est veritas contingens. Quocirca si quando, post demonstratam causam ex effectuum exsistentia, ostendi insuper velit exsistentiam illius esse necessariam; adiungi debet ratiocinium constans duabus praemissis necessariis. Neque id mirum esse videtur, cum ex ipso principio contradictionis illationes sint quandoque hypotheticae non absolutae necessitatis. Cum enim ex. gr. ita ratiocinamur: *Impossibile est idem simul esse et non esse; atqui sol est; ergo sol nequit non esse*, haec impossibilitas *non exsistentiae solis* est ex hypothesi *exsistentiae ipsius,* quae, dum est, nequit non esse. Qua in re animadvertendum est principia applicari iuxta naturam et exigentiam subiecti quod assumitur.

Quoad alteram difficultatem de libertatis iactura, nego prorsus assumptum. Principium enim illud non nisi hoc affirmat: posito rationato, ponendam esse rationem sufficientem. Utrum vero, posita ratione sufficienti, debeat poni an possit etiam non poni rationatum; id ex eo pendet, quod ratio illa necessaria sit vel libera. Si enim necessaria est, rationatum necessario ponitur; contra vero, si est libera. Unde propositio istaec: posita ratione sufficienti poni debet rationatum, distinguenda est hoc pacto: si ratio sufficiens est causa necessaria quoad rationatum ponendum, *concedo;* sin est libera, *nego.*

Nec vero instet Beguelin: si ita foret, iam ratio illa non esset amplius sufficiens, propterea quod eidem deesset aliquid, quod ad rationatum ponendum exquiritur. Nam cum de causis liberis agitur, hae non ideo ab operando abstinent, quia complemento aliquo carent, sed quia, quum liberae in agendo sint, rationatum possunt ponere vel non ponere ex interna sibi virtute atque activitate, quin ullum eis complementum desit. Sic accidit voluntati humanae, quoad actus liberos exerendos.

Ad conceptum autem rationis sufficientis oppido sufficit, ut completam vim habeat ponendi rationatum; licet aliquando, quia libera est, rationatum non ponat. Verum de hac re, cum de libertate agemus, fusius erit disserendum.

ARTICULUS IV.

Kantii iudicia synthentica a priori repudiantur.

233. Criticismi transcendentalis auctor Kant nova obtrudit iudicia, quae *sythentica a priori* nominat, quibus veluti fundamento firmisque nexibus, totus eius idealismus superstruitur. Maxime igitur interest novam hanc et repertam doctrinam de medio pellere, quae totam hominis scientiam ad caecum quemdam instinctum reducit. Sed ante Kantii sententia et processus innuendus est.

Hic itaque per criticam transcendentalem investigare et definire praestituit fontes, originem et limites rationis purae, seu elementorum cognitionis, quae ab experientia non pendet (1). Huiusmodi analysim perficere contendit per cognitionem transcendentalem, seu quae, non tam de obiectis (quorum realitatem ut menti inaccessam et prorsus incognitam praetermittit), quam potius occupetur de cognoscendi modo, et quidem in quantum cognitio procedit a priori.

Id auspicatus observat primo, iudiciorum mentis nostrae duo genera reperiri: alia, quae subiecto tribuunt praedicatum in eius notione involutum; alia, quae subiecto copulant praedicatum extra eius notionem positum. Prima, utpote quae notione subiecti explicanda et veluti dividenda proferuntur, appellavit *analytica* vel etiam *explicativa;* eorumque hoc profert exemplum: *Corpora sunt extensa.* Altera, quippe praedicatum non ex subiecti notione eruunt, sed eidem veluti quid accedens adnectunt, *synthetica* vel etiam *extensiva* nominavit; ut si enunties: *Omne corpus est grave.* Iam vero posteriora haec subdividenda censuit in *iudicia synthetica a posteriori,* et *in iudicia synthetica a priori.* Illa dixit, quae experientia nituntur; altera, quae non in experientia fundantur, sed ex ipso animo profluunt sponte sua, vi qua-

(1) *Critica Rationis purae,* ex versione Gottlob Born.

rumdam formarum, menti inhaerentium. Exemplum affert: *Quidquid fit, causam habeat opus est.* Quod effatum non esse analyticum inde probat, quod notio *effectus*, conceptum *causae* non includat. Non esse vero syntheticum a posteriori propterea dicit, quia non modo universalitate, quae omnem excedat experientiam, verum etiam absoluta necessitate ornatur. Erit igitur generis cuiusdam tertii, ad quod quae pertinent, ea licebit *synthetica a priori* nuncupare. In his autem situm esse dicit scopum ac finem speculationis nostrae; cum ex ipsis scientia illa procedat, quae cognitione proprie dicta mentem amplificat.

Sic ille suam de iudiciis doctrinam sancit; ad quam confirmandam varia promit exempla, quibus totidem iudicia *synthetica a priori* contineri existimat (1).

PROPOSITIONES

234. Propositio 1.ª *Kantii iudicia synthetica a priori, naturae mentis humanae repugnant.*

Prob. Mens nostra cum cognoscendi vi constet, nequit ulli assentiri obiecto, quod nec in se nec alio contuetur. Itemque, cum eius actus omnis, obiectum cognitione attingens, in perspiciendo sit positus; iudicium proferre non potest, nisi rem ita se habere acie sua deprehendat. Quocirca, ubi non de fide auctoritati praestanda, sed de iudicio agitur spectante ad scientiam; necesse est, ut mens ad assensum trahatur ab aliquo motivo aut ratione, obiectum intrinsecus afficiente. Atqui in iudiciis hisce kantianis nullum menti obversaretur motivum, nullaque obiectiva ratio, quae mentem ad assensum flecteret; siquidem nec evidenti idearum nexu, nec percepta

(1) *Critica Rationis purae.* Instit. V. Theoriam hanc derivasse videtur Kant ex Reid eiusque schola, *instinctum* quemdam, ex quo iudicia sensus naturae communis fluerent, adstruente. Ea enim, ut alias vidimus, iudicia quaedam sunt caeca, universalia tamen et necessaria, quae neque experientia, neque ratiocinio, neque immediato idearum nexu percipiantur, sed ex fundo ipso rationis emergant. Quae quidem opinatio, ut patet, a Kantiano systemate vix abludit. Quare mirandi plane sunt ii, qui Kantii quidem iudicia synthetica a priori reiiciunt; sensum tamen naturae communem, Reidiano ritu explicatum, probant.

experientia, nec ratiocinatione legitima niterentur. Ergo iudicia eiusmodi naturae mentis humanae adversantur.

Itemque in kantiana opinione mens nostra obiecto assentiretur, quod non videt. Nam nexum inter praedicatum et subiectum, qui esse deberet obiectum iudicii quod profertur, neque in experientiae regione lustrata, neque in mutua relatione conceptuum, neque in ratiocinii deductione conspiceret. Esset igitur actus eius omni luce privatus et, ut ita dicam, irrationalis; qui proinde ex fundo rationis contra ipsius rationis naturam dimanaret, quo certe nihil absurdius fingi potest.

Praeterea ex eiusdem Kantii verbis haec opinatio refelli potest. Is enim statuit mentem in eiusmodi syntheticis iudiciis proferendis, eorum absolutam necessitatem pronuntiare. At vero pronuntiatio mentis cum ipsa intuitione confunditur. Ergo mens necessitatem horum iudiciorum absolutam contuetur. Sed iudicia, quorum necessitas mente conspicitur, sunt analytica. Ergo, nisi Kant secum ipse pugnet, fateri cogitur iudicia, quae *synthetica a priori* nominat, in classe analyticorum haberi. Nec vero exemplum pronuntiati illius: *Quidquid fit, causam habet,* Kantio quidquam suffragatur. Cordatus enim quisque perspicit iudicium eiusmodi in analyticis esse; quandoquidem in ipso, ad notionem praedicati subiecto tribuendam, opus non est conceptum subiecti egredi ac deserere. Et re sane vera, quid aliud sibi vult *eius quod fit,* seu *effectus,* notio, nisi quod realitas aliqua antea non exsistens exstare incipiat, atque (quod idem sonat) exsistentiam suam ab alio mutuetur? Nequit enim aliquid recipere quidpiam, quin id ab aliquo tribuatur; cum nihilum nihil det. Ex notione igitur effectus evolvitur notio exigentiae cuiusdam causae, quae illi exsistentiam tribuat. Ergo in *principio causalitatis* ex notione subiecti evolvitur notio praedicati; quod per ipsum Kant proprium est iudiciorum analyticorum.

235. Propositio 2.ª *Exempla, quae Kant adducit, non solum ipsi non favent, sed potius contrarium evincunt.*

Prob. Ut plenius Kant refuteter, optimum erit exempla etiam, quae ex singulis promit scientiis, in examen adducere. Is igitur in primis asserit mathesim puram in iudiciis syntheticis a priori totam versari; producitque exemplum pro

Arithmetica effatum hoc: *Quinque plus septem aequant duodecim;* quod iudicium dicit non esse empiricum, quippe quod notitiam omnino necessariam contineat; nec esse analyticum; quia numeri duodeni conceptus non ideo mente formatur, quod septenos quinosque simul iunctos cogitamus, sed quia externi signi adminiculo (ex. gr. digitorum aut punctorum) quinarii unitates pedetentim septenario adiicimus. Pro Geometria vero profert pronuntiatum: *Linea recta est brevissima omnium linearum, quae inter duo data puncta duci possint.* Hoc non esse iudicium analyticum inde probat, quod e conceptu *recti,* qui ad qualitatem pertinet, elici nequit notio *brevitatis,* quae spectat ad quantitatem: proindeque etiam hic opus esse ait visione aliqua, quae rei conceptum iuvet. Deinde asserit Physicae etiam, ipsique Metaphysicae iudicia inesse synthetica a priori; exemplaque affert in physicis duo haec pronuntiata: *In omnibus mutationibus mundi corporei eadem manet materiae quantitas;* et, *In quovis motu communicando actio et reactio est semper aequalis;* in metaphysicis vero positionem hanc: *Mundus aliquando primordia cepit* (1).

Verum enimvero, pace hominis peracuti, haec admodum futilia sunt, et non tam ad ratiocinandum, quam ad cavillandum excogitata. Ad primum enim quod attinet, summa illa: $7 + 5 = 12$, iudicium aperte complectitur analyticum. Patenter enim uterque eius terminus eandem ideam continet, nempe unitatem bis et decies assumptam, etsi diversa relatione diversoque signo exhibitam. Et sane ibi subiectum nihil est aliud nisi praedicatum in duo elementa resolutum; siquidem *septem* et *quinque* non aliud sunt, nisi partes numeri *duodecim.* At iuxta ipsum Kant iudicium est analyticum, quotiescumque aut praedicatum enascitur ex resolutione subiecti, aut viceversa subiectum ex resolutione praedicati. Idem dic de aliis quibusque summis. Nec hilum officit, quod interdum, in maioribus praesertim numeris supputandis, ad externa signa confugere opus sit, ex. gr. ad digitos vel scriptionem. Id enim non assumitur, ut ad pronuntiati veritatem quidpiam conferat, sed ut memoriae subveniat, sistatque phantasiam, ne hac illac dispergatur. Agitur enim

(1) *Critica Rationis purae.* Instit. V.

de ideis iis inter se comparandis, quae admodum complexae sunt, quaeque idcirco exigunt ad unitatem aliquam expressionis adduci, atque externis affigi signis, ne intellectum confundant, aut ne memoria labantur. Quare id omne, quod hinc capitur adiumenti, non ipsum iudicium spectat, sed idearum conferendarum distinctam intelligentiam; ad quam statim ac mens pervenit, iudicium profert propter nexum in illis evidenter perspectum.

Idem fere dicendum est de exemplo geometrico: *Linea recta est brevissima omnium, quae inter duo data puncta duci possunt.* Propterea enim quis ad hoc percipiendum visione aliqua externa quandoque utitur, ut facilius intelligat qualitatem idearum mutuo conferendarum; quae, cum circa quantitatem versentur, sensilibus repraesentationibus valde iuvantur. At notio maximae brevitatis ex ipso lineae rectae conceptu evidenter elicitur. Cum enim linea recta, aequaliter inter extrema puncta extendatur; quisque videt eam breviorem esse curvis omnibus, quae iisdem terminis continentur. Illa enim tantundem spatii decurrit, quantum praecise inter data puncta intercipitur. At contra ceterae lineae, quae rectae non sunt, flexuosum pergunt iter, atque aut hinc vel inde subsultant, aut alia quavis ratione deflectunt. Quapropter magis extenduntur punctaque plura percurrunt, quam quae duo data extrema interiacent. Quod autem Kant adiungit non posse *brevitatem* ex notione *recti* deduci, propterea quia illa spectat ad quantitatem, haec vero ad qualitatem; sophisma est plane putum. Non enim ex conceptu *recti*, sed *lineae rectae* praedicatum illud eruitur; linea autem recta quantitas est tali *modo* affecta, quo ab illis, quae rectae non sunt, distinguitur. Hic autem *modus* nec *quantitas*, nec *qualitas* dici proprie potest, sed quantitatis *differentia*. Nihil autem vetat, immo necessarium est, ut diversa attributa ex diversis rebus in tantum emergant, in quantum hae differentiis sibi propriis determinantur.

Cetera vero exempla, quae profert, nihil moramur; sat enim elucet ea iudicia aut experientia aut immediata relatione idearum aut ratiocinatione praeberi. Sic pronuntiatum illud: *In motu communicando actio et reactio sunt aequales*, ex inductione et experientia esse collectum vel leviter eruditi norunt. Decretum vero alterum: *Mundus aliquando pri-*

mordia cepit, non in principiis, sed in illationibus ratiocinatione deductis continetur. Tertium denique: *In omni mutatione corporea eadem manet materiae quantitas,* derivatur ex ipsa mutationis notione, quatenus ab annihilatione distinguitur. Si enim in mutationibus corporeis, quae actione fiunt efficientium creatorum, nil uspiam in nihilum redigi potest (ad hoc enim virtus infinita requiritur); subiectum harum mutationum, nempe materia, nunquam vi earum perit nec aliqua sui parte vel quantitate destituitur.

Ergo Kantianum commentum non solum naturae mentis nostrae repugnat, sed etiam omni probabili ratione caret. Quare, ut male materiatum aedificium, mole ipsa ruit sua.

ARTICULUS V.

Humii de principiis experimentalibus doctrina reiicitur.

236. Ut Kant excessu, sic Hume defectu nobis adversatur. Nam acer hic scepticismi instaurator concedit sane axiomatum experimentalium, quatenus ad similes effectus ex similibus causis expectandos se protendunt, internam in mente hominum persuasionem; at fundamentum ex obiecto desumptum, seu obiectivam eorundem certitudinem, vehementer negat. Ait enim, experientiam, qua haec iudicia nituntur, quaeque iunctionem subiectum inter et attributum eorum aperit, vim nullam habere; nisi quoad illa individua, quae iam explorata sunt. Ad alia vero, quae nondum experti sumus, illorum veritas produci non potest, nisi animo praesumatur hoc principium: *Trasacto futurum erit consimile.* Atqui id firmum non esse dicit; propterea quod neque immediata relatione idearum, neque experientia fulcitur. Non relatione idearum; quia nulla est repugnantia, quod futurum transacto sit absimile. Non experientia; quia futurum nondum accidit, ac proinde nondum experientiae potuit esse subiectum. Hinc, sceptica solutione utens, ex *more et consuetudine* tantum repetit internam animi persuasionem, qua veritatibus illis adhaeremus. Haec ad summam Humii ratiocinatio est,

qua exiomatum experimentalium ac ratiocinationum, quae inde procedunt, firmitatem evertere nititur (1).

237. Verum haec sceptici hominis conamina contra veritates, quae ad vitam hominis alendam tuendamque tam sunt necessariae, prudentiores acutioresque philosophi diligenter propulsare studuerunt. Thomas Reid, qui, ad Humii scepticismum vitandum, sensus communis adscivit adminiculum, iuxta ea principia, quae sectatur, fundamentum et robur similitudinis inter futurum et transactum comperire ratus est in caeco quodam naturae instinctu, nos vi quadam ineluctabili ad ita iudicandum incitante (2).

Galluppius contra existimavit similitudinem inter futurum et praeteritum vi experientiae certam haberi, atqué ideo effatum illud *futurum transacto simile erit* empiricam esse veritatem (3). Quam sententiam sic nititur persuadere: Quoad longissime mens nostra respicit spatium praeteriti temporis; haud dubium est, quin consciat se constanter consimiles effectus a similibus causis expertam fuisse. Unde in continuata serie annorum, qui praeteriere, naturae cursus semper sibi uniformis et constans apparuit. At vero totum hoc tempus, quamquam praeteritum sit respectu praesentis, tamen fuit futurum respectu primi instantis, ex quo exordium cepit. Ergo, cum in toto eius decursu eventuum similitudinem mens

(1) *Essais Philosoph. sur l'entendement humain*, t. I, Essai IV et V.

(2) Eius haec sunt verba: « Constitutio ipsa naturae instinctu quodam nos adducit ad tribuendas toti speciei qualitates, quas in individuis experti sumus. Vi instinctus huius nos citissime scimus ignem comburere, aquam refrigerare, corpora decidere, panem nutrire. » Et clarius etiam sub eiusdem capitis initium: « Dum naturam in diversis suarum productionum generibus easdem externas qualitates multitudini individuorum impartientem contuemur; certo ferimur instinctu, qui experientiam praeit, ad credendum individua illa similia etiam fore quoad qualitates eas, quae minus apparent, quaeque nondum nobis compertae sunt. Sic infans, cui semel incidit digitum lucerna comburi, timet ne dolor redeat, si lucernae alteri aut flammae cuivis iterum manum admoveat; et quod consequens est, is vim comburendi toti speciei flammarum tribuit. Inductio istaec, quae ex ratiocinatione non proficiscitur. quamque ratam non facit ratiocinatio, etc. » *Oeuvres complet.* t. 4. *Essais sur les facult. de l'esprit humain*, Essai V, chap. IV. trad. par Jouffroy.

(3) *Lezioni di Log. e Met.* tom. I, lez. 32.

deprehenderit, similitudo inter futurum et transactum experimento fuit obnoxia. Veritas itaque experimentalis dicenda est, totaque Humii ruit ratiocinatio.

Quid vero de his dicendum sit, et quomodo Humii cavillatio dissolvatur, tribus propositionibus aperiam.

PROPOSITIONES

238. Propositio 1.ª *Similitudo inter transactum et futurum nequit fundari in instinctu a Reid adstructo,*

Prob. Quamquam animo inest naturalis ad recte vereque iudicandum determinatio, quae instinctus dici potest; haec tamen est tantum subiectiva conditio, non fundamentum cui mens innititur in iudiciis proferendis. Secus enim iudicia mentis essent caeca, ratione destituta et prorsus repugnantia naturae intellectus, qui semper motivo aliquo obiectivo adduci ad assentiendum debet. In summa, si reidiana opinio admitteretur, renovarentur iudicia synthetica a priori kantiana, superius explosa. Ergo impossibile est ut principia experimentalia, quoad similitudinem inter transactum et futurum, fundentur in instinctu a Reid adstructo.

Nec exemplum, quod ipse ducit ab infantibus, demonstrat aliquid. Fatemur enim eos sine ratiocinatione moveri ad expectandos similes effectus a consimilibus causis. At ipsi tunc non ut rationales operantur, sed instinctu tantum feruntur, imaginationem consequente, propter *meram associationem phantasmatum,* quae in brutis etiam reperitur. Quaestio autem nostra non vertitur in hoc: utrum, dum sola imaginatione operamur, possimus instinctive eadem expectare phaenomena, iisdem causis apprehensis. Sed quaestio versatur in hoc: quodnam sit fundamentum quo nititur et fons unde fluit nostra rationalis persuasio et certum iudicium mentis, quando prout ratione praediti operamur. Hanc investigationem omittere et ad instinctum confugere, idem prorsus est ac vel extra controversiam evagari vel hominem destituere rationali certitudine, qua ornatur.

239. Propositio 2.ª *Similitudo inter transactum et futurum nequit fundari in sola experientia.*

Prob. Cum dicitur similitudo inter transactum et futurum fundari in sola experientia, id intelligi posset vel ad instar

veritatis immediatae vel ad instar veritatis deductae. Neutrum defendi potest. Non primum; quia, etsi experientia transacta ostenderit similitudinem inter aliqua praeterita et aliqua futura, tamen utrum haec similitudo etiam in posterum permansura sit, reapse non dicit nec unquam dictura est: experientia siquidem non respicit nisi praesens. Reponere autem posset Humius (ut revera reponit, solutionem Galluppii quasi praesentiens) se nomine futuri nonnisi eventa illa praecise comprehendere quae nondum acciderunt; quorum similitudo cum aliis, quae praeteriere, certe nondum experientiae obnoxia fuit (1). Quomodo igitur huiusmodi similitudo haberi poterit ut veritas experimentalis, immediate percepta?

Sed nec alterum dici potest, nimirum huiusmodi similitudinem fundari in sola experientia, tamquam veritatem deductam. Nam illatio nequit esse amplior, quam praemissa. Iam vero similitudo inter transactum et futurum, quae affirmatur in principiis experimentalibus, est universalis; experientia contra, utcumque dilatetur, est semper particularis. Nullo igitur pacto ex hac sola poterit illa deduci.

240. Propositio 3.ª *Similitudo inter transactum et futurum ita fundatur in experientia, ut, ea praesupposita, inferatur ex aliquo principio rationali.*

Prob. In primis observo non satis accurate dici principia experimentalia praesumere similitudinem inter transactum et futurum. Nam similitudo haec potius deducitur ex universalitate principii experimentalis antea constabilita, vel etiam, si lubet, cum ipsa confunditur. Sic ex. gr. ex hoc principio: *Omnis ignis adurit,* iure infertur stuppam combustum iri, si igni admoveatur, seu futurum in hoc genere phaenomenorum simile fore transacto. Idem dic de ceteris exemplis, quae afferri possent. Ex quibus sine dubio apparet similitudinem inter futurum et transactum corollarium esse principiorum experimentalium, quatenus in sua generalitate casus etiam respiciunt qui nondum evenere. Unde pronuntiata experimentalia, prout ad phaenomena nondum praesentia se porrigunt, non subaudiunt, sed inferunt similitudinem futuri cum transacto.

(1) Loco supra citato, p. I, c. 3, art. 4.

His positis, recolatur doctrina, quam pro iudiciis syntheticis ad universalitatem evehendis in superioribus articulis huius capitis explicavimus (1). Ibi enim evidenter ostendimus principia experimentalia formari non sola experientia sed superventu principii causalitatis vel rationis sufficientis; vi cuius detegimus quod causa phaenomeni pluries observati sit vel rei natura vel lex a Deo in rebus constabilita. Ubi id deteximus, procul dubio similitudo futuri cum transacto sponte sua fluit ex alterutro horum principiorum: *Causa naturalis eosdem semper producit effectus; Leges naturae sunt constantes;* quibus principiis ipsa universalitas axiomatum experimentalium innititur. Et sane futurum, quod simile transacto praedicitur, vel situm est in effectibus, qui a consimilibus causis necessario agentibus expectantur (2), ut: *Aqua etiam posthac refrigerabit;* vel situm est in permansione constanti alicuius ordinis, quo mundi machina gubernatur, ut: *Cras iterum orietur sol; lapides non suffulti decident.*

Iam vero si de primo genere sermo est, iudicium eiusmodi sic efformari videtur: Postquam iterata experientia compertum est aliquem effectum ex determinata causa progigni constanter, continuo mens vi principii causalitatis iudicat illum neque ex fortuitis rei adiunctis, quae iugiter variantur, neque ex individualibus differentiis, quae pro singulorum varietate in singulis diversae sunt, procedere. Effectus enim constans, perpetuus, immobilis, causam exigit, quae item constans sit, perpetua, immobilis; secus daretur effectus maior causa, vel, aliis verbis, daretur effectus sine causa. Ergo causa horum effectuum necessario ipsa erit natura, quae individuis omnibus communis est. At vero eaedem causae physicae, seu naturales, eosdem semper producunt effectus; nam sunt causae necessariae, et *causae necessariae, nisi Deus*

(1) Confer primum articulum, paragrapho 213; et propositionem quartam articuli secundi.

(2) Hoc dicimus, quia si causae sunt libertate fruentes, illo non continentur effato: *futurum erit simile transacto.* Hae namque propter vim liberam pro libito se determinant; atque ideo sub iisdem rerum adiunctis possunt contraria operari, quemadmodum in Psychologia demonstrabimus.

impediat, necessario operantur. Ergo cum posthac eiusdem speciei individua occurrent (quae externis qualitatibus facile dignoscuntur) similis erit expectandus effectus.

Sin vero sermo erit de altero phaenomenorum genere, in eo mens sic ratiocinari videtur: Iugis experientia hactenus docuit solem constanter confectos iterare cursus, et lapides deorsum tendere. Id ergo non fortuitus quidam eventus, sed lex quaedam naturae est. At leges naturae sunt stabiles; nam a Deo procedunt, sapientia sua mundum administrante, et sapientia administrationis stabilitatem exigit. Ergo, nisi Deus in casu particulari praeter ordinem operari velit, sol statis temporibus posthac pariter orietur; lapides, qui nondum explorati sunt, deorsum etiam tendent; seu, aliis verbis, futurum simile erit transacto. Idem dicatur de reliquis.

241. Ex indagine, quam instituimus, apparet iudicium illud, *futurum simile erit transacto,* aliter niti duobus principiis, quae supra dixi, si in *abstracto* spectetur, et aliter si consideretur in *concreto.* In abstracto enim independens omnino est ab experientia, et per ratiocinium *purum*, ut aiunt, ex illis derivatur. Cum enim generatim asseritur debere in natura futurum assimilari transacto, nullae praemissae experimentales, sed rationales tantum adhibentur. Sic enim ex. gr. ratiocinamur: Administratio mundi sapiens esse debet; atqui sapientia exigit ordinem et constantiam; ergo leges, quibus mundus administratur, debent esse constantes; ergo futurum, quod in permansione ordinis consistit, transacto respondeat opus est. Aut similiter: Causa necessaria necessarium ordinem habet ad effectum; ergo si haec cursum suae naturae sequi permittitur, effectum, conditionibus positis, certo progignet; ergo futurum, quod in effectibus a necessariis causis oriundis positum est, transacto secundum ordinarium naturae cursum assimilabitur. Quapropter effatum istud absolute et in abstracto prolatum rationale est prorsus et certitudinis metaphysicae. Verum non ita est, cum similitudo illa sumitur in concreto, prout nimirum in quolibet rerum ambitu locum habet et peculiares rerum respicit ordines; ut si ex. gr. dicas: *Dies in posterum erunt eiusdem durationis, Quaelibet aqua refrigerabit;* atque alia generis eiusdem. Tunc enim in applicatione ipsa pendet ab experientia; quae per iteratam observationem nos docuit rem illam, ex. gr.

aquam, esse causam necessariam refrigerationis; mensuram diei non esse fortuitum aliquod, sed, in ordine, quo Deus mundum administrat, contineri; atque idem dic de reliquis. Quare, dum in applicatione effatum illud sumitur, non in iudiciorum analyticorum, sed in axiomatum experimentalium numero habendum est et physicam non excedit certitudinem. Praesertim si observetur quod similitudo, de qua agitur, in applicatione ad singulos rerum ordines, semper conditionem subaudit, *modo Deus legibus consuetis in aliquo casu non deroget.* Quae conditio certitudinem illorum axiomatum (quae physica est) non infirmat, sed possibilitatem dumtaxat miraculorum importat.

CAPUT SEXTUM

DE SCIENTIA.

242. Nomen scientiae multifariam sumitur. Quandoque enim opponitur fidei, aut etiam opinioni, et generatim significat quamlibet notitiam certam et evidentem, sive sit rei per se notae, sive per demonstrationem deductae. Quandoque vero ad hanc secundam dumtaxat significandam restringitur, nempe ad rei notitiam, quae ex aliis ratiocinando derivetur. Et quoniam, ratione ordinis, notitiae huiusmodi, quae demonstratione acquiruntur, in varias classes distribui solent; nomen scientiae saepe usurpatur ad integrum systema notionum denotandum, prout sub principiis, a quibus procedunt, ordinantur. Denique accipitur etiam nomen scientiae ad innuendum habitum, qui mentem ad huiusmodi cognitiones eliciendas inclinat. Nos hoc loco, prima significatione relicta, tres posteriores retinemus.

ARTICULUS I.

De praecipuis scientiae differentiis.

243. Ut ex dictis patet, scientia, prout cognitionem significat aliunde derivatam, effectus est ratiocinii, et definiri potest: *Cognitio certa et evidens, per demonstrationem com-*

parata. Eam dari in nobis tam certum est, quam certum est dari ratiocinationem. Causa autem cur hoc genere cognitionis donemur, ut saepe diximus, in eo ponitur, quod intellectus noster nonnisi gradibus in rerum notitiam venit, nec illico, cognitis principiis, omnia, quae iis continentur, intuetur. Hinc opus habet collatione mutua veritatum et applicatione principiorum per se evidentium ad determinatas materias, ut exinde discursu quodlam novas cognitiones eliciat.

PROPOSITIONES

244. Propositio 1.ª *Mens duplici via scientiam acquirit, inventione et disciplina.*

Prob. Ut mens novas notitias ex principiis per se notis depromat, non indiget nisi ut eadem principia subiectis quibusdam peculiaribus applicet, quorum vel memoriam retinet vel actu experimentum sumit. Id autem vel proprio marte perficit, vel ductu alterius doctioris. Si primum, habetur inventio; sin alterum, disciplina. Ergo duplici via: inventione et disciplina, mens scientiam assequitur. Ad rem S. Thomas: « Sicut aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturae tantum, alio modo a natura cum adminiculo medicinae; ita etiam duplex est modus acquirendi scientiam: unus, quando ratio naturalis per seipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius, quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina (1). »

Adverte tamen scientiam tunc quoque, cum secundo hoc modo acquiritur, ex interno lumine naturae procedere. Vi enim huius percipitur nexus illationis cum principiis; haec autem perceptio scientiam praebet. Sicut pharmaca, quae ministrantur a medico, non tribuunt naturae vim medendi, sed tantum vires suas subiecto applicant, ut hoc bene disponatur et influxui naturae recipiendo aptum fiat; ita doctor non vim intelligendi largitur aut auget, sed tantum mentem excitat et dirigit tum proponendo materiam, cui discipulus admoveat lucem principiorum, qua gaudet, tum indicando ordinem, quo principia disponi debent ut illationem patefaciant (2).

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De Magistro*, art. 1.

(2) Vide S. Th. quaest. *De Magistro*, et *Summa th.* I. p. q. 117, art. 1.

245. Propositio 2.ª *Scientia perfecta illa est, quae rem explicat per causam, aut rationem sufficientem.*

Prob. Scientia illa perfecta est, quae inducit cognitionem perfectam. Atqui cognitio perfecta requirit ut res repraesentetur intellectui, eo modo quo est in se, ita ut ordo idealis plene respondeat ordini reali. Res autem in se est vi suarum causarum, aut rationum sufficientium. Ergo nisi per has cognoscatur, res non sistitur intellectui eo modo quo est, ac proinde non perfecte cognoscitur (1).

Praeterea scientia illa perfecta est, quae plene explet propensionem mentis. Atqui mens cupidissime fertur in cognitionem causarum vel rationum sufficientium; et donec ad has perveniat, nunquam ab inquirendo desistit. Ergo cognitio perfecta rei non habetur, nisi cognoscantur eius causae aut rationes sufficientes.

246. Propositio 3.ª *Scientia specificatur ab obiecto, prout subest principiis vi quorum innotescit.*

Prob. Actus sciendi est quidam motus rationis, quo ex principiis per se notis proceditur in obiectum. Sed motus quilibet specificatur a termino, prout respondet initio. Ergo actus, qui scientiam constituit, specificatur ab obiecto prout respondet principiis, seu prout subest eorum lumini.

Praeterea, scientia est quaedam cognitio. Sed omnis cognitio specificatur ab obiecto formali, seu a ratione sub qua obiectum attingitur. Ergo idem dicendum est de scientia. Sed ratio, sub qua obiectum scientiae attingitur, est quatenus obiectum illud subest luci principiorum, quorum ope menti innotescit. Ergo etc. Apposite S. Thomas: « Sicut ratio formalis visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur; ita ratio formalis scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam; quia non erunt iam diversa, in quantum sunt scibilia. Sunt enim per

(1) De industria diximus causam vel rationem sufficientem; quia, si res non habet causam, ut est Deus, tunc cognitio perfecta non aliud exigit nisi ut res cognoscatur per rationem, vi cuius est. Sic, cum Deus sit per propriam essentiam, cognitio perfecta Dei illa est, quae habetur per eius essentiam.

sua principia scibilia. Sicut patet quod voces humanae multum differunt secundum suam naturam a sonis inanimatorum corporum; sed quia secundum eadem principia attenditur consonantia in vocibus humanis et sonis inanimatorum corporum, eadem est scientia musicae, quae de utrisque considerat (1). »

247. Propositio 4.ª *Scientia, inspecto fine, ad quem tendit, potest esse speculativa vel practica.*

Prob. Notitia, quae scientiam constituit, potest esse talis, ut per se non afferat nisi contemplationem alicuius veritatis, ut ex. gr. *Deus est immensus;* vel potest esse talis, ut ipsam contemplationem veritatis referat ad operationem, quemadmodum: *Faciendum non est aliis, quod nobis fieri nolumus.* In primo casu scientia pro fine habet solam contemplationem, in ea enim immediate sistit, ac proinde appellatur speculativa; in secundo casu pro fine habet operationem, quam ultimo respicit, et appellatur practica. Ergo inspecto fine, ad quem scientia natura sua tendit, in speculativam dividitur et practicam.

Praeterea, scientia ordinatur ad perfectionem subiecti. At subiectum perficitur vel mera notitia, vel operatione, quae ex notitia consequitur. Ergo, inspecto fine, ad quem scientia ordinatur, ea optime dividitur in speculativam et practicam.

248. Hinc intelligis dictum illud: *Intellectus speculativus nonnisi fine differt a practico.* Alter enim rei notitiam pro termino habet, alter vero opus, ad quod ipsam notitiam dirigit. Ex quo sequitur aliud effatum: *Intellectus speculativus extensione fit practicus.* Nam transitus ex scientia speculativa ad practicam in hoc situs est, quod mens postquam obiectum contemplata fuerit, in ea contemplatione non conquiescat, sed se ulterius promoveat ad considerandum respectum aliquem, sub quo obiectum ad operationem alliciat. Sic ex consideratione divinarum perfectionum, quae ad Metaphysicam pertinet, procedimus ad considerandum Deum prout exemplar est, cui, quoad possumus, assimilemur; et gradum facimus ad Moralem. Sic etiam consideratio viventis, quae ad Physiologiam spectat, si extendatur ad modum considerandum, quo eius organismus ordinatis functionibus

(1) In 1. *Posteriorum,* lect. 1.

restitui possit, a quibus forte distractus est, generat Medicinam. Ad rem Clemens Alexandrinus: « Veritatis alia quidem est pars, quae versatur in cognitione; alia vero in actione, profluxit autem a contemplatione (1). »

Solvuntur difficultates.

249. *Obiic.* I. contra primam propositionem: Si scientia acquireretur inventione, mens gigneret veritatem. Atqui veritas gigni nequit; est enim aeterna. Ergo scientia non acquiritur, nisi tantum disciplina.

R. *Dist. mai:* Mens gigneret veritatem subiectivam, *transeat;* obiectivam, *nego.* Et eodem modo *contradist. min:* Veritas obiectiva gigni nequit, *conc;* subiectiva, *nego.* Ad rationem additam item *dist:* Veritas aeterna est in mente divina, *conc;* in mente nostra, *subdist:* veritas subiectiva, *nego;* obiectiva, *iterum dist:* aeterna est positive, *nego;* negative, *concedo.*

Alia est veritas subiectiva, alia veritas obiectiva. Subiectiva est consensio conceptus cum obiecto, seu in concreto est ipse conceptus conformis obiecto. Haec utique produci potest et reapse producitur a mente, cuius est actus. Quod tamen non omnino concessimus; quia non a sola mente producitur, sed a mente simul et obiecto. Nam mens actum determinatum elicere nequit, sine influxu obiecti, quod ipsam inflectat ad hunc actum potius quam alium eliciendum. Quare necessaria est species impressa, ab obiecto proveniens, quae sit quasi semen quo mens fecundetur ad rei determinatae notitiam concipiendam et veluti pariendam. Quomodo autem id contingat, et quid requiratur ex parte ipsius mentis ut effectus hic habeatur; non huius loci quaestio est sed ideologiae, ad quam de origine idearum disserere pertinet. In praesenti scire sufficiat, neutiquam repugnare ut veritas subiectiva, seu conceptus obiecto consonans producatur.

Non ita est de veritate obiectiva. Haec enim non est actus mentis, sed est id quod actui mentis relucet; ac proinde non producitur sed detegitur. Ubi autem detegatur non opus est, ut hic explicetur, cum id quoque ad ideologiam spectet.

(1) *Stromatum,* 6.

Nihilominus ut aliquid iam nunc innuatur, dicimus huiusmodi veritatem obiectivam, in praesenti vitae statu, detegi a nobis in rebus creatis; quae iudiciis etiam rationalibus fundamentum praebent, non in quantum considerantur quoad contingentiam et concretionem exsistentiae, sed in quantum considerantur quoad necessitatem vel essentiae, vel saltem relationum, quae, supposita etiam contingenti exsistentia, necessario consequuntur. Ut enim scite observat S. Thomas, *nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat. Sicut hoc ipsum, quod est Sortem currere, in se quidem contingens est; sed habitudo cursus ad motum est necessaria; necessarium enim est Sortem moveri, si currit* (1). Quoniam vero illa essentia, cum suis necessariis consectariis, absolute a nobis consideratur, abstractione facta a tempore, sicut ab aliis mutabilibus circumstantiis; hinc fit ut veritas obiectiva, prout menti nostrae refulget, aeternitatem praeseferat negativam. In Deo autem, cuius ideae archetypae a sua ipsius essentia et exsistentia non distinguuntur, veritas obiectiva, sicut etiam subiectiva, aeternitatem habet positivam.

Obiic. II. Contra secundam propositionem. Causa est extrinseca effectui. Sed cognitio perfecta repraesentare debet rem quoad constituentia intrinseca. Ergo cognitio per causam non est perfecta.

R. *Dist. mai:* Causa efficiens vel finalis est extrinseca effectui, *conc;* causa formalis aut materialis, *nego.* Ad *minorem* pariter *dist:* Cognitio perfecta debet repraesentare rem quoad constituentia intrinseca tantum, *nego;* etiam, *concedo.* Hinc *nego consequentiam et distinguo consequens:* Cognitio per causam non est perfecta, si nomine causae intelligatur tantum efficiens vel finalis, *transeat;* si intelligitur quodvis principium, a quo res pendet, sive externum sit sive internum, *nego.*

Nomine causae intelligitur quodvis principium, a quo res pendet in suo esse; ac proinde ad quatuor genera reducitur, ad efficientem videlicet, ad finalem, ad formalem et ad materialem. Hae duae ultimae sunt intrinsecae; nam intrinsecus constituunt effectum, ut exempligratia marmor et figura re-

(1) *Summa th.* I. p. q. 86, art. 3.

spectu statuae. Iamvero ut cognitio sit perfecta, debet haberi per omnes causas, e quibus res pendet; atque ideo debet dignosci non solum effector, sed finis etiam propter quem res facta est, et forma, qua constat, et materia, unde coalescit, si substantia sit materialis. Quamvis si plene cognosceretur effector, quatenus effector est totalis et adaequatus, ceterae etiam causae ignorari non possent. Nam illa cognitio importaret etiam notitiam tum finis, ad quem respicit effector, tum formae quam effectui impertit, tum materiae, ex qua illum conflat. Fatemur tamen hanc plenam et undique absolutam cognitionem in praesenti vita non esse possibilem; sed hoc non impedit, quominus eius descriptio fiat; sicut non impeditur geometra a definitione perfecti circuli, licet circulus omnino perfectus in exsistentium numero non inveniatur.

Obiic. III. contra tertiam propositionem. Specificativum rei est illud, per quod res intrinsecus constituitur. Atqui scientia, quae actus est mentis, intrinsecus constituitur per propriam entitatem. Ergo ab hac, non ab obiecto speciem desumit.

R. *Dist. mai:* Specificativum intrinsecum est illud per quod res intrinsecus constituitur, *concedo;* specificativum extrinsecum, *nego. Conc. min;* et *negata consequentia, dist. consequens:* Ergo scientia a propria entitate speciem accipit, tamquam a specificativo intrinseco, *conc;* tamquam a specificativo extrinseco, *nego.*

Quaeque res intrinsecus constituitur in sua specie per propriam entitatem. Unde principium, quod intrinsecus illam entitatem determinat, est eius specificativum intrinsecum; ut anima rationalis respectu hominis. At nos hic quaerimus scientiae specificativum extrinsecum, a cuius influxu ipsa eius entitas intrinseca determinetur. Hoc autem non est, nisi obiectum formaliter consideratum; nam scientia est haec potius quam alia, quia hoc et non aliud obiectum formale respicit. Ratio vero cur hic ad specificativum extrinsecum recurramus (quod in aliis rebus declarandis saepe non fit) ex arctissima relatione procedit, quam scientia, et omnis generatim cognitio, ad obiectum habet. Est enim eius veluti imago et expressio; imago autem et expressio, qua talis est, intelligi nequit, nisi ex ordine ad suum exemplar.

Obiic. IV. contra propositionem quartam. Omnis partitio scientiae debet desumi ex obiecto. Atqui obiectum nequit dici speculativum vel practicum. Ergo nec scientia.

R. *Dist. mai:* Omnis partitio scientiae, consideratae prout est repraesentativa et expressiva rei alicuius, debet desumi ex obiecto, *conc;* omnis partitio scientiae, consideratae sub aliis respectibus, *nego. Transeat minor,* et *nego consequens.*

Scientia considerari potest sub multis respectibus. Sic ratione subiecti dicitur humana vel angelica; ratione modi, quo obtinetur, potest dici innata vel acquisita, et ita de reliquis. Quid igitur vetat ne ratione finis, ad quem spectat, dicatur speculativa vel practica? Transmisi autem *minorem,* quia obiectum etiam suo modo potest dici speculativum vel practicum, quatenus in respectu, sub quo proponitur, refertur mere ad speculationem vel ad praxim. Sic corpus vivum, qua tale, potest dici obiectum speculativum; corpus vivum, qua sanabile, potest dici obiectum practicum. Nec obstat quod hae denominationes primitus competant scientiae. Nam ex scientia optime transferuntur ad obiecta, quemadmodum etiam accidit de aliis denominationibus, quibus appellamus obiectum certum vel incertum, verum aut falsum, licet certitudo proprie pertineat ad statum mentis, et veritas vel falsitas proprie non afficiat nisi iudicium.

ARTICULUS II.

De partitione et coordinatione scientiarum.

250. Sumpta scientia seorsum pro simplici demonstrationis effectu, infinitam multitudinem notionum complectitur. Tot enim in hoc sensu sunt scientiae, quot demonstrationes. At multitudo, nisi ordine instruatur, confusionem gignit. Hinc sapientes omni tempore conati sunt scientias ordinare, seu ad aliquam unitatem reducere, vi cuius diversae notionum classes constituerentur. Qua in re multiplicem regulam sequuti sunt. Alii enim considerationem converterunt ad diversa genera obiectorum, prout realitate differunt; alii ad diversas potentias, quibus in cognitione utimur; alii ad diversas formas, sub quibus veritas nobis offertur.

At S. Thomas pro regula scientiarum partiendarum assumpsit diversum gradum abstractionis, quo res intellectui contemplandae obiiciuntur (1). Huius sententiam ceteris anteponendam ducimus.

PROPOSITIONES

251. Propositio 1.ª *Generalis divisio scientiarum optime desumitur a diverso abstractionis gradu.*

Prob. Generalis divisio actuum alicuius potentiae optime desumitur ex differentia characteris illius, quo obiectum efficitur idoneum ut per se ab illa potentia attingatur. Sed abstractio est ille character, quo obiectum redditur idoneum ut per se attingatur a mente; nam obiectum prout concrete in individuo consideratur, est per se obiectum sensus non intellectus. Ergo divisio generalis scientiarum, prout sub se comprehendunt non modo illationes, sed etiam principia a quibus derivantur, optime desumitur a differentia abstractionis, seu a diverso abstractionis gradu.

Praeterea, scientia est de universalibus, non de singularibus; nam circa singularia versatur historia. At universalia fiunt per abstractionem; et quo altior est abstractio, eo obiectum latius patet. Ergo abstractio efficit obiectum scibile, et huius dotis diversos gradus ingenerat. Atqui scientia optime dividitur iuxta scibilis diversitatem. Ergo optime dividitur iuxta diversum abstractionis gradum.

252. Propositio 2.ª *Inspecto diverso abstractionis gradu, scientia optime dividitur in quinque primarias, nimirum Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem.*

Prob. Inspecto diverso abstractionis gradu, tot scientiae constitui debent, quot sunt ordines diversi scibilium, ex abstractione resultantes. Atqui hi ordines sunt quinque; iisque quinque enumeratae scientiae respondent. Ergo scientia, quoad primariam sui distributionem, in has optime dispescitur. Et sane, primus gradus abstractionis est, ut mens avocetur a sola materia individuali, non autem a materia sensibili; quatenus nimirum pro obiecto sibi proponat ens corpo-

(1) Vide eius opusculum super Boëthium *De Trinitate*.

reum, a singularitate quidem abstractum, attamen sensibilibus mutationibus affectum. Hinc ordo habetur entis sensibiliter mutabilis, cuius speculationis principia experientia sensuum colliguntur. Altior gradus abstrahendi est, ut praecisio fiat etiam a materia sensibili, at non a materia intelligibili; quatenus nimirum consideretur ens corporeum sub sola notione quantitatis, remota omni mutabilitate sensibili. Hinc novus ordo efflorescit, entis nimirum quanti, sive discreti sive continui; cuius contemplationis principia ex varia observatione numerorum vel figurarum imaginatione conceptorum conquiruntur. Hos supergreditur tertius gradus abstractionis, quo praescinditur omnino ab omni materia, et consideratur ens immateriale, sive praecisive sive positive; quatenus nimirum vel spectantur rationes quae etiam extra materiam inveniri possunt, ut notio substantiae, causae, et similium, vel spectantur substantiae materiam a se penitus excludentes, ut animus humanus et maxime Deus. Principia vero propria huius gradus abstractionis mera identitate idearum nituntur. Denique ultimus gradus abstrahendi est ut praescindatur ab ipsa subiecti realitate, et res considerentur reflexe prout in actu animi cognoscitivo vel affectivo subsistunt. Hic ultimus gradus abstractionis necessario in duplicem ordinem distribuitur, prout obiecta ad intellectum vel voluntatem refert, et eorumdem vel idealitatem vel moralitatem considerandam exhibet. Quare inspecto diverso abstractionis gradu, quinque ordines supremi scibilium resultant: ens sensibiliter mutabile, ens quantum, ens immateriale, ens ideale, ens morale; quibus respondent quinque superius enumeratae disciplinae, nimirum Physica, Mathesis, Metaphysica, Logica et Moralis. Ergo in has, generalissima divisione, scientia iure optimo dispartitur, attento diverso abstractionis gradu.

253. Propositio 3.ª *Reliquae omnes scientiae sub quinque supremis enumeratis disciplinis recte ordinantur.*

Prob. Principia, quibus quaevis scientia uti potest, vel colliguntur experientia sensibili, vel consideratione mentali figurarum et numerorum, vel notionibus universalibus a materia abstrahentibus, vel reflexione supra actus mentis in verum dirigendos, vel reflexione supra actus voluntatis dirigendos in bonum. Ergo quaevis scientia nonnisi ex aliqua enumeratarum disciplinarum sua principia derivat. Atqui

disciplina, quae ab altera principia, quibus utitur, desumit, sub ea iure ordinatur. Ergo reliquae omnes scientiae sub quinque enumeratis disciplinis recte ordinantur.

Atque hoc, quod diximus de scientiis, dici potest etiam proportione quadam de artibus. Praecepta enim, quibus artes reguntur, principiis fundantur ad aliquam ex numeratis scientiis pertinentibus.

Solvuntur difficultates.

254. *Obiic.* I. contra primam propositionem. Quae vi naturae divisionem habent, non indigent ut iterum dividantur vi artis. Atqui scientiae divisae sunt vi naturae; nam speciem recipiunt ex obiectis per se diversis. Ergo etc.

R. *Dist mai:* Quae vi naturae divisionem habent definitam et ordinatam, non indigent divisione artis, *transeat;* secus, *nego.* Ad *minorem* item *dist:* Scientiae vi naturae divisae sunt indefinite et sine ordine certo, *conc;* secus, *nego.*

Ut in probatione diximus, multitudo inordinata confusionem generat. At vero si attendatur naturalis divisio, quae est in scientiis ex diversitate singularium rerum, habebitur immensa multitudo sine ullo ordine. Hinc necessarium omnino est, eas in classes aliquas distribuere ope artis. Quamvis, etiamsi haberetur vi naturae perfecta et ordinata divisio, tamen nihil prohiberet, quominus, novo proposito fine, nova divisio inducatur a sapientibus.

Instabis: Ergo sapientes corrigunt naturam?

R. Non corrigunt naturam, sed sequuntur. Natura enim propterea hominem ratione donavit, ut ea uteretur ad plura determinanda, quae ipsa per se non determinavit, sed tantum normas proposuit, quas sectari oporteret. Sic etiam lex moralis non omnia singillatim definit, nec poenas statuit pro quoque delicto infligendas; sed ad hoc natura destinavit publicam auctoritatem in societate instituendam.

Obiic. iterum. Si divisio scientiarum ab arte pendet, erit prorsus arbitraria; ac proinde disputari non poterit quaenam divisio sit praestantior.

R. *Nego assumptum.* Ars pendet quidem a libertate; sed a libertate, quae ratione dirigitur atque eidem obtemperat. Natura autem, etsi divisionem scientiarum ordine determi-

nato per se non fecerit, praebuit tamen fundamentum, quo inniti ratio debet in ea divisione peragenda. Quod quidem fundamentum est diversus et multiplex abstractionis gradus, propter argumenta, quae supra commemoravimus.

Obiic. II. contra secundam propositionem. Illa distributio obiectorum probanda non est. Nam saepe, nemine reprehendente, obiecta, quae per illam assignantur uni scientiae, tractantur ab alia. Sic Psychologia, quae pars est Metaphysicae, agit de corpore humano, quod pertinere deberet ad Physicam; et Logica agit de vocibus, quae certe non sunt entia rationis, sed soni reales.

R. *Nego prorsus.* Ad rationem allatam, *dist:* Saepe obiecta unius scientiae tractantur ab alia per se, tamquam obiectum attributionis, *nego;* tractantur ab alia per accidens, tamquam obiecta attributa, seu propter respectum, quem cum obiecto attributionis habent, *concedo.*

Cum scientiae omnes magnam cognationem habeant inter se, difficile admodum est in praxi, ita singularum terminis contineri, ut ad aliarum obiectum consideratio nunquam excurrat. Nihilominus ne semper putetur haberi hic excursus indebitus, scite observandum est, in quaque scientia distingui posse obiectum *attributionis* et obiectum *attributum.* Nomine obiecti *attributionis* intelligimus obiectum, genere saltem unum, quod primo et per se respiciatur ab aliqua scientia. Nomine obiecti *attributi* intelligimus obiectum, quod ab eadem quidem scientia attingitur, sed secundario et per accidens, nimirum propter aliquem respectum, quo ad obiectum attributionis referatur. Sic ut exemplis utar, ab ipso obiiciente adductis, Psychologia considerat corpus humanum, sed quatenus ad animam, a qua informatur, ordinem habet; et Logica considerat vocabula, sed quatenus sunt signa conceptuum, quos exterius manifestant. Et sane nihil vetat quominus saepe eadem res sub diverso respectu a diversis scientiis attingatur.

Obiic. iterum. Gradus abstractionis sunt plures, quam enumerati. Sic abstractio, qua consideratur ens immateriale *positive,* nimirum quod natura sua excludit materiam, altior est abstractione qua consideratur ens immateriale *praecisive,* nimirum rationes quae communes sunt enti in materia et extra materiam posito; ut notio exsistentiae, substantiae,

vitae, et alia huiusmodi. Ergo adstructa partitio non est admittenda.

R. *Dist. antec:* Gradus abstractionis secundarii sunt plures, *conc;* primarii, *nego.* Ad exemplum vero *dist.* pariter: Abstractio, qua consideratur ens immateriale *positive*, est ita altior, ut constituat diversum gradum abstractionis secundarium, *conc;* primarium, *nego.*

Cum hic agatur de primaria et suprema divisione scientiarum naturalium. non attendi debet quilibet abstractionis gradus, sed ille tantum, qui diversum ordinem scibilium praebeat, et diversum modum cognoscendi requirat. Hoc autem locum habet in quinaria partitione a nobis facta; non autem in exemplo, quod obiectio commemorat. Nam, sive substantias a materia separatas, sive notiones ab ea separabiles contemplamur; semper verum est nos in huiusmodi consideratione evehi oportere supra sensum et imaginationem et solo lumine intellectus perduci.

Obiic. denuo: Gradus abstractionis Logicae non est diversus ab eo, quo Moralis utitur; uterque enim consistit in hoc, quod obiectum consideretur, non secundum esse reale, sed secundum relationem ad actus animi. Ergo saltem ex hac parte non est bona partitio.

R. *Distinguo antecedens:* Gradus abstractionis Logicae non est diversus formaliter ab illo, quo utitur Moralis, *transeat;* non est diversus aequivalenter, *nego.*

Definire nolumus, requiratur necne maior abstractio respectu alterutrius obiecti illarum scientiarum. Sed quidquid sit de hac re, dubitari minime potest ne abstractio ab esse reali, hoc ipso quod obiectum refert ad duplicem adeo diversam facultatem (intellectum nempe et voluntatem) duplicem ordinem scibilium inducat. Non modo enim affert diversissimum aspectum considerandi obiectum, sed etiam principia praebet toto genere differentia. Praeterea novam utrinque superandam difficultatem includit, quae ex una parte nascitur ex reflexione mentis supra proprios actus, ex alia nascitur ex tumultu passionum, iudicia mentis in re morum obnubilantium.

Dices contra propositionem tertiam: Sunt aliquae scientiae mixtae, quae sumunt principia a duabus simplicibus, ut ex.

gr. Astronomia et Mechanica; quae utuntur lumine Mathesis simul et Physicae. Hae sub neutra earum ordinari possunt.

R. Ordinantur sub utraque; ex utraque enim sua principia mutuantur, et utriusque ordinis obiecta participant.

ARTICULUS III.

An detur aliqua scientia cui ceterae omnes subiiciantur.

255. Vidimus in superiore articulo ad quinque primarias scientias, tamquam ad primigenios fontes, reliquas omnes disciplinas revocari. Haec reductio, si bene advertitur, non est qualiscumque subiectio, sed vera subalternatio. Quae sane in eo cernitur, quod obiectum et principia inferioris scientiae in eodem ordine versentur, ac superioris; limitatione tantum adiecta angustioris circuli, in quo spatientur. Nunc investigandum superest num inter ipsas quinque primarias scientias aliqua sit, cui reliquae quatuor et consequenter earum subalternatae subdantur.

PROPOSITIONES

256. Propositio 1.ª *E quinque primariis scientiis nulla est, quae propric alteri subalternetur.*

Prob. Veri nominis subalternatio postulat, ut obiectum scientiae inferioris resultet ex restrictione obiecti superioris; et principiis innitatur ad eumdem ordinem spectantibus. Sic corpus sanabile, quod respicitur a Medicina, ex contractione resultat amplioris obiecti Physicae, quod est generatim ens mutationibus sensibilibus obnoxium; et principia utriusque scientiae aeque ex sensibili experientia colliguntur. Atqui e quinque primariis scientiis enumeratis nulla est, de qua id dici possit respectu alterius. Nam earum quaeque obiectum habet plane diversum; et licet utatur principiis Mataphysicae, tamen his propria principia addit alterius plane ordinis. Ergo nulla e quinque primariis scientiis alteri proprie subalternatur.

257. Propositio 2.ª *Si non agitur de subalternatione, sed de subordinatione latius dicta, scientia, cui ceterae sub-*

sint, potest haberi sub diversa ratione tum Moralis, tum Logica, tum Metaphysica.

Prob. Ad latiorem subordinationem concipiendam sufficit quivis influxus et regimen unius scientiae in aliam. Atqui hoc reapse contingit, sub diversa ratione, de tribus praedictis scientiis respectu aliarum. Ergo hae subordinatione latius dicta subiici illis possunt.

Et sane, Moralis disserit de ultimo fine hominis, ac de prudentia quae ad hunc finem dirigit. At vero ultimus finis regula est omnium finium inferiorum, et prudentia temperare debet omnes actiones humanas, atque ideo ipsam scientiam. Ergo ratione finis scientia moralis praeest omnibus aliis scientiis, in easque influxum quemdam exercet.

Logica speculatur ordinem in actibus rationis generatim ponendum, ut progressus in veritate assequenda tuto habeatur. Ergo ex hac parte legem indicit singulis scientiis, quatenus ratiocinatione et actibus mentis rite ordinatis uti debent.

Postremo, Metaphysica notiones reales communes omnibus entibus contemplatur. Iamvero hae notiones, in quantum sunt reales fundamentum praebent ipsi enti ideali, quod obiectum constituit Logicae; in quantum autem sunt speculativae, substernuntur Morali, cum operatio sit veluti speculationis extensio; in quantum denique sunt universalissimae, implicitae latent in ipso obiecto Physicae et Mathesis. Ergo principia, quae ex notionibus metaphysicis emergunt, aliqua semper ratione influunt in principia aliarum scientiarum, quae idcirco ex hoc capite dominatui Metaphysicae subiiciuntur.

Hinc tres praedictae scientiae ternarium illud exhibent, quod propter principatum in ceteras disciplinas et mutuum influxum singularum partium inter se, magis proprie Philosophiam constituit, ac prae omnibus ad discendum est necessarium.

258. Propositio 3.ª *Absolute tamen in ratione scientiae Metaphysica est, cui reliquae omnes disciplinae naturales subordinantur.*

Prob. In ratione scientiae dominatus illi scientiae competit, cuius obiectum praestantissimum est in ratione scibilis, et cuius principia fundamentum praebent principiis reliquarum. Atqui talis est Metaphysica. Et re quidem vera, obie-

ctum Metaphysicae est ens immateriale praecisive sumptum vel positive. Ergo huiusmodi est, ut maxime recedat a materia; quo autem obiectum aliquod magis recedit a materia, eo magis est scibile et puriore oculo intelligentiae attingitur. Praeterea, inter obiecta Metaphysicae est Deus; qui supremum est obiectorum mentis, et cuius notio necessaria omnino est ad notiones illustrandas et perficiendas omnium aliarum scientiarum.

Nec obiicias, Moralem etiam scientiam respicere Deum, tamquam ultimum finem hominis. Nam in primis notio Dei, quam praebet Moralis, fundatur in notione Dei, quam suppeditat Metaphysica. Deinde, notio Dei, quam praebet Moralis, practica est non speculativa; ac proinde non perficit ceteras scientias, nisi quatenus cum operatione humana colligantur.

Quod vero principia Metaphysicae pro fundamento sint principiis ceterarum scientiarum, manifestissimum est. Nam principia Metaphysicae magna ex parte e notionibus efflorescunt, quae communes sunt omnibus entibus; ac proinde maxima amplitudine et universalitate fruuntur.

259. Propositio 4.ª *In Encyclopedia christiana absolutus primatus spectat ad Theologiam scholasticam, cui proinde ipsa Metaphysica subiacet.*

Prob. Licet in puro ordine naturali suprema scientia sit Metaphysica; tamen, supposito ordine supernaturali ac Fide, altior exsurgit scientia, quae ex principiis revelatis ratiocinatur de Deo ac de omnibus, quae ad Deum referuntur. Haec appellatur Theologia scholastica, ut distinguatur tum a simplici Fide, quae etiam absolute Theologia solet quandoque a SS. Patribus appellari, tum ab ea disciplina quae studio Scripturarum, Conciliorum et Patrum dogmata revelata statuit, atque ideo Theologia positiva nominatur. Porro quod huiusmodi Theologia scholastica supremum gradum sibi vindicet in scientiis, in dubium revocari nequit. Nam non modo versatur circa praestantissimum obiectum, sed etiam lumine utitur altiore, videlicet lumine divinae revelationis, quae maiorem firmitatem praestat assensui, quam quodvis lumen a natura procedens. Scientia autem eo praestantior est, quo est certior, et quo nobiliore lumine idem obiectum attingit.

Nec vero obest quod principia revelata, quibus Theologia haec nititur, evidentia destituantur. Nam in primis hic evi-

dentiae defectus compensatur, cum immenso excessu, a maiori gradu certitudinis, propter auctoritatem Dei, in qua principia illa fundantur. Deinde, saepe principia, quae a revelatione Theologia mutuatur, sunt eiusmodi, ut quoad veritatem, quam continent, lumen naturae non excedant. Tunc eorum evidentia naturalis non expellitur, sed novo robore donatur a divina revelatione, quae adiungitur. Tertio, quando sermo est de principiis, quae vim naturalis luminis prorsus superant, ut est ex. gr. de altissimo Trinitatis mysterio, habetur obiectum omnino transcendens naturam, sub quo respectu Theologia scholastica nequit comparari, nisi cum scientia Beatorum, qui Deum immediate contemplantur. Sed prorsus inepte compararetur cum scientiis naturalibus, quae illi obiecto attingendo impares omnino sunt et extraneae. Quare ex hac parte Theologia scholastica imperfecta quidem est, sed respectu tantum scientiae beatae, quae circa idem obiectum non solum certitudine, sed etiam evidentia perfruitur. At nullo modo dici potest imperfecta respectu scientiarum naturalium, quae ad altissimum illum ordinem veritatis nullo modo se porrigunt.

Denique, in aliis etiam scientiis saepenumero contingit, ut principia nonnulla sumantur tamquam demonstrata in superiori scientia vel experimentis fundentur alias aut alibi institutis; quin tamen id in causa sit cur illae a ratione scientiae deficiant. Sic accidit in scientiis subalternatis, quae sine subalternante quandoque addiscuntur. Sic etiam non raro evenit in disciplinis experimentalibus, quae saepe observationibus nituntur diuturnis et remotis, quae a nobis institutae non sunt, sed fide bona propter testantium auctoritatem suscipiuntur. Iam vero Theologia scientia est subalterna scientiae divinae, ex eaque sua principia mutuatur. Haec igitur supponit esse evidentia in altiore illa scientia, eorumque notitiam accipiens ex revelatione, qua solum in praesenti inniti potest, ad conclusiones evidenter deducendas gradum facit. Sic se habens, etsi ad perfectissimam rationem scientiae non assurgit (haec enim requireret evidentiam omnium principiorum quibus utitur), retinet tamen rationem verae scientiae subalternatae, quae multiplici capite omnes scientias naturalis ordinis antecellit.

CAPUT SEPTIMUM

DE METHODO.

260. Homo initio suae exsistentiae scientia prorsus orbatur, ad eamque pedetentim sibi comparandam observatione, industria, labore, tentamine, discursu eget. Opus est igitur ut non modo aliquod initium motus sui habeat, sed etiam ut operationes, quas deinceps elicit, opportuno ordine donet, quemadmodum finis, seu scientiae, ad quam tendit, adeptio postulat. Hinc methodi notio enascitur. Nam ordinata illa operationum series, seu ordo ipse illis operationibus adhibitus, intuitu finis seu scientiae adipiscendae, methodus nominatur. De hac in praesenti capite tribus articulis eloquemur.

ARTICULUS I.

De analysi et synthesi.

261. Methodi generatim duae sunt species: altera, qua ab universalibus ad particularia procedimus, et ab elementis ad compositum; altera, qua contra a singularibus ad generales veritates, et a composito ad eius partes considerandas regredimur. Harum viarum alterutram homo, dum in rerum notitiam pergit, ineat necesse est. Porro in prima componit; in altera resolvit. Quare a graeco fonte detortis vocibus, processus hic dictus est Analysis, ille Synthesis. Resolvit Analysis, eo quod principia universalia et elementa, ad quae devenit, iis conditionibus liberat, quibus antea coarctabantur. Contra, componit Synthesis, propterea quia, dum ad particularia descendit, notiones generales novis conceptionibus vestit et determinat, elementaque simul iungit, ut compositum inde confletur.

262. Hinc elucet, quae mentis operationes constent analysi, et quaenam synthesi. Nam abstractio, exempli causa, qua vel idea generalis e particularibus velut educitur, vel proprietas remoto subiecto consideratur; inductio, qua enumerandis singularibus veritas universalis colligitur; mutationes algebraicae, quibus quandoque formulae minus late patentes in ge-

neraliores vertuntur, ad analysim pertinent. Contra cum effectus ex causis demonstrantur; cum axiomata singularibus obiectis applicantur; cum denique ratiocinatio instituitur (in qua, ut suo loco dictum est, semper peculiare ex universali deducitur); haud dubium est quin synthesis aliqua adhibeatur.

263. Quapropter nulla est scientia, quae analyticis aut syntheticis mentis operationibus utatur unice, sed necessario utrasque coniungit. Ac sane si scientia non abstractiones sed res sectatur, debet profecto a factis ipsis experientia proficisci et indagatione sagaci eorum rimari conditiones, tum saepe a complexis ad simpliciora procedere pedetentim; ut rerum elementa et leges detegat quibus individua reguntur. Praeterea, sive res, sive abstractas inde ideas contemplemur, progredi certe nequimus, quin obiectum in suas partes tribuamus, et inductione quandoque utamur. Id vero omne ad analysim pertinet. E contrario, quomodo scientia veri nominis haberi potest, nisi notiones, quas complectitur, ordinentur atque ad caput unum, ex quo reliqua dimanent, revocentur; seu, quod idem est, nisi unitatem in multitudine convolvi, et legem generalem individuis applicari monstretur? Quo pacto solidum idearum systema conflabitur, nisi internus notionum nexus et compositi ex simplicibus derivatio ostendatur? Enimvero qui aliter ageret, is tantum disiecta facta colligeret, vel saltem specie tenus connexa, ac turbam sine ordine proferret in medium. Praeterea, qua ratione mens hominis in vero exquirendo procederet, nisi universalia principia et ideas, quibus regitur, identidem obiectis adiungeret et ratiocinatione uteretur, qua, ut vidimus, inductio ipsa fundatur? Haec autem, ut quisque perspicit, ad synthesim spectant.

264. Quae cum ita sint, nomine processus analytici vel synthetici in scientiis non is intelligi debet, qui nunquam componit, aut nunquam dividit (hoc enim, ut diximus, effici nequit); sed ille processus ea voce usurpatur, qui aut speculationem ab iis, quae minus simplicia sunt, auspicatus, gradatim ad universaliora ac simpliciora devenit, in iisdemque sistit cogitatu (ut persaepe in Algebra et sublimiori Calculo cernere est); aut vicissim contemplari incipit simplicia, in quae forte compositum partitus est, ut sic pedetentim rei complexae distinctam acquirat notitiam, atque hanc re-

vera pro fine sibi praestituit; cuiusmodi exemplum illustre Euclidis Geometria exhibet.

265. Solet etiam analysis *inventionis* dici, synthesis vero *doctrinae* methodus. Quod non ita intelligendum est, quasi analysis nunquam in docendo adhibeatur; synthesis vero nunquam ad inveniendum valeat. Experientia enim contrarium aperte ostendit. Sed intelligendum est ita, quatenus in investigando plerumque abundet analysis, in docendo potissimum abundet synthesis. Nam, cum in rerum universitate consideranda nobis per se non pateant nisi individua et composita; qui primum detegere novam veritatem studet, communesque naturae leges causasque rimari; is a concretorum consideratione examen inchoat et quaqua versus rem contemplando diligenter considerat num consimilis aliqua in omnibus ratio aut latens elementum appareat. At contra qui veritatem adeptus, eam cum aliis communicare studet atque aliorum institutioni dat operam; is longiorem illam, qua ipse vagatus est, viam saepe numero omittens, continuo obiectum, de quo agitur, ponens ob oculos illudque, si opus est, evidenti divisione partitus, a partium seu elementorum dilucida explanatione orditur, atque paulatim ad distinctam compositi cognitionem auditores adducit. Ceterum, quod in omni inventione adhibenda sit aliqua synthesis, nemini dubium esse potest; cum inventio non fiat nisi ratiocinando, ratiocinium autem ad synthesim revocetur, siquidem applicatione constat veritatum generalium.

266. Et his facile deduci potest quaenam methodus sit in tradendis scientiis praeligenda. Qua in re duo distinguenda sunt maxime: nimirum singulae quaestiones, quae ad integram aliquam disciplinam pertinent, et earumdem ordinatio et structura, qua in unum quasi corpus conflantur. Etenim si de hac quaeritur, haud dubium est quin synthesis sit adhibenda. Nisi enim in quaestionibus disponendis, quae ad disciplinam pertinent, simpliciora et generaliora prius pertractentur, atque ex illis gradatim ad composita et particularia fiat gradus; nec ordo nec distinctio et nitor idearum in addiscente gignitur, sed potius confusio quaedam et incondita notionum farrago, quae nescio utrum deinceps corrigi possit.

Contra cum de singulis quaestionibus agitur, saepe aliter iudicandum est. Earum enim aliquae synthesim, aliquae ana-

lysim potius exquirunt. Quare sedulo considerandum est quid cuique magis conferat tum ratione ordinis tum ratione perspicuitatis. Cum enim talis conditionis quaestio occurrit, quae facile et ordinate per analysim explicari possit; tunc ea methodo uti praestabit. Magis enim percellit animos auditorum et maiorem delectationem affert. Sin vero res incidat, quae si analytice tractaretur, per longas nos ambages circumduceret, nec inde satis claritatis sperari posset; tunc ad eam tradendam synthesis magis expediet. Haec procedendi ratio, quae in forma disciplinae instruenda synthesim adhibet, in singulis autem explicandis quaestionibus modo analysim, modo synthesim, iuxta rei opportunitatem et naturam, *methodus mixta* nominabitur. Atque ea nos in processu disquisitionum nostrarum utemur. Sic enim haec instituimus commentaria, ut scientiae adeptioni et adolescentium utilitati cautum esse velimus quam maxime. Ad huius itaque nonnullas statuendas leges accedamus.

METHODI LEGES

267. I. *Res disceptanda dilucide proponatur, ac definitione, quae nomen explicet, a ceteris secernatur.* Ut enim scite Tullius: « Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur (1). » Et sane, nisi id ante constiterit, incerta et caligans tota erit disceptatio.

II. *Quaestio diligenter distribuatur in partes, quas complectitur.* Non enim distincta rei notitia acquiri potest, nisi elementa singula considerentur; elementa autem considerari nequeunt, nisi speciatim constituta ad se animi contemplationem revocent.

III. *Quae partes ad quaestionis substantiam minime pertinent, resecentur, et in alium potius locum omittantur.* Cum enim mens nostra satis angustis limitibus circumscribatur; si attentio in plura dispergitur, nimium debilitatur et confunditur. Quare diligenter curandum est ut quaestio quaeque, quam ad considerandum assumimus, quoad fieri potest, simplicissima reddatur.

(1) *De Officiis*, lib. I, c. 2.

IV. *Minutatim elementa, quae remanent, consideratione in partes omnes versa, expendantur.* Tantum enim claritatis cognitio totius habebit, quantum in eam confert cognitio partium. Nec vero satis erit partes in se contemplari, sed etiam oportebit ut ordo et relatio unius ad alteram accurate considerentur.

V. *Ab iis principium fiat, quae lumen reliquis afferunt et generaliores notiones suppeditant.* Ita enim quibusdam veluti gradibus mens perducitur ad perspicuam totius quaestionis solutionem, quae proprie scientificam notitiam praestet.

VI. *Ex fonte proprio, unde dimanat, obiecti notio firmetur.* Hinc si de reali obiecto, quod immediate percipiatur, sermo est; ex conscientia vel ex experimento sensuum explicationis eius initium sumi debet. Sin vero obiectum ideale proponitur, ex intelligentia et ratione explicatio deducatur.

VII. *Principia, quae ad considerationem iuvandam arcessuntur, idonea sint et certa; proinde vel per se evidentia esse debent vel iam antea evidenter demonstrata.* Haec enim sunt veluti faces, quae ad obiectum illustrandum adhibentur, et quibus mentis acies in intimam rei naturam penetrat, aut ea detegit, quae remota sint quidem, sed cum re praesenti intime connexa.

ARTICULUS II.

De dubitatione cartesiana.

268. Methodum, qua Protestantes usi erant quoad religionem, Cartesius philosophiae accommodandam existimavit. Illi enim hominem individuum a traditione omnis anteactae aetatis, et a Fide universalis Ecclesiae seiunxerunt; eique in propria personalitate concluso sacram Scripturam tantum reliquerunt, ex qua sensu privato propriae rationis singula dogmata eliceret.

Consimili pacto Cartesius nos per dubium universale a circumstante humanitate separavit, solamque concessit conscientiam, ex qua ope individualis evidentiae integrum cognitionum nostrarum systema renovaremus (1). Ait enim ad aedi-

(1) Vide *Principiorum Philosophiae,* primae partis initium; tum primam et secundam eius *meditationem.*

ficium scientiae in nobis, semotis erroribus, exstruendum, nihil satius conferre, quam si semel in vita de omnibus omnino ad tempus dubitemus, non modo iis quae sensus et memoria suppeditant, verum etiam illis quae intelligentia et ratio praebent, quaeque aut prima audiunt principia aut ratiocinii illationes sunt, etiamsi mathematica fulgeant evidentia. Id vero ubi animus fecerit, levi postea negotio ex hoc tenebricoso carcere emerget, si ad conscientiam se convertat. Ab hac enim monetur se dubitare, aut, quod idem est, cogitare; simulque videt non posse eum, qui cogitat, non exsistere. Hinc ventum erit ad inconcussum illud: *cogito, ergo sum;* ex quo quasi ex semine fecundissimo omnis certitudinis seges efflorescet. Educto enim inde canone: *Quidquid continetur in idea clara et distincta verum est,* in Dei exsistentis et veracis notitiam devenire facile erit. Nam conscit animus se habere ideam Entis perfectissimi, qui proinde exsistentia et veracitate gaudet. Cum vero hoc Ens sit auctor nostrae intelligentiae, aperte consequitur ut propensio, quam Ille nobis indidit, nos non ad errorem sed ad veritatem adducat. Sic veracitas restituitur nostris facultatibus; quae si ad falsitatem nos incitarent, Deus ipse nos decipere dicendus esset. Id autem maxime repugnat conceptui Entis perfectissimi, ac proinde veracissimi. Tantum cauti esse debemus, ne loco idearum, claritate et distinctione praeditarum, ideis obscuris et confusis utamur.

Hic, in pauca collatus, totus est Cartesii processus; qui *dubitatio methodica* propterea nominatur, quia scepticismum temporaneum inducit, tamquam methodum qua utamur ut in certitudinem philosopho dignam deveniamus.

Verum, ut ingenue fatear, eiusmodi philosophandi ratio cordato nemini probari potest; idque, ut videbimus, ratione multiplici.

PROPOSITIONES

269. Propositio 1.ª *Etiamsi posset, sine absurditate, universalis dubitatio tanquam initium philosopandi constitui, ea tamen inepta esset et philosopho plane non digna.*

Prob. Quamvis moderatum et prudens dubium de rebus iis, de quibus aliqua adsit dubitandi ratio, utile sit; tamen

nullius utilitatis est dubitare de iis, quae perspicuitate propria, et quidem ineluctabili, menti perlucent; quaeque non modo vera sunt, sed etiam necesse est ut vera appareant sponte sua. Certitudo enim philosophi a certitudine vulgari non aliter distinguitur, nisi quemadmodum perfectum distinguitur ab imperfecto. Iam vero, imperfectum non destruitur, cum in perfectum commutatur, sed tantum expolitur et completur, remotione eorum, quae ipsi reluctantur, et accessu aliorum quae ipsi conveniunt sed deerant. An belle ageret aurifex, qui, ad purgandum aurum, ipsum in mare proiiceret; aut sculptor, qui, ad statuam elaborandam, marmor disrumperet? Certitudo philosophi nihil est aliud, quam certitudo ipsa vulgaris, sed clarior et distinctior effecta ope reflexionis et analysis, et virtute meditantis animi uberius quodammodo fecundata. Non igitur tollenda de medio sed retinenda philosopho est anterior certitudo; secus materia et instrumentis carebit, quibus ad opus, quod aggreditur, excitandum indiget. Sic, cum logicam artificiosam seu scientificam concinnamus, logicam naturalem non abiicimus, sed eam supponimus et adhibemus.

270. Propositio 2.ª *Dubitatio universalis, constituta ut initium philosophandi, absurditate plena est.*

Prob. Absurdissimum est adducere tanquam fontem certitudinis et evidentiae, quod totius certitudinis et evidentiae negatione consistit. Atqui id efficitur, cum initium philosophandi in dubitatione universali constituitur; nam in eo veluti mentis vacuo non aliud superest, nisi solum dubium; dubium autem absolutam certitudinis et evidentiae negationem importat. Quare ex dubio velle certitudinem derivare, idem prorsus est ac velle ex tenebris lucem educere, aut vi nihili realitatem effingere.

At quoniam Cartesius reponere posset, se fontem certitudinis et evidentiae non in dubitatione ipsa collocare, sed in certo et evidenti testimonio conscientiae, quae dubium referat; ad effugium hoc obstruendum duas alias propositiones constabilimus.

271. Propositio 3.ª *Absurdum est et sibi nil consentiens, dum de ceteris facultatibus dubitatur, testimonio conscientiae confidere.*

Prob. Eadem omnino ratio pro veracitate omnium facultatum cognoscendi militat; quippe omnes aeque a natura ad proprium obiectum rite attingendum nobis tributae sunt. Ergo aut omnes per se verum referre existimantur; aut si de una aut altera dubitatio inducitur, reliquae omnes in discrimen vocentur necesse est. Equidem non video cur, qui dubitat se habere corpus aut duo duobus addita aequare quatuor, non ambigat pariter ne reapse cogitet, dum id sentit, aut ne qui cogitat revera exsistat.

Audiatur hac super re Thomas Reid, sic contra Cartesium sapienter disserens: « Mirum plane est Cartesium, qui ad conscientiae testimonio fidendum se adigi sentiebat, non sensisse simul se ad fidem habendam sensibus, memoriae, rationi, similiter cogi; ac dum certus esset se ratiocinari et dubitare, non fuisse pariter certum duo addita tribus conflare quinarium; aut somnum a vigilia esse distinctum. Magis vero etiam mirandum est, dialecticum adeo profundum non perspexisse, totum ratiocinium, quo suas facultates posse esse fallaces ostendit, non nisi putissimo sophismate contineri. Etenim si hae facultates possent esse fallaces, nac ipsae possent eum fallere in hac ipsa ratiocinatione, et in illatione ad quam devenire nititur, nimirum quod non fallant. Haec illatio non est aliud, quam earumdem facultatum, quae in quaestione versantur, de se ipsis iudicium, quod proinde vim nullam habet. Adversus nostrarum facultatum veracitatem difficilis est ad excogitandum difficultas, quae simul conscientiam ipsam non impetat; et quisquis iudicio diffidit et rationi, quae dono recepit a Deo, is in tali suo scepticismo cogitur permanere, donec de insania convalescat, aut novas facultates, quibus antiquas iudicet, sortiatur. Si istaec propositio : *facultates nostrae non sunt fallaccs,* in primorum principiorum numero non habetur; in absolutum scepticismum, et sine remedio delabemur. Principium enim huiusmodi demonstrari non posset; contra, si ipsum non est indubium, nihil posset esse certum (1). »

272. Propositio 4.ª *Ex solo testimonio conscientiae nequit in rerum aliarum certitudinem fieri transitus.*

(1) *Analyse de la Log. d'Arist.* Essai 6, ch. 2. Oeuvres tom. 1.

Prob. Conscientia in ordine tantum subiectivo versatur. Ut igitur ad ordinem obiectivum fiat gradus, aliquid requiritur praeter conscientiam; nihil enim, sibi relictum, transilire potest ordinem, quo continetur. Conscientia ceterarum quidem facultatum exsistentiam actionemque, at nequaquam veracitatem testatur; et multo minus sententiam fert de obiectis, quae aliarum facultatum sunt propria. Sic, exempli causa, conscientia patefacit te nunc obiectum aliquod oculis usurpare; ex quo testimonio certior efficeris tibi facultatem inesse spectandi res quasdam extensas a te distinctas, teque in praesenti eiusmodi actionem elicere. Verum, te in ea perceptione non falli, id conscientia minime dicit: sed notum est per se, quatenus nulla facultas, dum vi naturae operatur, circa obiectum, quod pertingit, decipi potest aut locum dubitandi relinquere. Idem de intelligentia, idem de vi ratiocinandi dicatur. Cavendum est igitur sedulo, ne in sola conscientia conquiescentes, de ceteris cognoscendi facultatibus demonstrationem veri nominis expetamus. Id enim si fieret, scepticismus vitari non posset, sed de omnibus dubium incideret, aut saltem in *egoismo,* quo *solam nostri nostrarumque affectionum exsistentiam* cognitam habeamus, iugiter esset permanendum. Dubium enim huiusmodi non aliter expelli posset, nisi multa non modo ad conscientiam, sed ad alias etiam facultates pertinentia, ceu inconcussa et evidenter cognita admittantur. Et sane quo pacto circa alia obiecta examen aut ratiocinationem inchoare possumus; nisi vim comparandi ideas, vim iudicandi, vim ratiocinandi, ceterasque facultates, ad veri cognitionem requisitas, fallaces non esse pro certo iam ante habeamus?

Respondet fortasse Cartesius, id ex Dei veracitate deduci. Verum quis non videt, id in primis ratiocinando deduci; atque propterea vim ratiocinandi, principia quibus ratiocinatio nititur, leges quas servat, atque alia id genus, ut firma et rata admitti oportere? Deinde, quonam modo ex Dei idea aliquid certi inferri poterit, nisi saltem intelligentia, quae Dei notionem exhibeat, circa suum obiectum non decipi praesumatur? Quid plura? Ipsa veracitas conscientiae, sine intelligentiae veracitate implicita, constare nequit. Nisi enim tamquam indubium ponatur ante, non posse idem simul esse et non esse (quod principium intelligentiae obiectum est) iacta-

tum illud inconcussum: *cogito, ergo sum,* profecto nutabit. Ergo, qui semel in universalis dubitationis baratrum se coniecit, is aut ibi perpetuo moraturus est, aut si illinc exitum parat, ea, quae negavit, iterum fateatur oportet. Quod quidem palam fecit ipse Cartesius, qui, ut scite observat Royerd-Collard, cum e dubio universali in rerum certitudinem emergendi viam aggrederetur, tot volens et prudens certa constituit, quae suum dubitationis systema prorsus evertunt (1).

Iure igitur concludere possumus: a Cartesio methodum philosophandi excogitatam esse, quae procedit sine methodo, sine regula et sine remedio, praeter nudam contradictionem. Dubium enim generale introducit, ad quod repellendum non aliud medium nobis suppeteret, nisi ratio quae de omnibus dubitaret, semet etiam non exclusa. Philosophandi igitur est methodus, quae non modo caret philosophia, sed plane etiam communi sensu; ac proinde palam facit, quam apte quantoque iure Cartesius tamquam magnus philosophiae instaurator praedicatus sit et a nonnullis adhuc praedicetur!

ARTICULUS III.

Unde philosophandi initium sumendum sit.

273. Id, ex quo alterum utcumque procedit, eius *principium* nominatur. Sic sol est principium lucis, aurora diei. Principium igitur scientiae id erit, unde scientia derivatur. Porro varia sunt principiorum genera. Alia enim *prima* dicuntur et *nota propter se;* alia vero *secundaria* et nota *propter aliud.* Itemque ex principiis primis alia sunt *communia,* seu quae a quolibet homine percipiuntur, terminorum significationem intelligente, ut *totum est maius sua parte;* alia autem *propria,* seu quae nonnisi a peritis in ea scientia, ad quam pertinent, capiuntur, ex. gr. *omnes anguli recti sunt aequales,* aut *angelus non est in loco.* Quorum primum a mathematico, alterum a metaphysico, sine discursu, intelligitur. Denique principia alia sunt *experimentalia,* seu observatione aut experimento comperta, ut ex. gr. *corpora*

(1) *Critique de Descartes.* Fragments. Operum Reid. tom. 3.

sunt gravia; alia *rationalia,* seu quae per immediatam intuitionem idearum percipiuntur, ut: *quidquid fit, sui causam habet.* Haec facilia sunt captu, et ex iis, quae alibi diximus, satis elucent.

PROPOSITIONES

274. Propositio 1.ª *Reiicienda est sententia Theodori Jouffroy, qui principium et fontem certitudinis humanae in actu fidei caecae reponit, quam naturali veracitati facultatum nostrarum adhibeamus* (1).

Probatur. Si cognoscendi exordium non evidentia, sed caeca quadam fide constaret, nulla certe cognitio posterior, quae illinc emergit, evidenter eluceret: quandoquidem nulla perfectio in processu scientiae reperiri potest, qua caret principium unde illa derivatur. Evidentia igitur, in quavis rerum notitia, a mente humana prorsus exularet, omnisque actus rationis ad caligantem quamdam fidem, testimonio naturae habitam, reduceretur. Quod dogma Reidianum instinctum atque Kantii formalismum omnino restitueret.

Nec vero fundamentum, quo ea opinatio nititur, ulla probabilitate fulcitur; siquidem sciendi actus primigenius, ex quo mens seriem suarum cognitionum inchoat, in veracitate facultatum nostrarum cogitanda minime versatur. Haec enim cognitio quaedam est reflexa, quae aliam directam praeeuntem exquirit. Sed eiusmodi primus actus obiectum aliud ab animi facultibus diversum respicit, quod quale sit inferius innuemus. Certitudo autem veracitatis facultatum nostrarum in ceteris cognitionibus latet implicita, ac postea reflexione animi in semet redeuntis evadit explicita. Deinde notandum est eiusmodi reflexam cognitionem, etiam cum per reditum illum animi fit explicita, non esse actum caecae fidei, sed evidentem veritatis cuiusdam intuitum. Cognoscendi enim facultates per se non falli, principium quoddam est per se notum, quod terminos consideranti evidenter apparet. Si enim contrarium fingitur, in apertam conceptuum pugnam fit lapsus, ipsaque cognoscitivae facultatis notio obliteratur.

(1) « Le principe de toute certitude et de toute croyance est d'abord un acte de foi aveugle en la véracité naturelle de nos facultés. » *Cours de droit naturel,* tom. I. lec. 9.

275. Propositio 2.ª *Initium philosophandi, quoad partem rationalem, situm est in principiis per se notis, quae demonstrationi non sunt obnoxia.*

Probatur. Illud est initium progressus in philosophando, quod est terminus regressus, quo mens scientiam resolvit in fontes, a quibus derivata est. Atqui in resolutione scientiae, quoad partem rationalem, mens sistit in principiis primis et per se notis, quae nulli demonstrationi subiiciuntur. Ergo in his cernitur initium philosophandi, quoad partem rationalem qua scientia constat. Ad rem S. Thomas: « Certitudo scientiae tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim illationes per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia (1). »

Praeterea, nisi ex his principiis in philosophando sumatur exordium, effectus quaeritur sine causa; quo nihil absurdius fingi potest. Etenim scientia, in quam per philosophiae studium adnitimur, cognitione certa et evidenti constat ex praemissis aliquibus derivata, quae idcirco tamquam illius causae considerari debent. Quapropter si philosopho, in suo rationali processu, omnia demonstranda essent, omnia respectu ipsius notionem haberent effectuum, qui causam, seu praemissas a quibus fluerent, postularent. In ordine igitur scientiae series quaedam indigesta effectuum induceretur, cuius nulla excogitari posset causa.

Quod argumentum hac etiam forma proponi potest. Fac, sis, principia etiam prima in philosophando demonstrationi esse obnoxia. Iam nova veritas opus erit, quae praemissae munere fungatur, ut principia illa per ipsam demonstrentur. At vero tunc de hac iterum redibit quaestio, utrum evidens per se sit an egeat demonstrari. Horum primum adversarius affirmare nequit, quin sibimet contradicat. Alterum igitur seliget. Sed tunc in novas se adiget angustias, semitam iniens limite destitutam. Nam si praemissa omnis erit demonstranda, demonstrationi nullus exitus patebit, ac proinde nunquam evidens illationis cognitio obtinebitur. Quare aut cognitio omnis evidens et certa de medio philosophiae repellitur; aut si demonstratio in ea viget ac scientia, eius partis rationalis exordium necessario reponendum est in principiis primis in-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. 1.

telligentiae, quae propria fulgent evidentia. Quorum sane principiorum non demonstrationem philosophia praebet, sed terminorum dumtaxat explicationem, ac difficultates, quae forte contra oggeruntur, dissolvit, modo adversarius aliquid per se certum largiatur.

276. Propositio 3.ª *Quoad partem empiricam initium philosophandi in evidenti perceptione sensuum et conscientiae reponitur.*

Probatur. Initium philosophandi quoad partem empiricam in eo ponatur oportet, quod rerum aliquarum exsistentiam immediate refert. Impossibile enim est ex mero ordine ideali ad realem devenire; sed omnino requiritur ut ipsa exsistentia, per se apprehensa, fundamentum supponat ratiocinationibus. quibus rerum aliarum exsistentia deducatur. Atqui exsistentia rerum nobis immediate non refertur, nisi aut sensibus aut conscientia. Ergo in harum facultatum evidenti perceptione initium philosophandi ponatur oportet, quoad partem empiricam.

Et sane intellectus directe et per se non attingit, nisi ideas et relationes idearum, ex quibus prima iudicia mentis efflorescunt. Initium igitur philosophandi suppeditare non potest, nisi quoad partem rationalem dumtaxat. Ratio vero functionem secundariam importat; quatenus ex veritatibus, iam notis, ad alias detegendas discurrit; ac proinde initium scientiae non exhibet sed subaudit. E mediis igitur cognoscendi non aliud restat, nisi sensus et conscientia: atque utraque rei, de qua agitur, optime respondet; siquidem sensibus exteriora facta, conscientia vero facta interna immediate percipiuntur.

277. Hinc efficitur ut philosophia primum de rebus creatis, deinde de Deo perscrutetur. Ad rem S. Thomas: « Sicut naturalis cognitionis principium est creaturae notitia a sensu accepta, ita cognitionis desuper datae principium est primae Veritatis notitia per fidem infusa; et hinc est quod diverso ordine hinc inde proceditur. Philosophi enim, qui naturalis cognitionis ordinem sequuntur, praeordinant scientiam de creaturis scientiae divinae; sed apud theologos proceditur e converso, ut Creatoris consideratio considerationem praeveniat creaturae (1). »

(1) *Opusc. super Boëthium de Trinitate.*

Quod si inter ipsam conscientiam et sensus comparationem instituas, videbis profecto philosophandi initium, quoad partem empiricam, in consideratione exterioris naturae, quae sensibus renuntietur, primitus collocari. Etenim processus philosophicus relegit quodammodo et commentatur processum naturalem, quo cognitio in nobis evolvitur. At vero naturalis processus cognitionis est, ut primum apprehendamus sensibus exteriorem naturam, deinde reditu mentis in nos nostrasque affectiones revertamur; atque ita demum ex utriusque obiecti notitia ad primam omnium causam contemplandam ascendamus. Et ratio est, quia conscientia constat actu reflexo; actus autem reflexus praevium habet actum directum. At vero actus directus quoad realem exsistentiam immediate cognoscendam nequit esse nisi sensilis perceptio, exteriorem naturam attingens; intellectus siquidem versatur in ideis, ratio in deductionibus.

Solvuntur difficultates.

278. *Obiic.* I. Si initium philosophandi quoad partem rationalem collocaretur in aliquibus principiis per se notis, collocaretur in re, cui sine ratione assentimur. Atqui id repugnat philosopho. Ergo etc.

R. *Nego maiorem*, vel, si placet, *distinguo:* Collocaretur in re, cui sine ratione, ab obiecto distincta, assentimur, *concedo;* cui assentimur sine ratione cum ipso obiecto confusa, *nego.*

Principia per se nota, etsi demonstratione careant, habent tamen rationem et motivum assensus, stabilius fortasse vel saltem aeque stabile ac demonstratio. Motivum huiusmodi, ut alias ostendimus, est immediata evidentia, seu ipsa veritas rei per se patens. Ex quo fit ut assensus illi praestitus non sit caeca quaedam fides, sed perspicientia lucidissima obiecti, quod per se claret et ad alia illuminanda pollet. Deinde ita mens hisce principiis sine demonstratione assentitur, ut in tali assensu omnino conquiescat; quippe cum nullam ibi demonstrationis necessitatem contueatur, immo vero eam pro tali obiecto ineptam et absurdam esse videat. Ut enim praeclare inquit S. Thomas: « Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam

necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum (1). »

Obiic. II. Si initium philosophandi esset in principiis quibusdam per se notis, sine demonstratione admissis; certitudo philosophica non differret a vulgari, sive quoad eadem principia, sive quoad illationes illas, quas etiam homo rudis exinde derivat. Id autem absurdum est.

R. *Distinguo maiorem:* Certitudo philosophica non differret a vulgari, respectu firmitatis assensus, *transeat;* respectu claritatis et distinctionis in perspicientia motivi, *nego.*

Quoad principia per se nota, quae tum philosopho tum rudi evidentia sunt, et quoad illationes illas, quas etiam homo indoctus ex primis principiis ductu naturae deducit, certitudo philosophica non superat vulgarem in plena exclusione dubii. Non minus enim idiota, dummodo ratione utatur, pro certo tenet non dari effectum sine causa et Deum exsistere, quam praestantissimus inter philosophos. Tota igitur differentia sita est in claritate et distinctione cognitionis quoad fundamentum et motivum, quo adhaesio mentis innititur. Philosophus enim reflexione et meditatione, quibus assuetus est, melius introspicit quid quisque conceptus importat, ipsumque explicare et quomodo ad iudicandum et inferendum adducat declarare valet; quod e contrario idiota praestare nequit. Id vero non mediocrem perfectionem affert; cum praesertim menti efficaciam tribuat derivandi ex iisdem principiis remotiores illationes, quae sine illa subtili et vivida intuitione idearum non patefierent. Quod si quis insuper velit ex illa maiori claritate et distinctione cognitionis, quam sibi philosophus reflexione comparat, quamdam maiorem stabilitatem quoad assensum ipsum exoriri; non repugnabimus, modo id intelligatur de excessu quodam accidentali non essentiali. Non enim oritur ex diversitate motivi aut luminis, sub quo obiectum inspicitur; sed oritur tantum ex lucidiore et subtiliore perspicientia obiecti, ex qua intensior tantum gradus adhaesionis procedere potest, non nova species. Hinc in distinctione obiectionis primum membrum non absolute concessimus, sed transmisimus.

(1) *Analyt. poster.* lib. I, lect. 19.

Obiic. III. In resolutione scientiae, ultimo sistimus in veracitate facultatum nostrarum. Ergo in hac veracitate, si non fide caeca, saltem evidenter admissa initium certitudinis, ac proinde philosophandi, reponendum est.

R. *Distinguo antecedens:* In resolutione scientiae, sub aspectu reflexionis psychologicae, ultimo sistimus in veracitate facultatum nostrarum, *concedo;* in resolutione scientiae, sub aspectu reflexionis ontologicae, *nego.*

Mens, dum scientiam resolvit in principia, a quibus processit, reflexione utitur. At, ut alias diximus, duplex reflexio distingui debet: ontologica et psychologica. Haec respicit actum quoad considerationem subiectivam; illa quoad considerationem obiectivam. Si igitur sciendi actio resolvi velit secundum subiectivam considerationem, certe ultimus terminus est veracitas facultatum nostrarum; atque id ostendit nos quoad initium philosophandi non posse de ea dubitare, ac proinde ineptam esse methodum Cartesianam, ut iam demonstravimus. At si sermo est de resolutione ontologica scientiae, illatio non ad veracitatem facultatum, tanquam ad ultimum motivum et fontem suae certitudinis, refertur; sed unice refertur ad veritatem primorum principiorum, quae luce sua menti se manifestant, et veritatem aperiunt rerum aliarum, quae cum ipsis necessario connectuntur.

Obiic. IV. In resolutione ontologica scientiae humanae ultimus terminus est perceptio individuorum sensibilium. Omnis enim nostra cognitio a sensu incipit. Ergo generatim initium philosophandi in perc ptione individuorum sensibilium tantum reponi debet.

R. *Dist. antec:* Si consideretur origo idearum, *transeat;* si consideretur fundamentum certitudinis iudiciorum *subdist:* quoad partem empiricam scientiae, *transeat* iterum; quoad partem rationalem, *nego.*

Aliud est quaerere originem idearum, aliud fontem primum certitudinis iudiciorum. Prima quaestio ad Ideologiam pertinet, eamque idcirco transmisimus. Praesertim quia, ut ibi probandum erit, perceptio sensuum materiam exhibet idearum, non vero causam efficientem, quae in virtute quadam activa mentis posita est. Ad alteram vero quaestionem quod spectat, iudicia, quae scientiam constituunt, sub duplici aspectu considerari possunt: quoad partem empiricam, et quoad

partem rationalem. Quoad partem empiricam initium philosophandi in renuntiatione non modo sensuum situm est, verum etiam conscientiae; hac enim, non sensibus, nostram exsistentiam attingimus. At quoad partem rationalem iudicia scientiae nostrae non aliud fundamentum habent propriae certitudinis, nisi principia prima et per se nota; quae non ex perceptione singularis exsistentiae, sed ex intellectu universalis essentiae aut ex mutua relatione idearum ingenerantur.

Instabis: Cum prima principia possint esse etiam experimentalia, quae inductione comparantur; saltem quoad haec ultimus resolutionis terminus, ac proinde initium philosophandi, in perceptione individuorum, quae inductio sectatur, reponendum erit.

R. In primis id sine incommodo concedi posset. Nam principia experimentalia partem empiricam scientiae respiciunt, quae, ut diximus, in perceptionem singularium rerum, conscientia aut sensibus perceptarum, tandem resolvitur. Nihilominus haec principia, ut alias probatum est, non sola enumeratione casuum particularium innituntur, sed principio aliquo rationali, quod ipsis opitulatur ad universalitatem induendam. Quare ex hac parte in huiusmodi principium iure resolvuntur.

APPENDIX

De Arte critica et hermeneutica.

279. A κρίνω *iudico* ars critica generatim significat artem bene iudicandi, et hac latissima acceptione rebus omnibus applicari potest. At in praesenti speciatim sumitur ad innuendam artem bene iudicandi de factis historicis et potissimum de authentia et incorruptione librorum. Ars vero hermeneutica ab ἑρμηνεύω *interpretor,* artem denotat eruendi ex scriptis genuina Auctorum sensa, et ab arte critica, latius sumpta, non omnino distinguitur, sed vel eius est pars, vel certe complementum.

Harum tractatio non ad scientias proprie dictas, sed ad eas disciplinas, quae variam eruditionem sive sacram sive profanam praebent, revera pertinet: et potissimum ad Philologiam et Archeologiam revocatur. Nihilominus, appendicis instar, cum Logica aliquo pacto colligari potest; quatenus auctoritas criterium quoque est veritatis, licet extrinsecum, et scientiae experimentales saepe factis historicis, nempe observationibus naturalibus ab aliis enarratis, delectantur. Quocirca non inopportunum erit aliquid de utraque arte summis labiis delibare, ne hac in re Logicae alumnus omnino ieiunus esse videatur. Id autem perficiemus tribus articulis, quibus praecepta nonnulla primum de existimatione et usu testimonii, deinde de genuinis et incorruptis libris distinguendis, tum de legitima interpretatione librorum trademus.

ARTICULUS I.

De valore et usu testimonii in factis historicis diiudicandiis.

280. Testimonium fide dignorum habere vim generandi certitudinem in nonnullis rerum adiunctis, in aliis vero sufficere ad fundandam saltem probabilem opinionem, superius a nobis ostensum est (1). Porro huiusmodi testimonium ad posteros extendi potest triplici via, *traditione* nimirum, *historia* et *monumentis*.

281. Traditio est *testium continuata successio, memoriam facti non scriptis sed ore transmittentium*. Haec si characteres habeat ad auctoritatem plenam necessarios, indubiam parit fidem, propterea quod eius causa nec testantium error nec conspiratio in mendacium, sed facti dumtaxat veritas esse potest. Ut autem traditio id praestet, exquirit primum ut sit *continua;* nempe talis, ut ab ultima linea ascendat revera ad ipsum initium, in testibus facto coaevis et oculatis situm. Deinde, ut sit *ampla;* plures nimirum testes amplectens in singulis lineis suae seriei. Tertio, ut sit *illustris;* quatenus nempe versetur circa factum ita publicum, ut a pluribus cognosci potuerit, et plurium attentionem excitaverit

(1) *Logica pars altera*, c. 3, art. 3.

Denique, ut sit *uniformis;* nimirum eiusmodi, ut testimonia, unde coalescit, consentiant inter se, saltem quoad facti substantiam et adiuncta praecipua, licet fortasse dissentiant in adiunctis secundariis, quae ad facti substantiam minime pertinent. Quod si eiusdem facti memoria apud diversas gentes vel saltem integram nationem vigeat; si solemnibus caeremoniis, ritibus, diebus festis, aut publicis ludis celebretur; si denique in ipsis nominibus urbium, fluminum, montium et similium, sui veluti vestigia impresserit; mirum in modum vis oralis traditionis augescit: maxime vero, si dicta traditio narrationi etiam historicae concordet scriptorum, vel monumentis, quae supersunt.

282. *Narratio facti scriptis commendata* historiam praebet. Haec, ad faciendam fidem, necesse est in primis ne sit *supposita* vel *interpolata;* quod qua ratione dignoscitur, in sequenti articulo dicemus. Hac praeiacta conditione, tria potissimum consideranda postulat, quae proportione quadam de traditione etiam intelligi debent. Unum est res, quae narratur; secundum, qualitas narrantis; tertium, narrationis modus.

Et ad primum quod pertinet, certum est ante omnia rem, quae narratur, debere esse talem, ut nullam internam repugnantiam involvat. Si enim absoluta impossibilitate vitietur; propterea quod immutabili rerum essentiae aut certis Fidei et rationis principiis evidenter adversetur; nihil aliud exquirit, ut tamquam commenticia prorsus et ficta reiiciatur. Quod si non immutabili veritati, sed legibus tantum physicis naturae opponitur, quibus a Deo, praeter ordinem operante, derogari potest; tunc videndum erit num tempus, finis et adiuncta, quibus afficitur, sint talia, ut credibile miraculum faciant. Deinde necesse est ut aliis factis certis, cum quibus nullo modo conciliari possit, non contradicat; siquidem impossibile est ut duo, se mutuo excludentia, locum habeant. Diximus *aliis factis certis;* quia, si contraria narratio non plena gaudeat certitudine, tunc expendendi erunt utrinque probabilitatis gradus, ut utri fides adiudicanda potius sit definiatur. Denique facti indoles dispicienda est, num sit eiusmodi ut facile hallucinationi ansam praebere potuerit, aut faveat narrantis praeiudiciis, factioni, commodis, an contra illusionis et blanditiarum periculum satis excludat. Haec et

similia, quae sana ratio cuique dictat, sedulo ponderari debent ad prudens iudicium proferendum.

Quoad secundum, nempe narrantis qualitatem, illae dotes generatim in eo requiruntur, quae ad testimonii veracitatem persuadendam oppido sufficiant. Patere igitur debet scriptorem idoneum fuisse ad factum internoscendum, et ea historica probitate exornatum, ut non potuerit vel certe noluerit falsa referre. Quod quia de auctoritate loquentes satis explicavimus, hic denuo explicari non eget.

Quoad tertium, nempe narrationis modum, sedulo observandum est num scriptor perfunctorie rem narret, tamquam ex vago rumore vulgi acceptam; num poëtico potius stylo, aut rhetorica exaggeratione delectetur; num quaerat novitate percellere et mirabilia potius quam vera sectari. Haec enim et similia vitia non parum auctoritatis narrationi adimunt. Contra qui simplici stylo, rei tantum testandae gratia, adiectis circumstantiis loci et temporis et personarum, eventum tamquam a se visum aut ab aliis diligenter exceptum refert, pondere non levi ad fidem faciendam pollet. Sed in his aut similibus rebus diiudicandis, plus quam praecepta, valet prudentia et rectitudo mentis. Quare a longiori sermone supersedemus.

Illud unum omittere non possumus, quod ad impugnandam historiam appellari solet argumentum negativum. Non desunt enim qui putant nullam esse adhibendam fidem narrationi posterioris historici, si auctores synchroni nullam facti mentionem fecerint. At id nimis exaggeratum, immo omnino falsum criticismum sonat. Nam ut fides constet historiae, etsi omnino requiritur ne impugnetur a gravibus scriptoribus, qui aut eventui interfuere aut rem a costanti amplaque traditione susceperunt; tamen a solo silentio aliorum, etiamsi facto coaevi fuerint, minime laeditur. Ut enim silentium hoc auctoritatem posterioris narrationis frangat vel debilitet; ostendi oportebit historicos illos, qui factum reticuerunt, non modo illius notitiam non habuisse, sed etiam nulla moveri potuisse causa ad ipsum reticendum. Secus si horum aliquid desit, posteriores historici (modo conditionibus instruantur, quae errorem et mendacium excludant) fidem certam faciunt; quippe qui, prioribus nil enarrantibus, rem potuerint ab orali traditione suscipere. In summa argumentum

negativum nihil probat, nisi ex circumstantiis evadat positivum.

283. Denique nomine monumentorum intelligitur *opus quodvis durabile artis, ad facti memoriam retinendam.* Talia sunt ex. gr. statuae, arcus, inscriptiones, picturae, numismata, templa atque alia id genus. Quae quidem ut vim habeant probandi, esse debent authentica, factis contemporanea, et certae historiae vel traditioni non contraria. Ad ea vero diiudicanda Historiae, Chronologiae, Palaeographiae, Numismaticae ceterarumque facultatum, quae Archeologiae veluti instrumenta sunt, non levis peritia et usus exquiritur.

ARTICULUS II.

De authentia et incorruptione librorum.

284. *Authenticus* vel *genuinus* vocatur liber, si ad eum scriptorem ad eamque aetatem pertinet, cui adscribitur; secus appellatur *suppositus* aut *spurius*. *Incorruptus* vero dicitur, si nihil ei detractum sit, et nihil additum, nec aliis mendis maculetur. Secus dicitur *mutilatus*, aut *interpolatus*, et generatim *corruptus*.

Ad iudicium de his ferendum varii canones statui solent, ab indiciis vel externis vel internis desumpti. Praecipuos indigitabimus.

Quoad indicia interna.

I. Si liber aliqua habeat, quae non conveniunt tempori, quo ipsum Auctor scripsisse perhibetur; certe suppositus aut saltem interpolatus habendus erit. Multo magis id dicendum, si aliqua narrantur quae posteriora sint aetati, qua scriptor floruit.

II. Genuinus existimari non potest liber, cuius stylus maxime discrepat ab eo, quo constat scriptorem constanter usum fuisse; nisi materia aut finis aut alia adiuncta prudentem coniecturam praebeant stylum de industria fuisse mutatum. Hoc argumentum eo decrescit, quo diversitas, de qua agitur, minor erit.

III. Non leve suppositionis aut interpolationis indicium est differentia doctrinae ab ea, quam scriptor in aliis non dubiis suis operibus profitetur; nisi aliunde sciatur aut prudenter coniici possit auctorem mutasse sententiam. Hoc argumentum vim non habet, si auctor sit eiusmodi, ut a contradictoriis docendis vix aut ne vix quidem abstineat.

IV. Nequit auctori adscribi liber, qui ab eius moribus evidenter abhorreat. Sic opus levitate scatens aut impietate, viro gravi et pio adiudicari non potest.

V. Incorruptionis est argumentum, si omnes libri partes apte conveniant inter se, aut si sententiae, quae in eo continentur, ad unguem respondeant testimoniis inde desumptis et citatis ab aliis Auctoribus fide dignis. Si unum aut alterum desit, corruptionis prudens suspicio ingeritur.

Quoad indicia externa.

I. Summae dementiae esset habere pro suppositis aut corruptis libros, quos constans traditio, etiam sapientium, semper pro genuinis atque incorruptis habuit. Itemque stultum esset contrarium, in contraria hypothesi.

II. Liber, cuius autographus nomen Auctoris ab eodem subscriptum praesefert, sine ulla dubitatione genuinus haberi debet. Idem dicendum, si, deficiente autographo, exemplaria transcripta, quae exstant, in auctoris nomine consentiant.

III. Quod si nullo exstante autographo, exemplaria inde derivata diversis auctoribus tributa esse reperiuntur, vetustiorum testimonium praeferendum est, ceteris paribus.

IV. Si recentiores codices aliquid contineant, quo carent antiquiores, interpolationis argumentum praebent. Si contra aliquid in ipsis desideretur, quod in antiquioribus invenitur, mutilationis vitio iure arguuntur.

V. Ad integritatem et incorruptionem librorum discernendam magni adiumenti est collatio plurium codicum, praesertim vetustiorum et in diversis locis exsistentium. Probabile enim non est omnes codices et ubique fuisse depravatos.

ARTICULUS III.

De interpretatione librorum.

285. Duplici modo fit librorum interpretatio: versione ex uno idiomate in aliud, et indagatione sensus obscuri aut ambigui.

I. Ad primam quod spectat, ardua nimis est versio omnibus numeris absoluta (1); at eiusmodi difficultas non ita exaggerari debet, ut nulla diligentia superari posse putetur. Nam si de substantia conceptus sermo sit, dubitari nequit ne accuratus interpres, si veram sententiam verbis expressam mente arripuerit, eam in aliam linguam, quam bene calleat, transferre possit. Nam verbum mentis idem est in quoque idiomate, et ubique gentium, si apta vocabula seligantur, exterius significari potest; praesertim, si lingua, quae adhiberi debet, locuples sit et satis exculta. Res tota pendet a cura, quam impendit interpres, et ab indole idiomatis, quod pro versione seligitur.

Hinc huiusmodi in re primum praeceptum est, ut qui vertendi librum ex una in aliam linguam onus assumit, non modo utriusque idiomatis valde peritus sit, sed nullum studium nullamque diligentiam in persequendo fideliter opere praetermittat.

Deinde, ut non tam verbum de verbo, quam potius sensum de sensu exprimere conetur. Intelligentia enim eiusdem sententiae, non consensus inanis vocum est id quod intenditur. Ut autem scite S. Hieronymus observat, *ex alia in aliam*

(1) Hanc difficultatem sic graphice exponit S. Hieronymus: « Difficile est alienas linguas insequentem non alicubi excidere: arduum, ut quae in aliena lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate; non habeo meum quo id efferam; et dum quaero implere sententiam, longo ambitu vix brevia spatia consumo. Accedit hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum, ipsum postremo suum, et ut ita dicam, vernaculum linguae genus. Si ad verbum interpretor, absurde resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine, aut in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse. » *Praefatione in Eusebii Chronicon.*

linguam expressa ad verbum translatio sensum operis et veluti laeto gramine sata strangulat (1).

II. Quoad eliciendum vero genuinum sensum ex dictionibus ambiguis vel obscuris, hae regulae opitulari poterunt.

Primum, ut libri emendatiores procurentur, de quorum corruptione vel mutilatione nulla prudens suspicio haberi possit. Deinde, ut diligenter consideretur num proprie an metaphorice Auctor loquatur. Tertio, ut tempus quo Auctor scribebat, finis quem spectabat, mores quibus informabatur, aliaeque circumstantiae perpendantur, quae ad mentem scriptoris deprehendendam conferre possunt. Quarto, ut totius libri et doctrinae Auctoris colligatio spectetur, et praesertim quae locum, de cuius intelligentia ambigitur, proxime praecedunt vle consequuntur, ad trutinam revocentur. Iuverit denique non parum aliorum interpretum, qui eadem loca commentati sunt, opinionem consulere.

Haec brevissime de arte critica et hermeneutica attigisse sit satis; quae, ut iterum dicam, nihil aut parum iuvabunt, nisi rectitudo naturalis iudicii et mentis sagacia opituletur, animusque a praeiudiciis liber ac pravis affectibus, qui facillime in hac materia potissimum pervertere solent rationis iudicium.

CONCLUSIO

286. Utile erit hic, postremo loco, paucissimis verbis innuere ac veluti ante oculos lectoris repraesentare totam seriem rerum, quas hactenus persequuti sumus.

Finis Logicae praestitutus is est, ut mentem dirigat in adeptionem veritatis; idque efficitur ordinandis actibus, quibus cognitio mentis evolvitur. Hi actus ad simplicem apprehensionem, iudicium, ratiocinationem reducuntur. Ab his igitur, tanquam a simplicioribus et minus arduis, examen inchoavimus; eaque tractatio primam Logicae partem constituit. Hinc ad altiora gradientes, tria potissimum enucleanda suscepimus: finem ipsum, nempe verum ad quod tendimus; media, quibus ad id adipiscendum instructi sumus; criterium, quo de eius adeptione certiores efficimur. His enodatis, in triplicem ope-

(1) Epistola ad Pammachium, *De optimo genere interpretandi*.

rationem mentis, subtiliore quadam investigatione revertendum esse duximus, ut ea complerentur, quae Dialectica, tanquam rudior disciplinae adumbratio, minime sustinuerat. Quare de universalibus, quae simplicem conceptum spectant; de axiomatibus, quae ad iudicium referuntur; de scientia, quae ratiocinationis effectus est, triplici capite disseruimus. Tandem de methodo egimus, ad regulas tradendas, quibus integer processus operationum mentis ordinandus foret. Sic, quantum Institutionum conditio ferebat, ea omnia attigimus, quae ad logicam disciplinam pertinere visa sunt. Ad haec appendicem adiecimus de arte critica et hermeneutica, ut discipulo normae saltem praecipuae innotescerent veritatis, quoad facta historica et scriptorum sententias, diiudicandae.

En igitur internus ordo et veluti filum, quo a primo scientiae, de qua agitur, conceptu, omnes eius partes deducendas esse existimavimus. Non aliud restat, nisi ut Deum O. M. adprecemur ut studiosis adolescentibus ingenium cum virtute sociatum ad rite proficiendum suo favore augeat et promoveat.

FINIS LOGICAE.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU ONTOLOGIA

INTRODUCTIO

Metaphysicae nomen e titulo deductum est, *μετὰ τὰ φυσικά*, quem nonnulli Aristotelis libri prae se ferebant, sive ab ipso auctore praefixum, sive, ut critici volunt, praefixum ab iis, qui reperta Stagiritae opera digesserunt et ordinarunt. Cum enim hi cetera scripta, quae peculiare argumentum respicerent, in summam contulissent; quae superfuerunt, quia res varias et universalioribus notionibus imbutas spectabant, in quatuor et decem libros partiti sunt, eoque nomine distinxerunt. At quidquid de eius origine sit, certum est Metaphysicae nomen disciplinae, quam hic tractare aggredimur, valde congruere, atque ideo iure meritoque in scholis invaluisse. Iuxta enim vim vocis idem sonat ac *trans* vel *ultra physicam;* quod optime dicitur de ea scientia, quae res quidem, quae sunt, considerat, sed eas vel extra ambitum mundi adspectabilis consectatur, vel altiore prorsus ratione considerat, quam qua illas Physica sibi vindicat. Haec enim nonnisi corpora investigat, et quidem prout sensuum experientiae subiiciuntur; illa Deum et spiritum contemplandum assumit; et, si quando ad inferiora obiecta examen convertit, ea respicit vel prout communibus tantum conceptibus subsunt, vel prout veritates exhibent, quae soli intellectui manifestantur. Quapropter eius obiectum dicitur ens immateriale, seu ens aut per se ab omni materia liberum, aut saltem vi mentis a materia praecisum.

Hinc non pauca nascuntur consectaria, quorum nonnulla breviter innuemus. Primum est, hanc scientiam esse nobilissimam, utpote quae obiecta praestantissima speculatur, primas nempe rerum causas, et rationes entis supremas, quae universalitate sua in ceteras dominantur. Quare appellata etiam est *Philosophia prima,* tamquam reliquarum scientiarum fundamendum; vel *Sapientia,* propter directionem et imperium, quod exercet in reliquas disciplinas; vel etiam *Theologia,* propter altissimam causam, ad quam contemplandam assurgit.

Alterum est, hanc scientiam esse utilissimam; non modo quia mentem cognitione, quam affert, maxime perficit, sed etiam quia ceteris scientiis, non quidem ut medium, sed ut eminentior causa opitulatur. Immo iis perfecte acquirendis est plane necessaria; siquidem, neglectis Metaphysicae institutis, nulla inferior disciplina sic penitus addisci poterit, ut eius notiones in ultima elementa, quibus constant, resolvantur.

Tertium est, eius ademptionem esse possibilem natura sua. Talia enim obiecta considerat, ad quae scienda ineluctabili propensione incitamur, et quorum summota notitia, non solum ceterae disciplinae vacillant, sed tota hominum vita et operatio incerta redditur et fundamentis destituta. Quare e numero scientiarum auferri nequit, quin scientia humana universa, et ipsa rationalis natura hominis labefactetur.

Nec vero tantum possibilis scientia dicenda est, sed etiam maxime realis, cum circa realissimum obiectum versetur. Quod sane non solum intelligi debet de illa Metaphysicae parte, quae ad concreta descendit, verum etiam de ea, quae in abstractis tota moratur. In hac enim ratio entis cum suis generalibus proprietatibus consideranda proponitur; ratione autem entis nihil reale magis comperiri potest aut rerum naturae intimius. Quidquid enim cognitioni obiicitur, quidquid ad veritatem rerum exsistentium pertinet, quidquid a vanis apparentiis differt; id omne ad entis rationem reducitur.

Quod si quaeratur utrum Metaphysica sit scientia speculativa an practica; illico patet eam prioris generis esse, non posterioris. Non enim ad operationem spectat, sed ad meram veritatis contemplationem. Nihilominus non idcirco putanda est nihil aut parum in mores influere; quandoquidem ea perscrutatur, iisque quaestionibus solvendis adlaborat, quae

et hominis maxime intersunt, et in quibus tota actionum humanarum series caput habet et quasi fontem. Quare mirum non est si non modo privatam hominum vitam, sed ipsam publicam societatem depravari aut honestam esse saepe conspiciamus, prout Metaphysica (quam longe ab humanis moribus indocti putant) falsa aut vera in scholis decreta pronuntiat.

His de dignitate et indole Metaphysicae delibatis, ad eius divisionem veniamus. Ac primum nemo non videt Metaphysicae doctrinae duas sponte sua exoriri partes. Nam ens incorporeum, quod haec disciplina pro obiecto habet, potest esse tale, ut ad hunc ordinem aut praecisione, aut positione pertineat. Pertinebit ad ordinem incorporeum praecisione, cum exclusio materiae procedit a mera abstractione mentis, quae rationes consideret universales et transcendentes, aptas nimirum inesse non modo in rebus materialibus, sed etiam immaterialibus. Huiusmodi sunt notio entis, substantiae, qualitatis, causae, et cetera his similia. Erit incorporeum positione, si exclusio materiae ab obiecto procedit ex ipsa natura rei, quae spiritualis omnino sit. Sic proprie se habet Deus in primis; deinde separatae intelligentiae; quippe animus humanus, licet a se materiam excludat, tamen materiae coniungitur, ad naturam compositam, vera unitate praeditam, efformandam. Vi huius considerationis Metaphysica duas tantummodo partes complecteretur: Ontologiam nimirum et Theologiam naturalem. Et sane veteres his dumtaxat partibus Metaphysicam absolvebant; Psychologiam Physicae adnectentes, quae tunc temporis, defectu partis experimentalis, contemplationi rationali plus indulgebat. At postquam Physica, recentiori aetate, solo ambitu phaenomenorum sensibilium et legum, quibus adspectabilis natura regitur, conclusa est; Metaphysicae gyrum ampliari oportuit, eique adiudicata est non solum tractatio de anima, sed etiam contemplatio mundi, quoad eos respectus, qui sensuum experientiam transilirent. Sic Ontologiae et Theologiae naturali Psychologia et Cosmologia adiectae sunt, tamquam partes, in quas Metaphysica dispesceretur. Huic recentiori partitioni, ne sine necessitate ab invecto more recedamus, insistendum ducimus. Quare, omissa tractatione de separatis intelligentiis, seu angelis, de quibus mera philosophia parum aut nihil manifestat, sic Metaphysicae partitionem instituimus.

Ens incorporeum in primis est Deus; deinde animus humanus, qui quidem in praesenti non seorsum a corpore exstat separatus, sed una cum corpore efformat hominem. Hae duae igitur quasi partes necessario ad disciplinam hanc pertinent, quarum altera Theologiam naturalem, altera Psychologiam suppeditat. Praeterea ipsa natura corporea incorporeo quodam modo considerari potest, prout eius conditio, origo, principia, atque alia inquiruntur, quae rationi tantum se patefaciunt. Tertia igitur haec pars Metaphysicae adiungenda est, quam Cosmologiam dicemus. Et quoniam hae tres disciplinae ens contemplantur, prout ad primarias sui descendit partes et quasi species; tota haec triplex disquisitio *Specialis Metaphysica* nuncupabitur. Verum praeter hanc, pars alia constituenda est, quae ceteras antevertat, quaeque ens ipsum generatim inspectum et communia omnibus attributa pertractet. Atque hanc ex munere, quod exercet, *Metaphysicam Generalem* nominamus, Wolfius *Ontologiam* dixit.

Bifariam igitur Metaphysicam in generalem et specialem dispescimus, atque hanc iterum tripartita illa divisione, quam innuimus, in Cosmologiam, Psychologiam et Theologiam tribuimus. Quae quidem partitio a Verulamio etiam insinuatur; qui postquam philosophiam in tres doctrinas dividi oportere docuisset, de homine, de Deo, de natura; continuo addidit disciplinam aliam his praemittendam esse, quae veluti truncum, in quo rami illi vivunt, exhibeat, quamque philosophiam primam nuncupavit. « Convenit igitur, sic ille ait, partiri philosophiam in doctrinas tres: doctrinam de Numine, doctrinam de natura, doctrinam de homine. Quoniam autem partitiones scientiarum non sunt lineis diversis similes, quae cöeunt ad unum angulum, sed potius ramis arborum, qui coniunguntur in uno trunco (qui etiam truncus ad spatium nonnullum integer est et continuus, antequam se partiatur in ramos); idcirco postulat res ut priusquam prioris partitionis membra persequamur, constituatur una scientia universalis, quae sit mater reliquarum et habeatur in progressu doctrinarum tamquam portio viae communis, antequam viae se separent et disiungant (1). »

(1) *De dignitate et augmentis Scientiarum*, l. 3, c. 1.

Ex his, quae explicata sunt, satis elucet ex quanam adstructarum Metaphysicae partium inchoandum sit. Nam si universalia particularibus sunt conserta, eorumque notitia demonstratione et doctrinae ordine anteponitur; rectae methodi lex omnino postulat ut ab Ontologia ducatur exordium. Atque haec iure meritoque philosophiae ianuae et fundamento assimilari potest, sicut Logica duci et instrumento comparatur. Etenim ut Logica mentem in vero exquirendo dirigit, atque ad alias scientias veluti fabricandas deservit; sic Ontologia ad philosophiae quasi theatrum introducit, atque eas notiones explanat, quae reliquarum disciplinarum principia et elementa suppeditant. Quod cum ita se habeat, optimus quisque perspicit partem hanc primariam philosophiae non esse pingui minerva, ut aiunt, exsequendam, sed peracute et solerter; nec sufficere ut lexici cuiusdam instar vocabula quaedam explanet, quae passim recurrunt in scientiis. Sed opus plane est ut philosophiae totius veluti fundet initium, idque ea soliditate et diligentia, quae tantae moli excitandae conveniat. Ut vero ad id, quoad possumus, enitamur, tribus capitibus theoriam hanc complectemur. Primo, ens ipsum generatim acceptum, tum in sui notione, tum in proprietatibus, quibus afficitur, considerabimus. Deinde de praecipuis classibus eloquemur, in quas ens, prout tale est, dispesci solet. Tertio ad causas, quae communiter in ente vigent, discutiendas gradiemur.

CAPUT PRIMUM

DE ENTIS NOTIONE AC PROPRIETATIBUS.

1. Octo articulis caput hoc comprehendimus. Primum, quid notio entis generatim importet; deinde, quid sit exsistentia quidve essentia enucleatius dicemus, et quo pacto una ab altera distinguatur. Tum actus et potentiae conceptum, ac praecipua entis attributa, unitatem nimirum, veritatem, bonitatem explicabimus. Tandem nonnulla loquemur de pulcritudine, quae, licet ad generalia attributa entis non pertineat, iis tamen valde affinis est.

ARTICULUS I.

De conceptu Entis.

2. *Ens* idem sonat atque id quod est; esse autem absolute prolatum actualem denotat exsistentiam. Quare *ens* primitus et vi sua idem videtur exprimere, quod *exsistens*. Sic cum dicis: *sol est*, quisque intelligit te velle significare solem *exsistere;* et nihilominus, si illa tua propositio logice resolvatur, huic aequivalebit: *sol est ens*. Quare mirum non est si Deus se Moysi definivit *ens*, absolute acceptum (*l'ente*), Ἐγώ εἰμὶ ὁ ὤν, ut suae naturae proprium characterem innueret, nempe quod eius essentia ex ipsa exsistentia constituatur.

In hoc sensu, ut patet, vocabulum *ens* sumitur ut participium verbi *esse;* proprium enim est participii significare actuale exercitium eius, quod *verbum* importat; ut, cum dicitur *amans*, exprimitur is, qui actu exercet amorem. At *ens*, ut saepe in participiis evenit, sumi potest etiam ut *nomen*. Tunc ab exercitio exsistendi abstrahit, et solum denotat id, quod illi exercitio aptum est, seu id cui actus exsistendi vel competit vel competere potest. Sic etiam accidit in voce *vivens*, quae, si accipitur ut nomen, exprimit tantum rem, quae naturam habet operationibus vitae exercendis idoneam. Et sane cum dicis: *alter mundus, a praesenti diversus, est ens*, clarum est nomine entis non aliquid iam exsistens, sed tantum aliquid, cui exsistentia non repugnat, a te significari.

3. In hoc sensu *ens*, nimirum acceptum ut nomen, latissime vagatur et dicitur de omnibus, quae quocumque modo nonnihil considerandum obiiciunt, sive actu exsistant sive non: nam ens, ut diximus, sumptum ut nomen, ab actuali exsistentia mentem abstrahit. Et quoniam forma loquutionis concretae, qua constat, importat ut sit aliquid constitutum ex *esse;* hinc ne hoc *esse* confundatur cum exsistentia, inventa est vox *essentia*, quae exprimit id quo ens est. Apposite S. Augustinus: *Sicut ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia; sic ab eo quod est esse, vocatur essentia* (1). Hinc vocabulum *esse* relictum est ad innuendam potissimum exsistentiam; et in hoc sensu quaeri solet an creaturae compo-

(1) *De Civitate Dei*, lib. 12.

nantur ex esse et essentia, de qua re inferius investigabimus. In praesentia ens latissima acceptione sumimus, quatenus nempe significat concretum essentiae sive actu exsistat sive non.

PROPOSITIONES

4. Propositio 1.ª *Notio entis est omnium communissima et simplicissima.*

Prob. Quod sit communissima evidenter patet. Nulla enim est res quae non sit ens, quaeque non alia ratione, nisi quia ens est, cogitetur. Et sane, praeter ens, non datur nisi nihil; nihil autem per se concipi nequit, sed tantum apprehenditur ut negatio entis. Quare quod est lux respectu rerum visibilium, est ratio entis respectu rerum intelligibilium. Nam quemadmodum visus nullum corpus intueri potest, nisi luce suffusum; ita mens nihil percipit, nisi quatenus rationem entis participat.

Quod autem notio entis sit simplicissima inde suadetur, quod in ipsam ceterae omnes notiones ultimo resolvantur, ipsa autem in nullam aliam simpliciorem resolvi possit. Et sane, si quis quaerat quid est homo? respondebitur *animal rationale.* Si ulterius, quid sit animal? dicetur *vivens sensitivum.* Si iterum, quid vivens? reponitur *substantia, quae se movendi interno gaudet principio.* Si denuo, *quid substantia?* additur, *ens in se exsistens.* At si amplius interrogando instet, *quid sit ens?* longius progredi explicando non poteris, nisi circulo vitioso errare velis. Nam quilibet alius conceptus feratur in medium, is implicitam semper habebit notionem entis.

5. Propositio 2.ª *Notio entis definiri proprie nequit.*

Prob. Haec propositio non est aliud, nisi corollarium praecedentis. Nam omnis definitio fit per conceptus universaliores et simpliciores. Sed notio entis, ut demonstravimus, est omnium communissima et simplicissima. Ergo definitionem proprie dictam revera non patitur.

Nec, quia proprie definiri nequit, obscura esse dicenda est. Nam id tum accidit, cum agitur de notionibus, quae non sunt per se clarae, sed aliis egent collustrari. Hoc vero locum non habet in notione entis; quae per se clarissima est, et ceteris omnibus enucleandis et collustrandis inservit. Nihilominus,

si non veram definitionem, sed qualemcumque declarationem explicandi gratia postules, dici poterit *ens* generalissime acceptum esse *quidquid aliquo modo per se et positive intelligitur*, seu *quidquid intelligibile proprie est.* Quod autem nullo modo intelligitur, ut contradictorium, aut si intelligitur, non intelligitur, proprie et per se sed improprie et per aliud, ut mera negatio; est nihilum, seu entis oppositum. In hac declaratione ens spectatur, non in se, sed in respectu quoad mentem. Quod si spectari velit in se, dici poterit *ens esse id quod vel exsistit vel exsistere potest;* ita ut si huiusmodi exsistentia nequeat esse, nisi tantum mentalis, habeatur *ens logicum* seu *rationis;* sin autem sit vel possit esse physica seu extra mentem, habeatur *ens reale.* Verum, ut quisque videt in hac definitione praesumitur notio entis, accepti tum prout est nomen, tum prout est participium; nam *id* seu *aliquid* confunditur cum ente exprimente aliquam essentiam, et *exsistit vel exsistere potest* dicit exsistentiam vel in actu vel in potentia.

6. Propositio 3.ª *Notio entis est praedicatum essentiale respectu omnium, quibus tribuitur.*

Prob. Nihil est magis intimum et essentiale cuique rei, quam esse aliquid et habere aliquam essentiam. Atqui id exprimitur notione entis. Ergo notio entis importat praedicatum essentiale rebus, quibus tribuitur.

Adverte, hoc dici de notione entis communissimi, nempe de notione entis prout sumitur ut *nomen*, non vero prout sumitur ut *participium* et significat actualem exsistentiam. Sic enim ratio entis soli Deo est essentialis; creaturis autem accidentalis. Accidentalis, inquam, non quatenus sit aliquid superadditum essentiae, tanquam essentiae modus et determinatio; sed quatenus *accidere* idem significat atque ita adesse, ut possit etiam abesse. Apposite S. Thomas: « Alia quaestio est *an est* et alia *quid est.* Unde cum omne, quod est praeter essentiam rei, dicatur accidens, esse quod pertinet ad quaestionem *an est*, est accidens. Et ideo Commentator dicit in quinto Metaphysicorum quod ista propositio: *Sortes est*, est de accidentali praedicato, secundum quod importat entitatem rei vel veritatem propositionis. Sed verum est quod hoc nomen *ens*, secundum quod importat rem, cui competit,

huiusmodi esse, sic significat essentiam rei et dividitur per decem genera (1). »

7. Propositio 4ª *Notio entis contrahitur in inferioribus notionibus non per modum compositionis, sed per modum expressioris conceptus eiusdem realitatis.*

Prob. Tunc contractio notionis universalioris fit per modum compositionis, cum differentia contrahens non intrinsecus et essentialiter constituitur per ipsam notionem contrahendam. Exempli gratia, notio *animalis* contrahitur in homine per modum compositionis, quia notio *rationalis*, quae est differentia contrahens, non est aliqua animalitas, sed nota et character plane diversus. Atqui nulla est differentia, quae intrinsecus et essentialiter non constet entitate; cum ratio entis sit praedicatum essentiale rebus omnibus, ut dictum est. Ergo notio entis non aliter contrahi potest in suis inferioribus notionibus, nisi quatenus ope additae notionis concipiatur distinctius et determinatius id, quod prius confuse et indeterminate per meram notionem entis apprehensum erat. Apposite S. Thomas: « Quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit, est ens; unde oportet quod omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens. Sed enti nihil potest addi, quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi; quia quaelibet natura essentialiter est ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur (2). » Et inferius, exemplo rem declarans, adiungit: « Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantiae exprimitur specialis modus essendi (3). »

8. Propositio 5ª *Notio entis non est generica, sed tantum analoga.*

Prob. Nomine generis illa proprie notio usurpatur, quae in eadem omnino ratione convenit speciebus; ita ut differentiae specificae, quibus notio generica determinatur, non in ipsa veluti partes contineantur, sed aliunde advocentur. Sic

(1) *Quodlibeto* II, art. 3.
(2) *Qq. Disp.* Quaestio 1 *De veritate*, a. 1.
(3) Ibidem.

conceptus *animalis* genus est, propterea quod ita variis suis speciebus (ex. gr. homini et leoni) competit, ut hae non discrepent in ipsa notione animalitatis (quae conceptu viventis sensu praediti prorsus absolvitur), sed discrepent in differentia, quae sumatur aliunde quam e notione animalitatis. Sic *rationalitas*, quae specifica differentia hominis est, non partem animalitatis exhibet, sed proprietatem longe nobiliorem, quae animalitatem perficit atque ad gradun evehit altiorem.

Id dici non potest de conceptu entis; qui ita ad singulas entium descendit classes, ut hae in ipsa ratione entis varientur. Differentiae enim, quibus notio entis determinatur, non aliunde arcessuntur, sed ipsam rationem entis participant, extra quam nihil est. Sic cum substantia differre dicitur ab accidentibus in eo, quod sit res non alteri inhaerens sed per se stans; differentia illa *per se stans* conceptum entis non egreditur. Est enim profecto aliquid quod positive intelligitur; quidquid autem positive intelligitur, conceptu entis continetur. Impossibile est igitur differentias ullas nancisci, quae extra conceptum entis reperiantur; quemadmodum ad genus habendum requiritur. Praeterea, genus proprie dictum, cum ad singulas descendit species, variari non debet vi differentiae specificae in ipsa notione generica. Sic rationalitas adiecta animalitati, non diversam efficit ipsam animalitatem; quae, in quantum talis, in homine et bruto consimilis est. Contrarium accidit notioni entis; nam differentiae, quae illam coarctant, eam variant in ipsa ratione entis. Cum enim ex. gr. ens, generatim acceptum, in ens *a se* et ens *ab alio* dividitur, illud *a se* et *ab alio* non relinquit consimilem in subiectis, quae afficit, praeviam notionem; sed eam ita intime penetrat, ut prorsus immutet. Nam entitas ipsa in ente ab alio, seu in creaturis, dependentiam dicit; in ente a se, seu in Deo, viceversa dicit independentiam. Quod non est de generibus proprie dictis; siquidem rationalitas, quae determinat hominem, non est ipsa animalitas, sed gradus altior realitatis, qua subiectum, cui convenit, informatur.

Quare conceptus entis proprie genus dici nequit. Non enim est eiusmodi, ut ipsi obiective respondeat ratio aliqua, quae aequo modo conveniat singulis entibus, et per differentias extra se sumptas determinetur. Sed notio dicenda est uni-

versalis analoga; quatenus, etsi abstractione mentis ad tantam universalitatem evehi possit, ut omnia indiscriminatim repraesentet; tamen obiective ipsi respondent diversae entitates, quae propter solam analogiam comprehendi possunt uno eodemque conceptu. Sic cum notio entis a finito et infinito praescindere atque utroque generalior esse dicitur; id non fert illis obiectis participationem ullam eiusdem perfectionis aut saltem rationis, quae aequo modo utrinque se habeat; sed importat tantum exsistentiam alicuius analogiae in realitate utriusque entis propria. Quae quidem analogia in eo sita est, quod entia finita, licet limitibus undique adstringantur, tamen reapse sint, et entitate sua, eo modo quo possunt, infinito assimilentur.

Solvuntur difficultates.

9. *Obiic.* contra ultimam propositionem. Si ens communissimum esset notio analoga respectu omnium, esset talis etiam respectu Dei et creaturae. Hoc autem dici nequit. Nam sic importare deberet notionem aliquo modo communem tum uni tum alteri; quod autem ita se habet, natura sua anterius est utroque membro. At vero repugnat ut detur ratio, quae natura sua sit anterior Deo.

R. *Conc. mai.* et *nego minorem.* Ad probationem *dist.:* Importare deberet rationem aliquo pacto communem tum uni tum alteri per essentialem dependentiam et participationem unius ab altero, *conc;* secus, *nego.* Pariter *dist.* aliam probationem: Quod ita est, scilicet quod sine dicta dependentia rationem communem duobus importat, anterius est utroque membro, *conc;* secus, *nego.*

Quamvis ens cum confuse et abstractissime concipitur, importet rationem aliquam, in qua conveniunt tum Deus tum creatura (quia etiam creatura proprie et vere est ens); tamen illa ratio dici nequit anterior utroque membro; nam uni convenit plene et per se, alteri convenit diminute et per participationem. Et sane ratio entis vi sua postulat hunc ordinem, ut primo et plene competat Deo, et inde descendat ad reliqua per habitudinem et dependentiam a Deo, cuius imitatione et influxu res omnes creatae consistunt. Ad rem S. Thomas: « Propter hanc tamen analogiam non sequitur

ens esse prius utroque, Deo scilicet et creatura, sicut prius est ens substantia et accidente, de quibus analogice dicitur. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod quando tota ratio analogica reperitur in altero eorum, de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo reperitur; tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subiectum (1). »

Instabis: Si ita esset, non possemus cogitare creaturas ut entia, nisi prius cogitaremus Deum, quemadmodum putant Ontologi. Et confirmatur. Nam analogia entis respectu Dei et creaturae esset analogia attributionis. At in hac analogia minus analogatum non concipitur nisi per respectum ad maius; sicut medicina non concipitur ut sana, nisi per respectum ad sanitatem animalis.

R. *Dist. instantiam:* Non possemus cogitare creaturas, ut entia conceptu relativo, nisi prius cogitaremus Deum, *conc;* conceptu absoluto et ab omni relatione abstrahente, *nego.* Ad confirmationem pariter *dist:* Analogia entis respectu Dei et creaturae esset analogia attributionis per participationem intrinsecam formae, *conc;* per meram extrinsecam habitudinem, *nego.*

« Observandum est, scite ait Suarez, duobus modis, generatim loquendo, posse aliquam rem denominari per attributionem ad aliam. Unus est, quando forma denominans in uno extremo tantum est intrinsece, in aliis vero solum per extrinsecam habitudinem, quo modo dicitur sanum absolute de animali, et de medicina per attributionem ad animal. Alter est, quando forma denominans intrinsece est in utroque membro, quamvis in uno absolute, in alio vero per habitudinem ad aliud, ut ens dicitur de substantia et accidente; accidens enim non denominatur ens extrinsece ab entitate substantiae, sed a propria et intrinseca entitate, quae talis est ut tota consistat in quadam habitudine ad substantiam (2). » Inter hos modos eximius Doctor considerat multiplices differentias; quarum praecipua est quod primus det locum metaphorae, at secundus importet propriam loquutionem; primus exquirat ut unum membrum definiatur per aliud, secundus

(1) Opusc. 42 *De natura generis.*

(2) *Disputationum Metaphysicarum* t. II, Disput. 28, sect. 5.

contra nequaquam. Hinc tandem ooncludit: « Ex his igitur constat, attributionem inter Deum et creaturam non posse esse prioris generis, scilicet in quo forma, ad quam fit attributio, in uno tantum est intrinsece et proprie, in aliis extrinsece et per translationem. Nam constat creaturam non denominari ens extrinsece ab entitate aut esse quod est in Deo, sed a proprio et intrinseco esse; ideoque non per tropum, sed per veritatem et proprietatem ens appellari. Item constat creaturam, ut ens est, non definiri per Creatorem aut per esse Dei; sed per esse ut sic, et quia est extra nihil. Nam si addatur habitudo ad Deum, v. gr. creaturam esse ens, quia est participatio divini esse; sic non iam definitur creatura ut ens est, sed ut tale ens est, nimirum creatum (1). »

His praeiactis, solutio propositae difficultatis facile intelligitur. Nam creatura, cum sit ens per intrinsecam entitatem, quam recepit a Deo, dupliciter cogitari potest: absolute et relative. Cogitatur absolute, cum in se inspicitur eius entitas, qua differt a nihilo; quin consideretur conditio illius entitatis aut origo aut munus. Et in hoc cogitandi modo non opus est ut prius cogitetur Deus. Contra cogitatur creatura relative, cum inspicitur eius entitas quoad characterem dependentiae, quam habet a Deo, tamquam a fonte primo, a quo procedit, et exemplari, quod imitatur. Sub hac consideratione nequit cogitari creatura, quin prius cogitetur Deus. Sed haec consideratio posterior est, non prima quae in nobis exsurgit, cum ad creaturas contemplandas convertimur. Unde hic doctrina Ontologorum non habet locum. Exemplum vero medicinae, quod afferebatur, ad rem non facit; siquidem medicina dicitur sana per extrinsecam habitudinem, non per intrinsecam participationem formae. Nullo enim modo participat sanitatem proprie dictam, quae qualitas est rei animatae, sed tantum efficaciam habet ad eam redintegrandam. At contra creaturae dicuntur entia, quia vere sunt ac in propria realitate subsistunt. Plura non addimus, sed lectorem remittimus ad citatam Suaresii disputationem; in qua huiusmodi res profunde et dilucide pertractatur.

(1) *Disput. Metaphys.* t. II, Disput. 28, sect. 3.

ARTICULUS II.

De existentia et essentia.

10. Ut supra diximus, ens sumptum ut participium, includit rationem exsistentiae; sumptum ut nomen, dicit tantum essentiam. Uterque conceptus propter sui simplicitatem et universalitatem, proprie dictam definitionem non patitur, quin circulus vitiosus incurratur. Id de essentia clarissime patet. Nam cum omnis definitio explicet quid res sit, nimirum quae sit eius essentia, quaeri et tentari nequit, nisi generalis notio essentiae in mente iam habeatur. De exsistentia vero facile persuadetur; siquidem nonnisi eius respectu essentiam realem a ficta et mere logica distinguimus. Ens enim reale, prout refertur ad essentiam, illud dicimus quod vel exsistit vel saltem exsistere potest. Unde non minus conceptus exsistentiae quam conceptus essentiae, in notionibus primigeniis et per se claris habendus est, quae definiri nec egeant nec possint.

Nihilominus si non veri nominis definitio, sed mera declaratio poscitur, exsistentia dici potest: Ultima rei actualitas in linea entis; seu: Id, quo res actu sistitur in seipsa, seu extra conceptum mentis et extra causas. Essentia autem dici potest: Id, quo ens est id, quod est; seu quo in propria natura constituitur; aut: Quo satisfit quaestioni *quid est*. Unde fit, ut soleat etiam *quidditas* nuncupari. Ad rem S. Augustinus: « Ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos iam novo nomine ab eo quod est esse vocamus essentiam, quam plerumque etiam substantiam nominamus, ita veteres qui haec nomina non habebant, pro essentia naturam nominabant (1). »

Hinc patet essentiam de omnibus dici, non modo de substantiis sed etiam de accidentibus; non modo de speciebus, sed etiam de gradibus genericis; et universim de quibuslibet, quae rationem entis participant, ac de quibus quaeri potest *quid sint*. Strictiore tamen acceptione dicitur de realitate substantiali et specifica; per ipsa enim quodvis ens primitus constituitur, et in ea fundantur cetera omnia, quae enti tribuuntur.

(1) *De moribus Manich.* lib. 2, c. 2.

11. Cum ad essentias definiendas vel explicandas, earum constituentia recensentur, afferri solent partes vel reales vel notionales. Partes *reales* appello, quae physice distinctae sunt; ut si hominis essentiam constare dicas ex corpore organico et anima rationali. Partes vero *notionales* nomino, quae notione tantum differunt et distinctione rationis, ut si hominem dicas esse animal rationale, explicando eius essentiam per genus proximum et differentiam specificam. Profecto genus non partem exprimit, quae physice distincta sit ab aliis; sed totam essentiam repraesentat, notione tamen indeterminata. Sic *animal* non solum corpus significat in homine (corpus enim per se vita et sensu caret), sed significat corpus et animam quoad perfectionem et vires quasdam dumtaxat, abstrahendo a ceteris sublimioribus viribus et gradu realitatis, quae continentur in conceptu *rationalis*, qui munere differentiae fungitur. Sed sive partes physicae, sive notionales (quae etiam metaphysicae dici solent) afferantur, semper essentia realis obiecti exprimitur et definitur.

PROPOSITIONES

12. Propositio 1.ª *Essentiae rerum sunt immutabiles, indivisibiles, aeternae.*

Prob. Sunt immutabiles, quia in convenientia notarum, quibus constant, sic sunt, ut aliter esse non possint, quin contradictoria consequantur. Sic triangulum, etsi, prout in tali materia et subiecto est, mutari possit (quatenus actione cuiusdam agentis destruatur, aliaque figura in eius locum sufficiatur); tamen quoad propriam naturam et notas, quibus coalescit, variari nequit, quin simul sit triangulum, et non triangulum, quod plane repugnat.

Indivisibiles vero appellantur, quia neque minui possunt nec augeri, quin conceptus illius determinatae essentiae perimatur. Sic cum animalis essentia in eo sita sit, ut habeatur substantia vita sensuque praedita; complexus hic notarum pro ea re ita est individuus, ut, si notam unam demis, ex. gr. sensum, iam non animal habeas, sed plantam; si aliam adiungis, ex. gr. rationem, non merum animal, sed hominem confles.

Postremo aeternae dicuntur essentiae, non quatenus sempiternam in se habuerint exsistentiam (id enim soli Deo competit); sed quatenus in se abstracte cogitatae, nimirum simpliciter prout essentiae, praescindunt a tempore, et quatenus a Deo ex aeternitate fuerunt cognitae.

13. Propositio 2.ª *Non omnes essentiae sunt nobis ignotae* (1).

(1) Haec thesis militat contra Lockium, qui ait nos non cognoscere, nisi essentias nominales. Has autem non ad rei constitutionem spectare dicit, sed opus esse dumtaxat mentis humanae, quae compendii gratia res varias ad nonnullas reducat classes et generalibus quibusdam nominibus significet. Sed bonum erit summatim innuere praecipua absurda, quae medicus anglus de argumento hoc profert, ut iudicetur quam merito philosophi nomen sit consequutus ! Is itaque in primis de definitione loquens, generatim asserit eam nihil esse aliud, nisi unius vocabuli ope plurium aliorum explicationem : « Car la définition n'étant, comme il a été dit, que l'explication d'un mot par plusieurs autres (§. 10). » Deinde ideas generales ad meras productiones mentis nostrae reducit : « Lors donc que nous laissons à part les particuliers, les généraux qui restent, ne sont que des simples productions de notre esprit, dont la nature générale n'est autre chose que la capacité, que l'entendement leur communique, de signifier ou de représenter plusieurs particuliers (§. 11). » Tum, progressus ulterius, ait essentias nil esse aliud, quam ipsas ideas abstractas : « D'où il parait clairement que les essences de chaque espèce de chose ne sont, que ces idées abstraites (§. 12). » Quarto adiungit duas species posse esse eadem ratione unam tantum speciem, sicut duae diversae essentiae possunt esse essentia unius speciei : « Car deux espèces peuvent être avec autant de fondement une seule espéce, que deux différentes essences peuvent être l'essence d'une seule espèce (§. 15). » Quinto, essentiam partitur in realem, quam confundere omnino videtur cum entis exsistentia : « Premièrement, l'essence peut se prendre pour la propre existence da chaque chose (§. 15); » et nominalem, quam ut merum figmentum scholasticorum traducit : « en second lieu, la doctrine des ecoles, s'étant exercée sur le genre et l'espèce, qui y ont été le sujet de bien des mots, le mot d'essence a presque perdu sa première signification, et au lieu de désigner la constitution réelle des choses, il a presque été entièrement appliqué à la constitution artificielle du genre et de l'espèce (ibid). » Postremo concludit essentias reales nobis esse ignotas : « Et cette constitution nous est inconnue, de sorte que, n'en ayant point d'idée, nous n'avons point de nom qui en soit le signe (§. 18.) » *Essai philos. concern. l'Entend. humain.* liv. 3, ch. 3.

Prob. Si omnes essentiae essent nobis ignotae, nullius rei immutabilem notitiam haberemus. Res enim creatae immutabiles sunt quoad essentiam, non quoad exsistentiam. Cum vero in Dei cognitionem nonnisi ex rebus creatis veniamus; mutabilitas prioris scientiae in hanc etiam derivaretur.

Praeterea, experientia constat nos saepe vel intelligentia, vel experientia sensuum, vel ratiocinio, in aliquos devenire conceptus, qui physica rerum nonnullarum constituentia satis clare et distincte repraesentant, et quibus allatae superius definitiones essentiae optime congruunt. Ergo nonnullas rerum essentias vere cognoscimus. Et sane, notio, quae hominem exhibet ut substantiam e corpore organico atque animo immateriali coalescentem, vel ut animal ratione praeditum; id revera repraesentat, quod hominem in determinato entium gradu a ceteris distincto constituit, et fons veluti est, ex quo reliqua hominis attributa scaturiunt. Idem dicatur de conceptu, quo animal cogitatur ut substantia vivens et sensu ac motu spontaneo fruens; idem de conceptu, quo substantia exhibetur tamquam ens in se exsistens; idem de notione, qua animus concipitur ut substantia simplex, quae sit primum vitae cogitationisque principium; idem de sexcentis aliis, quae commemorare non vacat.

Deinde, nisi sceptici esse volumus, fatendum est nos reales rerum differentias et discrimina cognitione pertingere, quibus naturae non paucae inter se maxime discrepant. Nam perspectum satis nobis est hominem vi intelligendi, ratiocinandi, abstrahendi, aliisque facultatibus praeditum esse, quibus omnino privatur brutum. Itemque animal sensu perfrui, quo destitutae sunt plantae; et plantas vi vegetandi gaudere, qua prorsus carent cetera inferiora corpora. Atqui certum est has rerum proprietates reales esse et ad physicam earumdem constitutionem pertinere. Non enim quia cogitamus aut loquimur, proprietates istae illis insunt, et differunt inter se; sed contra, quia insunt et differunt, idcirco eas sic esse perspicimus et asserimus. Ratione igitur horum attributorum (idem dic de aliis), quae nobis comperta sunt, substantiam unam a reliquis iure secernimus, concipimusque ut realitatem, quae eorumdem sit subiectum et radix. Quamdam igitur realis constitutionis rerum nonnullarum cognitio-

nem habemus, quae id quod nomine essentiae usurpatur, nobis exhibet (1).

Denique, ut ex iis ipsis, quae Lockius statuit, doctrinam eius coarguamus, sic ratiocinari possumus: Si, Lockio fatente, essentias rerum per genus et differentiam explicamus; earum realitatem vere dignoscimus. Genus enim et differentia non sunt, ut ipse insinuat, opus inane mentis nostrae, sed sunt notiones universales et abstractae, quae idipsum, quod in rebus est, cogitandum offerunt, sola eius individuatione neglecta. Sic notio generica animalis, quae substantiam exhibet vita et sensu praeditam, id refert, quod in ente, eo nomine designato, reapse inest. Opus autem mentis in hoc cernitur, quod obiectum universaliter repraesentetur, et praecisa aliqua proprietate essentiali, quae deinceps ad speciem concipiendam instar differentiae adiungitur. Sed hoc non destruit nec immutat elementum vere obiectivum, quod in idea illa continetur, et quod cum rebus ipsis a mente cogitatis convenit.

ARTICULUS III.

De distinctione essentiae ab exsistentia.

14. Valde subtilis et ardua exsistit hinc quaestio, utrum essentia actualis in creaturis distinguatur necne realiter ab exsistentia. Pro utraque parte gravissimi militant scriptores; nam, ut de ceteris sileam, pro prima stat S. Thomas, pro secunda Suaresius.

(1) Fateor equidem id de omnibus dici non posse, et innumeras esse naturas, quae nos latent omnino. Quis enim tantum sibi arrogat, ut omnium peculiarium specierum animantium aut plantarum, aut corporum, naturas distincte explicare se posse arbitretur? Fateor etiam nos quoad determinatas substantiarum essentias in praesenti vita non adipisci notitiam intuitivam et a priori, sed arguitivam ed a posteriori. Non enim essentias nude in seipsis et independenter a phaenomenis contuemur, sed eas dignoscimus ope proprietatum et accidentium, quibus vestiuntur, aut per effectus quos ut causae progignunt. Verum haec non vetant quominus de nonnullis substantiis vere distincteque essentias cognoscamus, licet per respectum ad proprietates et actiones et phaenomena, quorum quidditatem immediate intelligimus.

Argumentum potissimum, quo innititur Angelicus Doctor, est quia solus Deus habet esse irreceptum et est purus actus in ratione entis. E contrario, creaturae omnes ab illa maxima simplicitate deficiunt, atque idcirco in ipsa ratione entis constant ex potentia et actu. Potentia erit essentia, qua constant tanquam ex eo, quo sunt id quod sunt; actus est exsistentia, qua constant tanquam ex eo, quo extra causam sunt seu exsistunt. Hinc efficitur ut solus Deus exstet vi propriae essentiae, et sit suum esse, nimirum suum exsistere; cetera vero exstent virtute divina, et exsistentiam participent. Itemque sequitur, ut solus Deus sit actualissimus et dicat infinitam perfectionem; quippe exsistentia est actualitas omnis formae vel naturae, et contrahi nequit nisi per receptionem in aliqua potentia a se distincta (1).

15. Contra, argumentum praecipuum Suaresii est, quia essentia, de qua loquimur, debet esse essentia actualis et producta, non essentia mere possibilis, quae solum est in conceptu mentis. At vero essentia actualis et producta constare profecto debet aliqua entitate vera et reali, qua intrinsecus constituatur, et quae ab ipsa non differat: repugnat enim ut res intrinsecus constituatur per aliquid a se diversum. Haec autem entitas, qua essentia constat, unum idemque est cum exsistentia; nam per se constituit rem extra conceptum mentis et extra causam effectricem; secus essentia realis et physica non distingueretur ab essentia possibili, quae est in mera potentia obiectiva. Et sane si essentia dicitur actualis, actu est; actu autem esse et exsistere idem sonat. In creaturis igitur re non differt exsistentia ab essentia, quae actu est; sed solum differt ab essentia possibili, quae mente concipitur et eget actione causae ut exsistens efficiatur. Ratio autem cur esse creaturae dicitur receptum, et concipitur tamquam distinctum ab essentia, est quia creatura, cum non habeat a se entitatem suam, sic est ut possit non esse; quod de Deo dici nequit (2).

(1) Vide Opusc S. Thomae, *De Ente et Essentia*, et *Summam th.* 1. p. q. 3, et *Contra Gentes*, lib. 2, c. 52. Vide etiam Silvestrum Mauri, *Qq. philos.* t. 2, q. 6.

(2) Vide eius *Disputationes Metaphysicas*, t. 2, Disput. XXXI.

16. Harum sententiarum quae magis arridet, seligat lector. Ad me autem quod pertinet, quamvis aliquando posteriori adhaeserim, postea tamen, re melius perpensa, in superiorem abivi. Atque ad id duplici potissimum ratione motus sum. Primum, auctoritate S. Thomae; cuius doctrinae partes, saltem praecipuae, adeo connexae sunt inter se, ut si unam removeas, ceterae omnes vacillent. Quod autem haec sententia sit ex punctis non levis momenti doctrinae eius, apparet tum quia S. Doctor ipsam saepissime inculcat, tum quia inde desumit plerumque argumenta ad perfectiones praesertim divinas demonstrandas. Secundo, motus sum debilitate argumentationis contrariae. Haec enim aequivocationes nonnullas continere videtur, quae si distinguantur, vim omnem amittent. Ad eas vero tollendas sequentes animadversiones subiicio.

I. Duplici modo aliquid dici potest *actuale:* vel quia actus est, vel quia informatur ab actu. Ergo non repugnat ut essentia actu sit, et tamen distinguatur realiter ab exsistentia; nam actu erit per exsistentiam, a qua completur; non per seipsam, quasi ipsamet sit actus, a quo actualis denominatur. Quod si omnino ipsa per se dici velit actualis, id intelligi poterit per comparationem ad essentiam possibilem; quae dicit potentiam mere obiectivam, et respectu cuius essentia realis et producta considerari potest ut actus, licet sit potentia respectu exsistentiae.

II. Ex eo, quod essentia distinguatur ab exsistentia, non sequitur confusio eiusdem cum essentia mere possibili, quae est in conceptu mentis. Nam haec est potentia mere obiectiva, quae considerari potest etiam in ipsa exsistentia; siquidem ipsa exsistentia creata, antequam creetur, est tantum possibilis. At essentia realis producta dicit potentiam non obiectivam sed subiectivam, quae exsistentiam recipit tanquam actum, a quo completur in linea entis.

III. Id quod proprie producitur et per productionem sistitur in se extra conceptum et causam, est non sola essentia, nec sola exsistentia, sed compositum ex utraque. Nam licet, ut observat S. Thomas, actio productiva efficiat non modo exsistentiam sed etiam essentiam (« Ex hoc ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse sed ipsa quidditas creari dicitur (1) »); tamen utramque efficit non ut duas res, sed ut

(1) *Qq. Disp.* Quaestio III *De potentia*, art. 5 ad 2.m

unam, quae constet duobus elementis, tamquam actu et potentia.

IV. Essentia realis et physica constat profecto entitate propria, qua differt a nihilo et consequenter ab essentia mere possibili, quae physice nihil est. At hinc non sequitur ut hoc ipso sit idem atque exsistentia. Nam exsistentia dicit actum; inter actum autem et nihil media est potentia; potentia, inquam, non obiectiva sed subiectiva, nimirum subiectum quod idoneum est ad recipiendum actum sibi consentaneum. Donec igitur probetur respectu ipsius *esse* non dari actum et potentiam realem et physicam, nihil conficitur argumentando. Optime enim respondebitur essentiam productam habere per se entitatem veram, quae diversa sit a mera obiectivitate rei, sed entitatem physice potentialem, quae vi exsistentiae ad ultimam actualitatem adducitur in linea entis.

V. Nec tamen idcirco sequitur posse saltem divina virtute separari essentiam ab exsistentia; quin hoc ipso utraque in nihilum redigatur. Nam effectus formalis nequit superesse in subiecto, remota forma, seu remoto actu a quo effectus ille formalis procedit. Sic licet figura rotunda distinguatur a cera, exempligratia, quam informat; nihilominus repugnat ut, ea sublata, rotunditas permaneat in subiecto. Existere autem est formalis effectus exsistentiae, nec nisi in essentia exerceri potest. Repugnat igitur tum ut essentia perduret sine exsistentia; tum ut exsistentia servetur sine essentia, ad quam necessario refertur. Qua in re observandum est, ad exsistendum non sufficere ut aliquid constituatur extra causam, tamquam potentia receptiva actus essendi, sed opus esse ut constituatur extra causam tamquam aliquid actuale et completum in linea entis; sive sit tale quia recepit actum, sive quia per se est actus irreceptus. Actus autem irreceptus non est nisi Deus; creaturae contra in ratione entis constant ex actu et potentia.

VI. Denique essentia tota possidetur a creatura iam ab initio suae productionis, non item exsistentia. Illud quidem, quia essentia est indivisibilis; aliud vero quia exsistentia quodammodo extenditur propter successivam durationem. Id vero concipi non posset, nisi altera distingueretur ab altera.

17. Atque hinc optimus ordo rerum manifestatur. Nam sic solus Deus omnimodam simplicitatem exhibebit in ratione

entis, utpote qui est ipsa exsistentia subsistens. Corpora e contra maxime recedunt a simplicitate; siquidem non modo constant ex essentia et exsistentia, sed etiam in ipsa essentia compositionem includunt. Medio modo se habent creaturae spirituales; quae etsi simplices sint quoad essentiam, tamen coalescunt ex essentia et exsistentia.

18. Denique obiter notamus mirum non esse si tam difficilis conceptu sit huiusmodi compositio; nam est compositio sui generis, quae nullam comparationem retinet cum aliis compositionibus, et respicit elementa maxime simplicia, nempe ad ipsam rationem entis, quae prima omnium est, pertinentia. Tota igitur quaestio reducitur ad hoc, utrum extra Deum admittenda sit necne quoad ipsum esse, physice et realiter consideratum, compositio ex actu et potentia. Ordo rerum et excessus simplicitatis, qui divinae naturae competit respectu entium creatorum, persuadere videntur partem affirmativam. Contra, pars negativa non aliud argumentum revera habet, nisi magnam difficultatem, quam notio huius compositionis praesefert. Sed difficultas intelligendi aliquid, nunquam mihi visa est ratio sufficiens ad illud repudiandum.

ARTICULUS IV.

De actu et potentia.

19. Ut ex praecedenti articulo potissimum apparet, nequimus loqui de rebus, quin frequenter occurrant voces *actus* et *potentiae*. Neque id mirum videri debet; siquidem omne ens aut est actus, aut potentia, aut ex utroque compositum. De his igitur notionibus aliquid breviter innuemus.

Primum, potentia et actus usurpari possunt ad innuendum statum possibilitatis et exsistentiae, quatenus aliqua res, antequam exsistat, dicitur esse in potentia, et cum exsistentiam induit, dicitur reduci ad actum. Potentia, sic intellecta, non est realis sed logica et vocari solet etiam obiectiva, propterea quod res possibilis est obiectum virtutis causae, quae ipsam ad exsistentiam adducit. De huiusmodi potentia loquemur inferius, cum de interna vel externa rerum possibilitate tractabimus. Hic agendum est dumtaxat de potentia reali et subiectiva, quae in se aliquid physice sit, et ut talis referatur ad actum.

Potentia, hoc sensu accepta, dividitur in activam et passivam, prout diversimode respicit actum. Nam nomen *actus* usurpatum primitus fuisse videtur ad significandam operationem. At, quoniam operatio procedit ex *esse* operantis et tendit ad producendum *esse* effectus; hinc nomen actus extensum est ad denotandum etiam ipsum principium constitutivum illius *esse*, quod principium *forma* nuncupatur. Consequenter potentia, quae respectum dicit ad actum, dupliciter nominata est; prout nempe consideraretur quoad actum sumptum pro operatione, aut quoad actum sumptum pro formali principio. In primo sensu appellata est activa; in altero, passiva. Ad rem S. Thomas: « Potentia dicitur ab actu; actus autem est duplex: scilicet primus, qui est forma, et secundus qui est operatio. Et sicut videtur ex communi hominum intellectu, nomen actus primo fuit attributum operationi; sic enim quasi omnes intelligunt actum. Secundo autem exinde fuit transmissum ad formam, in quantum forma est principium operationis et finis. Unde et similiter duplex est potentia: una activa, cui respondet actus qui est operatio, et huic primo nomen potentiae videtur fuisse attributum; alia est potentia passiva, cui respondet actus primus qui est forma, ad quam similiter videtur secundario nomen potentiae devolutum. Sicut autem nihil patitur nisi ratione potentiae passivae; ita nihil agit nisi ratione actus primi, qui est forma (1). »

Iamvero potentiae passivae respondet actus, ipsam informans; activae respondet actus, ab ipsa dimanans. Hinc potentia activa dicit perfectionem; perfecti enim est posse operari; potentia passiva dicit imperfectionem; siquidem imperfecti est recipere formam, a qua compleatur. Iterum S. Thomas: « Unumquodque, secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius. Patitur autem unumquodque, secundum quod est deficiens et imperfectum (2). »

Actus, qui est forma, dicitur actus primus; alium enim ante se non subaudit, sed tantum potentiam, cui tribuit primum esse. Actus contra, qui est operatio, dicitur actus se-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio I *De potentia Dei*, art. 1.
(2) *Summ. th.* I. p. q. 25, art. 1.

cundus; fluit enim a forma, quae, ut diximus, est primus actus.

Actus primus dividitur in *subsistentem* et *non subsistentem*. Ille est, qui solus in se exsistere potest, ut Angelus et anima rationalis; alter vero est, qui solus stare nequit per se, sed subiecto indiget ad exsistendum, ut principium vitale plantarum aut etiam anima brutorum animantium.

Actus subsistens dividitur rursus in *complete subsistentem*, qualis est Angelus, qui ita est in se, ut in nulla potentia recipi possit; et *incomplete subsistentem*, qualis est anima humana, quae ita per se exsistere potest, ut tamen ad informandam potentiam, nempe corpus organicum, dicat ordinem.

PROPOSITIONES

20. Propositio 1.ª *Potentia definiri non potest, nisi per actum; actus vero nullo modo definiri potest.*

Prob. prima pars. Quod, totum quantum est, ordinatur ad aliud, ab eoque speciem desumit, nonnisi per ipsum definiri potest et declarari. Atqui potentia, tota quanta est, ordinatur ad actum et ab actu speciem desumit. Ergo nonnisi per actum definiri potest et declarari. Sic in corporibus materiam definiemus per formam, et in anima facultates operandi per actiones quas eliciunt.

Prob. secunda pars. Conceptus simplicissimus, ac proinde universalissimus, definiri non potest; quia non potest in alium simpliciorem conceptum, ac proinde universaliorem, resolvi. Atqui eiusmodi est conceptus actus, qui latissime extenditur prout extenditur ens; nam ubicumque consideratur ens, considerari potest vel actus vel potentia, et ubi adest potentia eidem respondet actus. Ergo conceptus actus definiri non potest, sed per se menti patet. Potest tamen declarari exemplis; ut si ex figura inducta in marmore, et ad quam marmor erat in potentia, explices quid sit actus, asserens ipsum esse id, quo res sub aliqua perfectione constituitur, seu fit actu quod esse poterat. Haec autem, ut quisque videt, non est veri nominis definitio, sed mera illustratio. Ad rem S. Thomas: « Prima simplicia definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem de pri-

mis simplicibus est; unde definiri non potest. Sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem potest videri quid est actus. Ut si accipiamus proportionem aedificantis ad aedificabile, et vigilantis ad dormientem, et eius qui videt ad eum qui habet clausos oculos, cum habeat potentiam visivam, et eius quod per operationem artis vel naturae formatur (1). »

Hinc consequitur ut actus notior sit potentia, et quoad rationem anterior. Nam ignotum per notum definitur, et quod consequitur per id quod intellectu praecedit. Potentia autem, ut diximus, definitur per actum, non viceversa. Iterum S. Thomas: « Id per quod oportet alterum definiri, est prius eo ratione. Sed potentia non potest definiri, nisi per actum. Nam primum ratio possibilis in hoc consistit, quod convenit ipsi agere vel esse in actu, sicut aedificator dicitur quod potest aedificare, et speculator quod potest speculari, et visibile quod potest videri, et sic de aliis. Ergo est necessarium quod ratio actus praecedat rationem potentiae, et notitia actus notitiam potentiae (2). »

21. Propositio 2.ª *Omne ens mutabile constat ex actu et potentia; ens vero prorsus immutabile nulli potentiae miscetur sed est purus actus.*

Prima pars patet. Nam ratio mutationis in hoc sita est, quod subiectum aliquid recipiat, quo prius carebat; vel aliquid amittat, quo prius ornabatur. Sed id, quod recipitur et ornat, est actus; id, quod recipit et ornatur, est potentia. Ergo omne ens mutabile, hoc ipso quod est mutabile, constat potentia et actu.

Altera pars non minus apparet, ob rationem oppositam. Nam, mutari non posse, idem est ac nihil posse recipere vel amittere. Hoc autem idem sonat, ac nullam habere potentiam; intellige *passivam*, haec enim ad recipiendum ordinatur. Ens igitur huiusmodi solo constat actu, sine ulla admixtione potentiae. Quod sane non competit, nisi Deo, qui omnino immutabilis est; creaturae enim, cum mutabiles sint vel quoad exsistentiam vel saltem quoad operationem, necessario constant ex actu et potentia.

(1) *Metaphysicorum*, lib. 9, lect. 5.
(2) Ibidem.

Hinc pulcherrime, ut solet, S. Augustinus infert solum Deum proprie esse; siquidem creaturae ita sunt, ut sub aliquo respectu non sint, in quantum nempe mutari possunt: « Res quaelibet prorsus, qualicumque excellentia sit, si mutabilis est, non vere est; non enim est ibi verum esse, ubi est et non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat; si non est quod erat, mors quaedam ibi facta est; peremptum enim est aliquid ibi, quod erat et non est. Nigredo mortua est in capite albescentis senis, pulcritudo mortua est in corpore fessi et incurvi senis, mortuae sunt vires in corpore languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in corpore stantis, mortua est ambulatio et statio in corpore iacentis, mortua est loquutio in lingua tacentis; quidquid mutatur et est quod non erat, video ibi quamdam vitam in eo quod est, et mortem in eo quod fuit. Denique de mortuo cum dicitur: Ubi est homo ille? respondetur: Fuit. O veritas, quae vere es (1)! »

22. Propositio 3.ª *Licet in ente ipso, quod successione mutatur, potentia tempore praecedat actum; tamen absolute actus, natura saltem, praecedit potentiam.*

Prima pars demonstratione non eget. Perspicuum enim per se est, id quod ab uno statu transit ad alium, prius esse in potentia ad actum illum, in quem transit. Sic homo, qui ex insciente fit sciens, est ante in potentia ad scientiam, quam deinde adipiscitur.

Secunda pars facile persuadetur. Cum enim nihil det, quod non habet; nisi praeexsistat, prioritate saltem naturae, causa actu habens realitatem communicandam subiecto, nequit assignari ratio plene sufficiens, ex qua perfectio illa procedat. Apposite S. Thomas: « Quamvis id, quod quandoque est in potentia, quandoque in actu, prius sit tempore in potentia quam in actu; tamen simpliciter actus est prior potentia, quia potentia non educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid, quod sit actu. Omne igitur quod est aliquo modo in potentia, habet aliquid prius se (2). »

Hinc evidentissime sequitur, creaturas omnes, cum constent actu et potentia et de potentia reductae sint et iugiter re-

(1) *In Ioannis Evangelium,* tractatu XXXVIII, n. 10.
(2) *Contra Gentiles*, l. I, c. 16.

ducantur in actum, necessario habere prius se aliquod ens quod sit tantum in actu, quodque virtute sua eminenter contineat perfectiones omnes, quae factae sunt, aut fiunt, aut fieri possunt. Hoc autem ens est Deus.

Solvuntur difficultates.

23. *Obiic.* I. Falsum est potentiam definiri non posse, nisi per actum. Nam quod per se cognoscitur, per se etiam definiri potest. Atqui potentia per se cognoscitur; siquidem habet propriam realitatem, independenter ab actu. Ergo etc.

R. *Nego* primam propositionem. Ad probationem *transmitto maiorem,* et *nego minorem.* Cuius probationem distinguo: Potentia habet propriam realitatem potentialem, *conc;* actualem, *subdist:* Si non sit pura potentia, instituta propter actum, sed habeat aliud munus cuius respectu sit actus, *conc;* si sit pura potentia, instituta propter actum, *nego.*

Unumquodque cognoscitur prout est. Potentia autem, in quantum potentia, essentialiter refertur ad actum, et non aliud obiicit nisi capacitatem evadendi id, quod ipsi actus confert. Quare intime unitur actui, cum eoque fit unum per se. Hinc non aliter cognosci potest, nisi per relationem ad actum. Nihilominus dantur aliqua, quae per se actum dicunt, licet adiunctam habeant potentiam respectu alterius actus. Exemplo sit quantitas; quae reapse actus est respectu substantiae corporeae, quam extendit in partes; et tamen capax est induendi figuram ceterasque qualitates sensibiles, quae proprie insunt quantitati, et media quantitate afficiunt substantiam. Res huiusmodi, merito possunt cognosci per se, quatenus nempe sunt actus; quamvis, prout dicunt potentiam, non cognoscantur nisi per relationem ad actum. Sic quantitas cognoscitur quidem per se, prout est accidens extensivum substantiae; at, quatenus est figurabilis, non cognoscitur nisi per ordinem ad figuram, quam suscipere potest.

Obiic. II. Deus non est actus. Nam actus dicitur ratione potentiae; Deus autem non dicitur ratione alterius.

R. *Distinguo:* Deus non est actus in sensu relativo, *concedo;* non est actus in sensu absoluto, *nego.*

Actus dupliciter intelligi potest: respective et absolute. Primo modo ordinem includit ad potentiam, a qua vel elicia-

tur, si est operatio, vel recipiatur, si est forma. Secundo modo nullum ordinem dicit, sed solum contradistinguitur a potentia eique opponitur. Sic sumptus actus optime affirmatur de Deo, qui totus, quantus est, actu est et nullo modo in potentia, sive respectu exsistentiae sive respectu operationis. Unde ad hoc significandum, dici solet Deus esse totus actus et purus actus. Nec vero obstat quod Deo etiam potentia tribuatur; nam potentia, quae tribuitur Deo, est prorsus activa et nullo modo passiva. Potentia autem activa, in quantum talis, non opponitur actui, sed emergit ab actu. Ad rem S. Thomas: « Potentia activa non dividitur contra actum, sed fundatur in eo; nam unumquodque agit, secundum quod est actu. Potentia vero passiva dividitur contra actum; nam unumquodque patitur secundum quod est in potentia (1). »

ARTICULUS V.

De unitate.

24. Nomine proprietatum entis, generatim inspecti, ea intelliguntur attributa, quae consequuntur omne ens, eiusque notitiam sub aliquo respectu perficiunt. Unde simul cum ente notiones dicuntur transcendentales; quia ad omnia rerum genera se porrigunt. Hae autem proprietates quinario numero recenseri solent; nimirum: *Res, unum, aliquid, verum, bonum* (2). Sed *res* fere nihil differt ab *ente; aliquid* vero

(1) *Summa th.* I. p. q. 52, a. 1.

(2) Huius partitionis dilucida ratio affertur a S. Thoma; qui postquam dixit enti propter suam universalitatem nihil posse addi tanquam alienum, sed tantum tamquam modum qui mero conceptu entis non exprimitur, sic pergit: « Quod dupliciter contingit: uno modo, ut modus expressus sit aliquis specialis modus entis. Sunt enim diversi gradus entitatis, secundum quos accipiuntur diversi modi essendi; et iuxta hos modos accipiuntur diversa rerum genera. Substantia enim non addit supra ens aliquam differentiam, quae significat aliquam naturam superadditam enti; sed nomine substantiae exprimitur quidam specialis modus essendi, scilicet per se stans; et ita in aliis generibus. Alio modo ita, quod modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens, et hic modus dupliciter accipi potest: uno modo, secundum quod consequitur omne ens in se; alio modo, secundum quod consequitur unum-

fere nihil differt ab *uno*. Ergo si velimus unice considerare proprietates entis potiores; eas ad tres commode revocare possumus: unitatem, veritatem, bonitatem. Quod sic demonstramus. Proprietas entis nequit esse aliquid reale et positivum ab ipso ente distinctum. Id enim omnino repugnat; conceptus siquidem entis, utpote maxime universalis, omnia complectitur. Ergo cum entis attributa quaeruntur, non quaeritur positio et realitas ab ipso ente distincta eique quodammodo superaddita. Contra vero nec quaeritur aliquid mere a mente confictum. Quia quidquid tale est, id in rebus non invenitur, sed mente dumtaxat cogitatur; cum contra aliqua adsint quae cuilibet enti, remota mentis consideratione vel fictione, competunt; ut de tribus recensitis satis superque constat. Etenim, etsi mens nihil de rebus cogitet, tamen quaelibet res in se vera est, bona est, unitate gaudet. Cum igitur entis attributa ex una parte esse non debeant aliquid mere fictitium, ex alia vero esse non possint aliquid ab ipso ente distinctum; restat ut sint vel aliqua negatio cuilibet enti communis, vel respectus et relatio ad aliquid, cum quo omnia

quodque ens in ordine ad aliud. Si primo modo, hoc dicitur quia exprimit in ente aliquid affirmative, vel negative. Non autem invenitur aliquid affirmative dictum absolute quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur; et sic imponitur hoc nomen *res,* quod in hoc differt ab ente, quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem, sive essentiam entis. Negatio vero, quae est consequens omne ens absolute, est indivisio: et hanc exprimit hoc nomen *unum,* nihil enim est aliud unum, quam ens indivisum. Si autem modus entis accipiatur secundo modo, scilicet secundum ordinem unius ad alterum, hoc potest esse dupliciter: uno modo secundum divisionem unius ab altero; et hoc exprimit hoc nomen *aliquid;* dicitur enim aliquid quasi aliud quid. Unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se; ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum. Alio modo, secundum convenientiam unius entis ad aliud. Et hoc quidem non potest esse, nisi accipiatur aliquid, quod natum est convenire cum omni ente: hoc autem est anima, quae quodammodo est omnia, ut dicitur in 3 *de Anima.* In anima est vis cognoscitiva et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen *bonum.* Unde in principio Ethicorum dicitur: bonum est quod omnia appetunt. Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen *verum;* omnis enim cognitio perficitur per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam. » *Qq. disp.* Quaestio *De veritate,* a. 1.

entia comparari possint. Atqui nulla alia negatio in quolibet ente consideranda offertur, nisi vacuitas divisionis (omne enim ens in se divisum non est, licet a ceteris divisum sit); nullus respectus cuilibet enti communis adest, nisi is quem entia quaeque ad vim cognoscendi et ad vim appetendi habent (siquidem ab aliquo intellectu omne ens vel cognoscitur vel saltem cognosci potest, omnisque realitas ab aliqua voluntate vel iam diligitur vel certe diligi potest). Ergo haec tria tantum ut affectiones entis considerari possunt; videlicet eius indivisio, relatio ad intellectum, relatio ad voluntatem. Iam vero horum primum exprimit unitas, alterum veritas, tertium bonitas. Haec igitur tria: unitas, veritas, bonitas, tanquam generalissimae entis proprietates iure habentur. A prima itaque incipiamus.

25. Unitas opponitur multitudini et definiri potest *carentia divisionis*, seu notio enti attributa quatenus ens indivisum in se est. Ad rem S. Thomas: « Unum non addit supra ens nisi negationem divisionis; non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa; est enim unum idem quod ens indivisum (1). » Et sane nos per divisionem intelligimus, unum ens fieri plura; ut si ulnam dividas in quatuor partes. Ergo ex opposito non possumus melius concipere entis unitatem, quam negatione divisionis.

26. Hinc perspicis unitatem propriam esse non modo rerum simplicium, sed etiam compositarum; siquidem non solum quae partibus carent, verum etiam quae partibus constant indivisa sunt; nec aliter, nisi quatenus corrumpuntur, a propria indivisione discedunt. Attamen prestantiori modo unitas simplicibus competit. Etenim res simplices non modo indivisae sunt, verum etiam indivisibiles; contra res compositae indivisae sunt actu sed non potentia, cum in partes, quibus constant, dispesci possint. Sic *unum* dicimus hominem, *unam* plantam, *unum* conclave.

Prima igitur unitatis partitio esse potest in unitatem simplicitatis et unitatem compositionis. Illa confunditur cum ipsa indivisibilitate rei; et maxima est, quando res non modo partibus caret, sed pars esse nequit ullius compositi. Haec propria est solius Dei; cetera enim simplicia creata vel ad

(1) *Qq. Disp.* Quaestio IX *De potentia*, a. 7.

substantiam unam efformandam dicunt ordinem, vel saltem modificationibus quibusdam afficiuntur. Sic Angeli, licet simplicem naturam habeant, tamen cognitiones appetitionesque a sua substantia distinctas in se suscipiunt. Anima vero humana non modo similibus modificationibus subiacet, sed etiam ad corpus informandum dicit ordinem. Unitas denuo dividi potest in unitatem *per se* et unitatem *per accidens*. Unitas *per se* spectat ad primum esse actuale rei; contra unitas *per accidens* respicit esse secundarium, quod accedit substantiae iam constitutae. Sic *unum per accidens* dicitur exercitus, qui resultat ratione ordinis, quo inter se milites colligantur; et *unum per accidens* dicitur acervus, qui resultat ex congregatione confusa partium. Contra substantia simplex est *unum per se;* et *unum per se* est etiam substantia composita, cuius elementa conveniunt ad constituendam primam rei exsistentiam, et intrinsecus se mutuo complent.

Considerari etiam potest unitas numerica, unitas specifica, unitas generica, unitas analogica; prout res, de qua agitur, non dividitur in plura numero, ut *Petrus;* aut in plura specie, ut *homo;* aut in plura genere, ut *animal;* aut in plura quoad analogiam, ut *ens*.

27. Cum unitas negatione divisionis constet, et multitudo divisionem sequatur; quaeri potest quo ordine hi conceptus se habeant inter se. Quam quaestionem optime resolvit S. Thomas sic inquiens: « Oportet quod divisio sit prior unitate, non simpliciter sed secundum rationem nostrae apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita. Unde definimus punctum, *cuius pars non est,* vel *principium lineae*. Sed multitudo, etiam secundum rationem, consequenter se habet ad unum: quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utrique divisorum attribuimus unitatem: unde unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis; ita quod primo cadit in intellectu *ens*, secundo quod hoc ens non est illud ens, et sic secundo apprehendimus *divisionem*, tertio *unum*, quarto *multitudinem* (1). »

(1) *Summa th.* I. p. q. XI, art. 2. ad 4.m

28. Huc revocanda est identitas, quae in unitate fundamentum habet; siquidem quidquid est unum, cum sibi ex necessitate conveniat, *idem* est sibi ipsum. Definiri autem potest: *convenientia rei cum seipsa;* et obiectis attribuitur per denominationem ab actu mentis, quae rem consideratione sua quodammodo geminat, ipsamque cum seipsa confert.

Ad identitatis partitionem quod attinet, ea primum dispescitur in physicam et moralem. Illa habetur cum ens idem dicitur, eo quod eius physica realitas perseverat; sic animus perpetuo vivens perpetuo erit sibi idem. Moralis vero vocatur identitas, cum ens sibi constat quoad existimationem, etsi physica eius constituentia varientur, aliaque loco aliorum sensim sine sensu succedant, ita ut mutatio considerationem effugiat. Sic accidit in societatibus, quae vocantur *corpora moralia*, et in ipsis corporibus physicis, quae licet natura vel arte decursu temporis pedetentim ex integro instaurentur; nihilominus morali existimatione censentur eadem. Deinde, dividitur identitas in essentialem et accidentalem, prout ens in essentialibus vel accidentalibus sibi consonat permanetque. Tertio, cum convenientia istaec spectari possit vel quoad notiones genericas, vel quoad constitutiva specifica, vel denique quoad determinationes numericas individuamque rei entitatem; identitas partienda est etiam in genericam, specificam et numericam. Sic inter hominem et belluam generica, inter diversos homines specifica, inter unum hominem et seipsum numerica identitas intercedit. Denique identitas alia est realis, alia rationis; quarum prima habetur cum ens sibi est idem quoad rem ipsam; altera vero cum non modo re, sed etiam conceptu sibi congruit.

29. Cum notionibus unitatis atque identitatis, conceptus etiam nectitur similitudinis, quae semper in aliqua unitate vel identitate fundatur. Est autem similitudo concordia distinctorum; atque ideo ibi viget, ubi entia numero differentia in aliqua perfectione vel charactere conveniunt. Nihilominus frequentior tulit usus ut similia ea strictius dicerentur, quae vicissim in qualitate consentiunt, ut duo corpora albedine suffusa; quae autem in quantitate consonant, ea proprie non similia sed aequalia nuncuparentur, ut duo metalla eiusdem ponderis vel mensurae.

30. Qua in re, cum de similitudine facta mentio sit, silentio premi nequit celebris inter Leibnitium et Clarkium exorta contentio: utrum duo entia inveniri possint perfecte similia, seu quae solo numero discrepent (1). Id vehementer negabat Leibnitius; unde hoc principium statuit: *fieri non posse ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo exstent.* Affirmabat vero Clarkius; nullam siquidem hac in re adesse repugnantiam contendebat. Nos Clarkio adstipulandum censemus. Id enim fieri a Deo potest, quod intrinsecus non habet repugnantiam; nullam autem hic esse repugnantiam ipse Leibnitius fatebatur.

Nec argumenta de carentia rationis sufficientis pro utrisque entibus in diverso loco sistendis, aut de experientia in omnibus dissimilitudinem aliquam patefaciente (quibus ille ad hypothesim suam utebatur) evincunt aliquid. Nam in primis falsum est, entia hoc ipso quod eodem loco sistantur, non posse invicem discerni; alia est enim discretio localis, alia discretio entitativa. Deinde individua loci determinatio non a natura rei quae conditur, sed a supremi Conditoris pendet libertate. Quare ut Dei voluntas, cum ens aliquod creat, in tali loco prae alio ipsum constituit, licet alibi collocare potuerit; sic si novum ens conderet superiori prorsus consimile, ipsum in alio distincto loco (quod pro primo facere poterat) constitueret. Unde huius diversae collocationis *ratio sufficiens* in libertate ipsa divina continetur; nullus enim determinatus locus cum essentia ullius creaturae necessario connectitur. Ad experientiam vero reponimus, ipsam, non esse tanti, ut ad omnia in orbe exsistentia se porrigat, et quamvis porrigeretur, impossibilitatem tamen oppositi non ostenderet. Non enim quod non est, id continuo fieri non posse convincitur; siquidem a *non esse* ad *non posse,* ut fert proverbium, non datur illatio.

31. Identitati opponitur distinctio, quae esse potest vel *realis,* vel *rationis.* Prima, ubi una et simplex viget entitas, non reperitur; importat enim ut una res non sit alia, licet fortasse unita sit et etiam non separabilis. Bifariam autem potest dividi: in distinctionem *substantialem* et in distin-

(1) *Recueil de lettr. entre Leib. et Clarke.* Op. Leibnitii, Tom. II, Editio. Genevensis.

ctionem *accidentalem* vel etiam *modalem*. Illa viget inter substantias numero saltem separatas, ex. gr. *duos lapides;* vel inter principia substantiam compositam constituentia, quorum unum entitate sua non est aliud, pone *animum humanum* et *corpus*. Appellari autem debet *adaequata,* si eorum, quae distinguuntur, unum non sit pars alterius, ex. gr. si sumas duos individuos homines; inadaequata vero, si unum instar partis ad aliud efformandum concurrit, ut si animum humanum cum toto homine compares. Accidentalis autem, et modalis distinctio ea dicitur, quae intercedit inter substantiam eiusque accidentia aut modificationes, vel etiam inter unum accidens et aliud, aut inter accidens et eius modificationem. Sic inter ceram eiusque extensionem *accidentalis,* inter extensionem eiusque figuram *modalis* viget distinctio.

Distinctio autem *rationis* unitati rei simplicis aut etiam physicae identitati neutiquam adversatur. Proprie enim non viget nisi in consideratione mentis, cum aliquo vel nullo in rebus fundamento. Hinc duplex eius species assignari potest: *virtualis* et *mere mentalis*. Prima viget ubi res ita varios gradus perfectionis sua simplicitate complectitur, ut pluribus aequivaleat. Sic attributa divina distinguuntur inter se. Appellari etiam solet distinctio *rationis ratiocinatae;* eius enim fundamentum extra rationem reperitur. At distinctio *mere mentalis* ea est, quae a mente dumtaxat pendet, obiectum idem duplici idea, confusa una, altera distincta, sibi obiiciente; quin ullum in rebus inveniat fundamentum. Quare haec distinctio *rationis ratiocinantis* dici etiam solet. Talis est distinctio, quae intercedit inter *hominem* et *animal rationale;* nulla enim est alia diversitas, nisi quod idem obiectum prius exprimitur idea confusa, deinceps distincta.

ARTICULUS VI.

De veritate.

32. Veritatem hic spectamus prout rebus inest, quibus aliqua ratione competere ex ipsa loquendi consuetudine patet. Dicimus enim saepe numero: haec est vera virtus, hoc verum animal, hic verus amicus, atque his similia; quibus effandis

reale obiectum a fallaci vel simulato distingui volumus, Moris autem loquendi magna philosopho habenda est ratio; ubi enim communis est, naturam auctricem habet et magistram, communemque ordinem cognoscendi manifestat. De hac porro veritate, quam veteres *transcendentalem*, recentiores *metaphysicam* appellant, confuse admodum disserunt Leibnitiani eam definientes: ordinem eorum, quae enti conveniunt (1); quod potius ad bonitatem rei pertinere videtur.

Profecto secundum ea, quae in Logica dicta sunt, notio veritatis in tantum rebus convenire potest, in quantum relatio, quam habent ad cognitionem, inspicitur. Aurum enim ex. gr. idcirco appellatur verum, quia eiusmodi est, ut, si concipiatur tanquam aurum, vera exsurgat cognitio. Idem dic de reliquis, quae vera nuncupantur. Unde haec denominatio rebus quidem ipsis iure tribuitur, earumque realitatem importat, sed semper respectum quemdam includit ad intellectum, ex cuius analogia derivatur. Atque hoc videtur sibi voluisse S. Augustinus, cum inquit: *Verum est, quod ita se habet, ut videtur cognitori, si velit possitque cognoscere* (2). Quibus verbis sat luculenter expressit ad entis veritatem convenientiam exquiri quamdam rei cum mente, quae illam contempletur vel saltem contemplari queat.

PROPOSITIONES

33. Propositio 1.ª *Veritas tribuitur rebus per ordinem ad intellectum.*

Prob. Veritas formaliter considerata adaequationem quamdam importat. Atqui rebus universim sumptis nequit attribui ulla adaequatio, nisi per ordinem ad intellectum; sola enim cognitio intellectiva versatur vel saltem versari potest circa res omnes, et habetur per plenam assimilationem idealem cum obiecto. Ergo veritas nequit rebus attribui, nisi per ordinem ad intellectum.

34. Propositio 2.ª *Veritas minus proprie competit rebus, quam intellectui.*

(1) Vide Wolfium, *Ontolog.* Part. 1, sec. 3, c. 6, §. 459.
(2) *Soliloq.* lib. 2 et 3, n. 8.

Prob. Quando agitur de proprietate pluribus tribuenda, ea illi principalius convenire dicenda est, in quo ipsa ad complementum adducitur. Atqui veritas ad complementum adducitur non in rebus, sed in intellectu; nam motus cognitionis perficitur non in cognito, sed in cognoscente. Cognoscens enim ad se quodammodo trahit obiectum, ipsumque in verbo, quod mente profert, contuetur. Ergo veritas magis proprie competit intellectui, quam rebus. Haec ratio est S. Thomae, qui sic ait: «In illis, quae dicuntur per prius et posterius de multis, non semper oportet quod id quod per prius recipit praedicationem communis, sit ut causa aliorum, sed illud in quo primo ratio illius communis completa invenitur. Sicut sanum per prius dicitur de animali, in quo primo perfecta ratio sanitatis invenitur, quamvis medicina dicitur sana ut effectiva sanitatis. Et ideo cum verum dicatur de pluribus per prius et posterius, oportet quod de illo per prius dicatur, in quo invenitur perfecta ratio veritatis. Complementum autem cuiuslibet motus est in suo termino per operationem animalis; motus autem cognitivae virtutis terminatur ad animam; oportet enim ut cognitum sit in cognoscente per modum cognoscentis (1).»

35. Propositio 3.ª *Res primario dicuntur verae per ordinem ad intellectum divinum.*

Prob. Res primario dicuntur verae per ordinem ad illum intellectum, ad quem necessario, maxime, et essentialiter referuntur. Atqui huiusmodi intellectus non est, nisi divinus. Nam soli intellectui divino res omnes ita adaequantur, ut nequeant non adaequari. Solus intellectus divinus ita se habet, ut acie sua omnia prorsus, quae ad obiectum aliqua ratione pertineant, introspiciat. Solus intellectus divinus identificatur cum principali suo obiecto, quod est divina essentia, et vi cuius cetera omnia cognoscit, sive sint exsistentia sive tantum possibilia. Ergo primo et principaliter res, nonnisi per ordinem ad intellectum divinum, verae dicuntur.

36. Propositio 4.ª *Res, licet secundario, tamen dicuntur verae etiam per ordinem ad intellectum creatum.*

Prob. Res, etsi non omnes nec semper actu cum mente creata conformentur; tamen eiusmodi sunt per se, ut illi

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. 2.

aptae sint conformari ac veram sui tribuere cognitionem. Atqui haec aptitudo sufficit ad rationem veritatis exhibendam, quippe constituit saltem in potentia adaequationem rei cum intellectu. Ergo res denominantur verae etiam per ordinem ad intellectum creatum.

Quod autem haec denominatio veritatis sit secundaria, manifestissime patet: tum quia est adaequatio potentialis non actualis, tum quia in tantum exsurgit, in quantum intellectus creatus est participata imitatio intellectus divini; hinc enim habet ut vi ad res cognitione attingendas polleat.

37. Propositio 5.ª *Res creatae comparantur ad intellectum divinum ut mensuratum ad mensuram; contra ad intellectum humanum ut mensura ad mensuratum.*

Prob. Res creatae comparantur ad intellectum divinum, ut effectus ad causam; ad intellectum vero humanum, ut causa ad effectum. Nam in tantum sunt, in quantum divinis ideis consonant; contra, quia sunt, veras ideas in nobis ingenerant. Atqui causa est mensura respectu effectus, effectus autem est mensuratum respectu causae. Ergo etc. Ad rem S. Thomas: « Sciendum est quod res aliter comparantur ad intellectum practicum, aliter ad speculativum. Intellectus enim practicus causat res; unde est mensuratio rerum, quae per ipsum fiunt. Sed intellectus speculativus, quia accipit a rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus et ita res mensurant ipsum. Ex quo patet quod res naturales, ex quibus intellectus noster scientiam accipit, mensurant intellectum nostrum; sed sunt mensuratae ab intellectu divino, in quo sunt omnia creata, sicut omnia artificiata in intellectu artificis (1). »

38. Propositio 6.ª *Res creatae respectu intellectus divini non sunt nisi verae; respectu autem intellectus nostri per se sunt verae, per accidens contra dici possunt quandoque falsae.*

Prob. Res creatae id quod sunt, habent a Deo operante iuxta ideam, quam de iis mente concepit. Ergo in eo, quod sunt, nequeunt divino intellectui non conformari. Ergo respectu divini intellectus nequeunt non esse verae. Respectu autem intellectus nostri per se aptae sunt cognosci, secundum id quod sunt. Ergo per se veritatem habent. Nihilomi-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate*, art. II.

nus accidere potest ut iudicentur esse id quod non sunt, propter fallacem apparentiam, quam ingerunt sensibus. Ad rem S. Thomas: « Verum, ut Philosophus dicit in sexto Ethicorum, est bonum intellectus. Unde de quocumque dicatur verum, oportet quod hoc sit per respectum ad intellectum: voces quidem sicut signa, res autem sicut ea, quorum intellectus sunt similitudines. Considerandum autem quod aliqua res comparatur ad intellectum dupliciter, uno modo sicut mensura ad mensuratum, et sic comparantur res naturales ad intellectum speculativum. Et ideo intellectus dicitur verus, secundum quod conformatur rei; falsus autem, secundum quod discordat a re. Res autem naturalis non dicitur esse vera per comparationem ad intellectum nostrum, sicut posuerunt quidam antiqui, existimantes rerum veritatem esse solum in hoc quod est videri. Secundum hoc enim sequeretur quod contradictoria essent simul vera, quia contradictoria cadunt sub diversorum opinionibus. Dicuntur tamen res aliquae verae et falsae per comparationem ad intellectum nostrum, non essentialiter vel formaliter, sed effective, in quantum scilicet natae sunt facere de se veram vel falsam aestimationem; et secundum hoc dicitur aurum verum vel falsum. Alio autem modo res comparantur ad intellectum sicut mensuratum ad mensuram, ut patet in intellectu practico, qui est causa rerum. Unde opus artificis dicitur esse verum, in quantum attingit ad rationem artis; falsum vero, in quantum deficit a ratione artis. Et quia omnia etiam naturalia comparantur ad intellectum divinum sicut artificiata ad artem, consequens est ut quaelibet res dicatur esse vera, secundum quod habet propriam formam, secundum quam imitatur artem divinam. Nam falsum aurum est verum orichalchum. Et hoc modo ens et verum convertuntur, quia quaelibet res naturalis per suam formam arti divinae comparatur (1). »

Solvuntur difficultates.

39. *Obiic.* I. Veritas non tribuitur rebus ex ordine ad intellectum. Nam veritas rerum est obiectum, quod intellectui

(1) In 1. *Perihermenias*, lect. 3.

cognoscendum proponitur. Atqui obiectum, quod cognoscendum proponitur, non constituitur ex ordine ad potentiam cognoscitivam. Ergo veritas non tribuitur rebus per ordinem ad intellectum.

R. *Nego assumptum.* Ad probationem *dist. maiorem:* Veritas, quoad fundamentum considerata, est obiectum, quod intellectui cognoscendum proponitur, *concedo;* considerata quoad suam formalem rationem, *nego,*

Id quod proprie proponitur intellectui, ut obiectum percipiendum, est entitas rei. Quae quidem entitas potest appellari veritas fundamentaliter considerata; nam verum, prout est in rebus, consistit in ipsa entitate rei in quantum adaequatur vel adaequari potest intellectui. Unde formalis eius ratio est adaequatio; fundamentum autem est entitas, quae respectu intellectus praesumitur vel in se vel in alio. Ad rem S. Thomas: « Tripliciter veritas et verum definiri invenitur. Uno modo, secundum id quod praecedit rationem veritatis et in quo verum fundatur; et sic Augustinus definit in libro Soliloq. *Verum est id, quod est;* et Avicenna in II Metaphys. *Veritas cuiuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei.* Alio modo definitur secundum id, quod generaliter rationem veri perficit; et sic dicit Isaac quod *veritas est adaequatio rei et intellectus,* et Anselmus in lib. 1, de Veritate: *Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis.* Rectitudo enim ista secundum adaequationem quamdam dicitur, secundum quod Philosophus in IV Metaphysicorum dicit, quod definientes verum dicimus esse quod est aut non esse quod non est. Tertio modo definitur veritas secundum effectum consequentem, et sic definit Hilarius quod *Verum est manifestativum et declarativum esse,* et Augustinus in libro de vera Religione: *Veritas est, qua ostenditur id quod est* (1).»

Obiic. II. Veritas rerum est causa veritatis in intellectu. Ergo veritas per prius debet convenire rebus.

R. *Dist. antec:* Veritas rerum est causa veritatis respectu intellectus divini, *nego;* respectu intellectus nostri, *subd:* et hoc probat intellectum nostrum habere erga res rationem

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De veritate,* art. I.

mensurati, non mensurae, *conc;* et hoc probat rationem veritatis compleri in ipsis rebus, *nego.*

Proposita difficultas locum non habet respectu intellectus divini, cum quo divina essentia identificatur et cuius ideae sunt causae exemplares rerum omnium creatarum, quemadmodum in secundo capite dicemus. Respectu autem intellectus nostri iam soluta est in demonstratione secundae propositionis. Ibi enim observavimus cum S. Thoma, non semper causam alicuius effectus vindicare sibi magis proprie denominationem eius, nisi ratio expressa per illam denominationem ex aliis capitibus in ea perfici intelligatur. Secus dicere deberemus magis proprie competere sanitatem medicinae, quam animali; quia sanitas medicinae producit sanitatem in animante. Quare cum assimilatio inter rem et intellectum, in qua formalis ratio veritatis consistit, terminetur in ipso intellectu, et quidquid participat motum perfectius reperiatur in termino; hinc fit ut ratio formalis veritatis principalius competat intellectui. Quod autem veritas rerum, seu melius earum entitas sit causa veritatis in intellectu nostro; id demonstrat tantum cognitionem nostram non esse regulam veritatis rerum, ut est de cognitione divina, sed viceversa esse regulatam a rebus. At id non modo non negatur a nobis, sed aperte constabilitum est in propositione quinta.

Obiic. III. Si res referrentur ad intellectum divinum ut mensuratae ad mensuram, quemadmodum statuitur in dicta propositione quinta; nos non possemus cognoscere res, nisi per comparationem ad intellectum divinum. Id vero ad Ontologismum adducit.

R. *Dist. mai:* Non possemus cognoscere res, nisi per comparationem ad intellectum divinum, cum eas cogitamus sub aspectu absolutò, prout entia sunt, *nego;* cum eas cogitamus sub aspectu relativo, prout ordinem habent ad causam exemplarem, *subd:* non possemus eas cognoscere nisi per comparationem ad intellectum divinum, cognitum vi ratiocinationis, *conc;* directe et immediate visum a nobis, *nego.* Idem ad *min. dist:* Ad Ontologismum duceret, si res sub omni respectu non possent intelligi nisi per comparationem ad intellectum divinum, et quidem directe et immediate perspectum, *conc;* secus *nego.*

Aliud est cogitare res absolute prout entia sunt et distinguuntur a nihilo per propriam entitatem; aliud est cogitare

easdem relative et per respectum ad exemplar, a quo pendent. Primo modo, non opus est comparatio ad intellectum divinum; sed tantum secundo. Et quidem neque in hoc necessaria est visio directa et immediata illius intellectus, sed sufficit cognitio eius derivata per ratiocinium. Unde opinio ontologorum hinc prorsus excluditur.

Obiic. IV. Licet, cum Deus per se immediate operatur, debeant effectus respondere divinis ideis; tamen quando concurrit ad actiones creaturarum, potest opus productum, ex harum defectu, ab ideis divinis dissentire; ac proinde erit falsum respectu Dei. Sic accidit in monstris.

R. *Nego.* Nam, cum Deus in concursu praestando creaturis ex cognitione operetur, videt sine dubio quicquid ex earum defectu prodituram sit. Hinc effectus semper respondet cognitioni divinae, licet discrepet ab idea exemplari, cuius perfectam imitationem Deus in illo casu non intendit, cum impedire nolit defectum causae secundae. Hinc monstra dici nequeunt falsa respectu scientiae divinae; sicut non potest dici falsum respectu etiam artificis creati opus, cuius defectus ex imperfectione instrumenti proveniens praevisus ab artifice et permissus sit.

ARTICULUS VII.

De bonitate.

40. Bonum, utpote unus ex conceptibus transcendentalibus et simplicibus, proprie definiri nec indiget nec potest; atque est eiusmodi, ut ab omnibus, utcumque imperitis, intelligatur. Et sane si omnes, vel rudissimi, in bonum feruntur (siquidem nullus est qui bonum, qua bonum est, non velit); signum profecto est, bonum ab omnibus dignosci; ignoti enim nulla cupido. Nihilominus, quoniam etiam notiones, quae immediate sub intelligentiam cadunt, possunt quandoque vel per alios conceptus, per se aeque notos sed audienti notiores, vel per effectus et proprietates declarari; id nos in praesenti quoad bonitatem praestabimus.

41. Itaque notio boni reponenda videtur in ipsa entitate rei, quatenus expletiva est vel terminativa appetitionis. Quapropter bonum proprie respectu voluntatis dicitur, nec nisi

metaphorice affirmatur de rebus aliis, appetendi vi destitutis. Id apparet ex ipsa distributione proprietatum entis, initio facta; in qua diximus ens in tantum nominari bonum, in quantum est appetibile. Quod quidem intelligendum est non *formaliter* sed *fundamentaliter*, nimirum quatenus fundat rationem appetibilitatis. Haec enim ex congruentia nascitur rei, quae dicitur bona, cum subiecto appetitione praedito. Unde, intimius perspecta, bonitas proprie in convenientia quadam consistit, ratione cuius res habet quod sit appetibilis. Atque in hoc sensu dici solet; res ideo appetibilis est, quia bona est.

42. Bonum primo dividi potest in *verum* et *apparens:* prout res, quae appetitur, vere congruit appetenti; vel tantum congruens esse existimatur, cum talis non sit. Quae partitio idcirco hic potissimum locum habet, quia bonum non movet appetitum, nisi prout in apprehensione relucet. Secundo, bonum dividi potest in *absolutum* et *relativum*. Primum est, quod appetitione et amore est dignum, quatenus per se spectatur in propria perfectione. Sic dicitur bonus Deus, bonus homo. Secundum vero habetur, quando agitur de re, quae, ut ad appetitionem impellat, consideranda est in quantum refertur ad aliam. Sic dicitur bona virtus vel sanitas quae ideo amantur et appetuntur, quia sunt perfectiones subiecti quod afficiunt. Tertio dividitur bonum in *spirituale* et *corporeum;* prout ad spiritum refertur ut scientia; vel ad corpus, ut membrorum integritas. Quarto, dividitur in *physicum* et *morale*, prout naturam perficit, ut vita; vel mores, ut temperantia.

43. Sed praecipua boni divisio est, qua in honestum, delectabile, et utile dispertitur. Nam quod aliquid appetenti congruat et voluntatem alliciat, ex duplici causa provenire potest. Vel enim congruit ratione sui, vel ratione alterius boni, ad quod consequendum iuvat. Si postremum hoc erit, bonum *utile* habebitur; qualis est ex. gr. medicina, quae propter sanitatem appetitur, ad quam restituendam prodest. Sin erit alterum, tunc bonum illud vel appetentiam movet, nulla ratione habita delectationis quae inde oboritur, sed tantum quia decet estque per se rationi consentaneum; et huiusmodi bonum appellatur *honestum*. Talis est virtus, quae diligenda foret, etiamsi nullum oblectamentum afferret. Quod si bonum

aliquod diligitur ratione delectationis, *delectabile* nuncupatur; puta, si quis animum recreandi gratia rusticatum pergat. Clarum autem per se est hanc partitionem fieri respectu rationum formalium, quae per se diversae sunt, non vero respectu distinctionis subiecti. Optime enim contingere potest ut eadem res sub diverso aspectu sit simul honesta et utilis et delectabilis, quemadmodum de scientia vel de virtute contingit.

44. Bono opponitur malum, quod a S. Augustino per boni privationem explicatur, sic aiente: *Nihil aliud est malum, quam privatio boni; sicut nihil aliud est caecitas, quam privatio luminis* (1). At quoniam bonum, cuius remotio malum est, in perfectione aliqua reponitur; malum non incongruenter diceretur *carentia perfectionis, subiecto debitae.* Qua in re animadvertendum est, malum a simplici negatione differre. Simplex enim negatio nullam in subiecto exigentiam oppositae realitatis supponit. At contra, malum non quamcumque perfectionis absentiam, sed eius, quae subiecto debeatur, significat. Unde quamvis in se, si absolute spectetur, nihil sit; tamen ratione subiecti et inclinationis eius, quam notat, differt a nihilo.

45. Malum, post Leibnitium, a nonnullis dividi coepit in *metaphysicum*, *physicum* et *morale*. At primum huius partitionis membrum redundare videtur. Etenim Leibnitius, et qui eum sequuti sunt, malum metaphysicum appellant ipsam rerum creatarum limitationem, seu altioris perfectionis carentiam, quae rebus quibusque finitis, utcumque perfectis, aliqua semper inest. Verum haec, utpote mera negatio, rationem mali ex supra dictis habere nequit: nec facile alicui persuadebitur posse quidpiam genuina idea concipi ut malum, propterea quod perfectione caret, quam habere non debet. Sic sol ex. gr. malus perperam haberetur, quia ratione non fruitur; homo iniuria diceretur malus, quia alis ad volandum destituitur. Restat igitur ut malum proprie in physicum et morale distribuatur, prout perfectione physica aut morali subiectum privat. Ceterum, si quis ipsos limites perfectionis rerum creatarum nomine mali metaphysici velit designare, dummodo se explicet, uti poterit iure

(1) *Soliloq.* c. 5.

suo; nos de re ad vocabula tantum pertinente non disputabimus. Tantum advertimus ex hac novitate vocis posse nonnihil confusionis exoriri in scriptis praesertim Doctorum intelligendis; quae confusio in notione cum doctrina morum valde connexa non leve periculum importaret.

46. Deinde, malum respectu naturae rationalis dividi etiam solet in *malum culpae* et *malum poenae;* prout vel est inordinatio in actione aut omissione libera voluntatis, vel est quaelibet alia carentia boni ob culpam inflicta. Tertio malum dispesci potest in *absolutum* et *relativum;* prout aliquid vel per se malum est, eo quod sit remotio boni debiti, vel in se proprie bonum est, sed respectu alterius malum dicitur, eo quod ipsi inferat detrimentum. Sic iustitia iudicis quamquam optima sit propter se; tamen respectu nocentium mala nominatur, quippe cum eos debitis plectat poenis.

47. Quaestiones aliae, quae agitari hoc loco possent, praesertim circa originem mali, in Theologia naturali, cum Manichaeos confutabimus, persequemur. Quaeri tantum hic posset quodnam ex recensitis maius sit malum. Responsum manifestum est. Nam in primis nemo non videt malum mere relativum minus proprie dici malum, propterea quod absolute spectatum sit bonum; ut in iustitia vindicis exemplum habes. Sin malum physicum cum morali comparetur, procul dubio malum morale maius esse apparebit; siquidem imperfectio est facultatis nobilioris, et a libertate procedit. Denique, si malum culpae cum malo poenae conferatur, culpam profecto multo admodum poena deteriorem dices. Nam in primis poena non infligitur nisi ob culpam. Unde ortum est proverbium: Non malum est puniri, sed fieri poena dignum. Secundo, malum culpae privat rationalem creaturam debito ordine ad Deum, cuius offensam et iniuriam continet; quare limite quodammodo carentem malitiam habet, ratione infinitae dignitatis personae quae offenditur habeturque contemptui. Malum vero poenae nonnisi in detrimento quodam creaturae situm est, atque ideo immenso intervallo a malo culpae discedit. Ex quibus consequitur ut homo, si ratione duci velit, multo libentius detrimentum quodvis subire debeat, quam vel levissima culpa foedari.

48. De bono eiusque opposito diximus; nonnihil modo de rationibus quibusdam, bono valde affinibus, delibabimus. Et

primum de idea *perfecti*. Notio perfecti licet saepe cum notione boni confundi soleat, ab ea tamen distinguenda videtur. Perfectum enim revera illud dicitur, cui quoad sui naturam conditionemque et finem nihil deest. Sic ex. gr. navigium perfectum nuncupabis, si in ipsius structura et partibus nihil desideratur, quod ad artefactum illud pertineat et ad velificandum requiratur.

Hinc in rigore non omne bonum potest hoc ipso, quod bonum est, perfectum dici. Sic puer, licet homo sit et bonus, nondum tamen est homo perfectus. At laxiore sensu ea loquutio adhibetur aliquando, quatenus perfectum sumatur ad exprimendam rem, cui nihil desit, quoad illum dumtaxat respectum, sub quo talis denominatio ipsi tribuitur. Sic puer dicitur perfectus homo, quatenus ei nihil deest quoad essentiam hominis; licet multa desint, quae essentiae superveniunt. In hoc sensu perfectio non significat complementum et consumationem rei, sed idem sonat ac puram entitatem, quaecumque ea sit, dummodo in quantum talis consideretur ut completa in sui ratione atque integritate.

'49. Ideae perfecti notio succedit *ordinis*; qui definitur ab Augustino: Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio (1). Brevius etiam dici posset: Reductio multitudinis ad unitatem; semper enim in hoc cerni videtur, quod plura ad unum aliquod revocentur. Sic exercitus ordine instructus putatur, cum singulae acies propriis ducibus obediunt et tandem supremo imperatori subiiciuntur. Ubi id deest, confusio habetur et perturbatio. Advertendum tamen est hanc reductionem ad unitatem diiudicari potissimum ex fine, qui rei, da qua agitur, praestituitur; cui quo magis illa congruit, eo ordo est perfectior. Finis proinde est ordinis regula et criterium. Cum vero finis possit esse vel universalis vel peculiaris, prout toti praefigitur aut parti, consequens est ut ordo etiam in universalem et peculiarem partiendus sit. Ille est, qui spectatur in omnibus simul partibus, totum aliquod constituentibus; hic vero, qui in singulis seorsum inspicitur.

Atque haec innuisse sufficiat; qui plura cupit, adeat Suaresii Metaphysicam.

(4) *De Civ. Dei*, l. 19, c. 13.

ARTICULUS VIII.

De pulcro.

50. Notionem pulcritudinis explicaturi, nihil exactius et nervosius et simul brevius dictum de ea re invenimus, quam quae scripsit S. Thomas in Summa theologica; a quibus proinde exordiendum ducimus. « Pulcrum, sic ille ait, et bonum in subiecto quidem sunt idem, quia super eamdem rem fundantur, scilicet super formam; et propter hoc, bonum laudatur ut pulcrum; sed ratione differunt. Nam bonum proprie, respicit appetitum , est enim bonum quod omnia appetunt et ideo habet rationem finis, nam appetitus est quasi quidam motus ad rem. Pulcrum autem respicit vim cognoscitivam; pulcra enim dicuntur, quae visa placent. Unde pulcrum in debita proportione consistit. Quia sensus delectantur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus; nam et sensus ratio quaedam est et omnis virtus cognoscitiva (1). » Alibi autem sic se exprimit: « Dicendum quod, sicut ex verbis Dionysii c. 4 *de div. Nom.* accipi potest, ad rationem pulori sive decori convenit et claritas et debita proportio. Dicit enim quod Deus dicitur pulcher sicut universorum consonantiae et claritatis causa. Unde pulcritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debita corporis claritate. Et similiter pulcritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis sive actio eius, sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem (2). »

His paucis verbis summa veluti continetur eorum omnium, quae ad pulcritudinis notionem attinent. Ea igitur breviter declaremus.

51. Primum affinitas statuitur, quae magna intercedit inter pulcrum et bonum. Nam bonum, si completum est et ex integra causa consurgens, semper est pulcrum; et sub hoc respectu admirationem et laudes intuentium extorquet. Quod non contingit de veritate. Potest enim aliquid esse plenissime verum, ita ut omne dubium prorsus excludat, nec tamen

(1) *Summa theol.* 1. p. q. V, art. 4 ad I.
(2) *Summa theol.*, 2.ª 2.ae q. CLXXX, a 2 ad 3.

idcirco pulcri naturam induit. Et sane quid verius hoc principio: Non potest idem simul esse et non esse? Et tamen nemo ipsum audiens exclamat: quam pulcrum est! Contra, nullum bonum, in quantum perfectum est, seu in quantum consistit in modo, specie et ordine, spectari potest (1); quin illico aliquem pulcritudinis sensum, ac proinde admirationem, ingeneret.

At licet *subiecto* pulcrum cum bono sit idem, tamen *ratione* differt. Nam bona dicitur res, quatenus refertur ad appetitum; pulcra autem, quatenus refertur ad cognitionem. Bonum enim assequi cupimus, pulcrum autem contueri. De primo quaeritur possessio et fruitio, de secundo merus intuitus et contemplatio. Quare pulcra dicuntur, quae visa placent; seu quae delectant in quantum cognita. Sic caelum sideribus ornatum distinctumque cum forte per sudum suspicimus, pulcrum appellamus, sola eius intuitione contenti.

52. Haec definitio pulcri, *quod visum seu cognitum placet*, nominalis est, et ex effectu desumitur, qui pulcri tantum proprius est et omnibus compertus. Nemo enim invenitur adeo rudis, qui non sentiat se de rebus pulcris sola contemplatione delectari. Hinc tamen facilis est progressus ad intimiores pulcri dotes, eiusque realem definitionem aperiendam.

Ac primum hinc apparet fundamentum pulcritudinis esse veritatem, saltem existimatam, rei. Impossibile enim est ut placeat contemplanti id, quod ab ipso falsum esse reputatur. Unde a Platone pulcrum definitum est *splendor veri*. Qua definitione, licet vaga, duo tamen dilucide innuuntur. Unum est pulcritudinem non posse, nisi ex vero, efflorescere; secundum, non sufficere solam veritatem ad pulcrum exhibendum. Sicut enim non omnia corpora, licet visibilia, dicuntur lucida; sic non omnia vera, licet intelligibilia, appellantur splendida. Sed hac phrasi peculiaris quaedam nonnullorum verorum qualitas videtur exprimi: quatenus intuentem propter nitorem, quo fulgent, vividius percellunt, et in sui contemplatione defixum detinent. Quod sane coincidit cum charactere indicato a S. Thoma, nimirum pulcrum debere esse eiusmodi, ut sui manifestatione suavitatem quamdam contemplanti afferat.

(1) « Ratio boni, secundum quod consistit in perfectione, consistit etiam in modo, specie et ordine. » S. Thomas, *Summa th.* I. p. q. V, a. 5.

Qua in re adverte suavitatem, de qua loquimur, non esse confundendam cum generali illa et communi quiete, quam cognoscens experitur quoad obiectum, quod detegit, et quae certitudo nominatur. Haec enim propria est cuiuslibet cognitionis, sive versetur circa obiectum cuius contemplatio placet, sive non. Sed pro suavitate, de qua loquimur, intelligendus est peculiaris ille sensus voluptatis, qui excitatur in animo propter peculiarem conditionem obiecti, cuius contemplatio, in quantum contemplatio est, delectet.

53. At quaenam est haec obiecti conditio? Est in primis debita proportio. *Pulcrum in proportione consistit* (1). Quando enim obiectum est huiusmodi, ut elementa, quibus, saltem virtualiter, constat, sic inter se proportionata sint, ut in veram unitatem conspirent iuxta naturam rei, de qua agitur; dubitari nequit quominus intuentem magnopere oblectet. Id manifestissime patet in contemplatione ex. gr. figurae humanae; cuius pulcritudinem cum admiramur, in proportione contemplanda sistimus tum membrorum inter se, tum totius corporis respectu animi. Deinde, conditio ad pulcrum constituendum est vivida quaedam manifestatio formae, quae respectu cognoscitivae facultatis proportionatas illas obiecti partes actuare debet. Sic, ut in allato instemus exemplo, quoniam respectu oculi, color est forma in obiecto respondens; pulcritudo corporea in homine tunc proprie habetur, cum eius membra, aptissime inter se proportionata, splendore quodam debiti coloris reluceant.

54. Quod si causam quaeras, cur de claritate et proportione facultas cognoscitiva oblectetur, ea non incongrue esse dicetur, quia in tali obiecto cognoscitiva facultas aliquid sibi simile reperit; similitudo enim causa est amoris et complacentiae. Reperit aliquid sibi simile; quia facultas cognoscitiva, si rite consideretur, lux quaedam est et aliqua semper proportione intrinsecus constat. Etenim cum cognitio exinde perficiatur, quod forma obiecti idealiter actuet facultatem cognoscitivam; haec nata est fieri omnia et omnibus attemperari. Cum vero actum exserit, ita se habet ad suam formam idealem, ut obiectum se habet ad suam formam realem: unde utrinque ratio quaedam aequalitatis exsurgit. Prae-

(1) S. Thomas, loco supra citato.

terea, facultas cognoscitiva ad naturam entis penetrandam tendit; natura autem entis proportionem imbibitam semper habet, cum divinae ideae assimiletur. Hinc fit, ut intellectus (et suo modo omnis cognoscitiva facultas, quae intellectus est quaedam deficiens imitatio) proportione magnopere delectetur; praesertim si ab ea vivide percellitur, propter fulgorem quo ipsi proportio illa resplendeat. Quare inter omnes figuras loquendi maxime placere solet metaphora; propterea quod in analogia rerum et proportione fundatur; et quo splendidior est, eo etiam gratior evadit.

55. Haec esse potest ratio a priori, cur proportio cum claritate coniuncta delectabile reddat obiectum cognoscenti, ac proinde pulcritudinem constituat. Sed quidquid de ea ratione sit, certe factum indubium est et negari non potest. Duo igitur ex dictis constant: pulcrum esse id quod manifestatione sua intuentem oblectat, et huius oblectationis esse causam proportionem, sic in obiecto perspectam, ut splendor quidam in ea fulgeat respectu formae, qua obiectum cognoscitivae facultati respondet. Quare horum elementorum consideratione, pulcritudo describi posset: *Splendor formae super partes subiecti proportionatas.* Quae sane partes esse possent vel reales vel virtuales. Atque haec definitio fere ad verbum desumpta est ex S. Thoma, sic aiente: *Ratio pulcri in universali consistit in resplendentia formae super partes materiae proportionatas, vel super diversas vires vel actiones* (1).

56. Facultas, qua pulcrum discernimus atque iudicamus, *gustus* nominatur; desumpta metaphora a sensu illo, quo ad sapores deprehendendos donati sumus. Nec vero ab intelligendi facultate distinguitur, sed eadem atque illa est, prout peculiare hoc munus exercet et efficacitate pollet ad eiusmodi peculiare obiectum diiudicandum. Hinc est quod gustus, quoad aliquem inferiorem gradum, in omnibus hominibus inveniatur; at quoad exquisitiorem quemdam sensum abstrusiusque iudicium, saepe magnum exquirat ingenium, et delicatam veluti texturam animi. Harmonica enim comprehensio partium et vividus conceptus perfectionis obiecto de-

(1) *Del Bello,* quistione inedita di S. Tommaso d'Aquino ecc. Napoli 1869.

bitae, qui ad pulcritudinem diiudicandam requiritur; saepe abstrusior est, quam vulgaris intelligentia ferat. Immo etiam quandoque ad eiusmodi iudicium rite proferendum artis peritia et disciplina necessaria est, cum videlicet de obiecto agitur ad artem aliquam pertinente. Tunc enim pulcrum nonnisi ab iis plene deprehenditur et iudicatur, qui in ea arte, ad quam obiectum spectat, versati sunt. Sic frustra contenderes ut divini poëmatis Alighierii pulcritudo gustetur ab homine, qui naturali cuidam comprehensivae facultatis praecellentiae idoneam poësis ac philosophiae et theologiae notitiam non adiungat. Idem dic de exquisitiore quodam concentu aut eleganti aliquo aedificio, aut quocumque alio opere affabre elaborato; quod profecto longe pulcrius videbitur ei, qui artium illarum regulas callet, quam ei qui imperitus est et vulgaris.

57. Ad partitionem pulcri quod attinet, in primis, dispesci potest in *ideale* et *reale*. Pulcrum ideale dicitur, quod typicam quamdam perfectionem exhibet, quatenus concipitur ut perfectum exemplar, cui quo magis aliquid conformatur, eo pulcrius evadit. Et quoniam exemplar eiusmodi considerari potest vel in Deo vel in homine, hinc pulcrum ideale dividitur in *pulcrum ideale divinum*, et *pulcrum ideale humanum*. Facultas vero excogitandi typos eiusmodi, eosque extra se in certam materiam transferendi, non mediocre ingenium postulat, et ea est quae parit praeclaros artifices. Pulcrum vero reale illud est, quod ad ipsam obiecti entitatem in se inspectam pertinet; et dividi posset in *sensibile* et *spirituale*, prout vel in dotibus, quae sensu et phantasia attinguntur, fundatur, vel in rebus mere intellectualibus aut moralibus conspicitur. Primum a quopiam iudicari poterit, qui idonea quadam animi habitudine ad ipsum gustandum naturaliter ornetur; alterum exquisitiorem gustum requirit, cum spiritualis pulcritudo tanto sensibilem antecellat, quanto animi dotes et lineamenta praestantiora sunt quam corporis.

58. Pulcrum sensibile, licet intellectu percipiatur, tamen in obiectis relucet corporeis, prout sensui respondent; et proprie in iis inest, quae ad visum vel auditum referuntur. Hinc potest vel ad figuram et colores referri, vel ad sonos, praesertim si in vocabula conformentur. Sic pulcram imaginem, pulcrum carmen dicere consuescimus. In obiectis inferiorum

sensuum pulcrum proprie non reperitur; nec nisi abusu vocis pulcrum saporem, pulcrum odorem, pulcram resistentiam diceremus. Ratio est, quia sensus his obiectis respondentes maxime ab intellectu recedunt, et potius conservationem animantis, quam rerum notitiam pro fine habere videntur.

59. Pulcrum spirituale in rebus mere incorporeis viget; et potissimum in Deo, qui omnis, pulcritudinis fons est et principium. At homini, qui ideas suas nonnisi a sensibilibus abstrahit, sic pure inspectum valde arduum est cogitatu, et facilius apprehenditur in obiecto, quod, licet corporeum, tamen cum re incorporea vel ut signum vel ut effectus vel alio quocumque vinculo colligetur. Huiusmodi pulcrum erit veluti compositum ex re corporea et incorporea, seu erit res incorporea relucens in re corporea; et huiusmodi pulcrum maxime percellit hominem eiusque aptius respondet naturae, quae ex materia et spiritu coalescit. Quo autem quis speculatione mentis assidua se magis a sensibus avocaverit et usu vitae ad puras intelligentias propius accesserit; eo aptior efficitur pulcritudini deprehendendae, qua res mere spirituales decorantur.

60. Qua de re nemo non videt improbandam omnino esse definitionem, qua Vincentius Gioberti pulcrum dicit esse *iunctionem individuam typi cuiusdam intelligibilis cum elemento phantastico, ministerio aestheticae imaginationis peractam* (1). Quae definitio tribus potissimum capitibus peccat. Primum, quia pulcritudinem aufert a rebus plane spiritualibus, quae per se nulli elemento phantastico coniunguntur. Secundo quia pulcritudinem, quoad ipsas res corporeas, in mere subiectivam convertit. Cum enim velit ut iunctio typi cum elemento phantastico fiat ope imaginationis, pulcrum nonnisi in imaginatione residere opinatur. Res igitur, prout physice in seipsis exstant, pulcrae revera dici non poterunt. Tertio, quia dotem pulcritudinis nimium extendit; nulla enim est res, saltem corporea, cuius typus intelligibilis cum aliquo elemento phantastico copulari non possit. Ut omittam falsam originem, quam typis ipsis assignat; cum eos arbitretur colligi a nobis ex directa et immediata visione divinarum idearum; de cuius sententiae absurditate in Psychologia dicemus.

(1) *Saggio sul Bello.*

61. Ut pulcrum sentiatur, comprehensio semper aliqua requiritur ex parte intuentis. At quandoque accidit, ut obiectum sit adeo excellens, ut apprehensivam facultatem omnino superet. Tunc notio *sublimis* exoritur; quod sane nihil est aliud, nisi obiectum superexcedens intuitionem cognoscentis. Dixi *superexcedens*, quia non omnino elabi debet cognitionem, sed ex parte tantum; quatenus apprehenditur quidem, sed ita apprehenditur, ut apprehensionem valde praetergrediatur. Adiunxi *intuitionem*; quia non opus est ut excedat ratiocinium. Sic ens infinitum sublime est; quia quemlibet nostrum conceptum exsuperat, licet eius attributa et conditiones ratiocinando inferamus.

62. Sicut pulcrum excitat admirationem et amorem, sic sublime stuporem ingenerat et ad venerandum aut timendum inclinat. Id nascitur ex praestantia, qua intuentem percellit et excessu quo eius facultatem quodammodo domat ac sibi subiicit.

Sublime absolutum aliud revera non est nisi Deus, qui infinitate sua omnem creatam intelligentiam superat. In aliis non invenitur nisi sublime relativum, quatenus consuetum apprehensionis modum excedit, aut abstractione limitum a nobis tamquam indefinitum cogitatur.

Quoniam vero in rebus, quotquot sunt, considerari potest vel entitas, vel vis, vel extensio quoad spatium aut durationem; hinc sublime non immeritò divideretur in ontologicum, dynamicum et mathematicum. Primum in excellentia naturae; secundum in excellentia virtutis, sive physicae sive moralis; tertium in excellentia magnitudinis, sive continuae, sive discretae, fundatur.

63. Sicut deforme opponitur pulcro, ita sublimi opponitur horridum. Illud excitat aversionem, hoc abominationem et horrorem. Ab eo enim enixe et magnopere animus refugit; qui contra ad sublime cogitandum idcirco rapitur, quia natura sua tendit ad Deum, qui infinitus est.

Scientia quae pulcri et sublimis investigationem instituit, *Aesthetica* a recentioribus nominata est; sed melius fortasse diceretur philosophia pulcrarum artium.

Haec de pulcro innuisse sufficiat; qui plura cupit, adeat potissimum specimina philosophica Ioannis Pianciani (1), vel

(1) *Saggi filosofici* di G. B. Pianciani d. C. d. G., vol. 2.

magis egregium opusculum Aloysii Taparelli, qui de hac re satis diffuse et eleganter disseruit (1).

CAPUT SECUNDUM

NOTIONES PRAECIPUAE QUAE DIVERSAS ENTIUM CLASSES RESPICIUNT.

64. Duo philosophi, Aristoleles et Kant, texere tentarunt, catalogum notionum, quas determinatis entibus iudicando attribuimus Hinc primus decem, alter duodecim categorias recensuit. Sed si processus Aristotelis cum processu kantiano conferatur, videbitur sane posterior non esse nisi infelix parodia superioris. Nam Aristotoles ab ente reali exorsus, respectus omnes investigavit, quibus aliquid illi competit; Kant iudicii analysim instituens modos diversos respexit, quibus a mente iudicium proferri solet. Quare ut Aristoteles consideratione obiectiva, sic Kantius subiectiva usus est. Praeterea ex hoc etiam kantiana recensio non levem reprehensionem incurrit, quod in hoc ipso constans non fuit, sed cum subiectivis obiectiva elementa saepe commiscuit, atque ita ad series omnino hybridas constituendas perperam devenit. Verum eius confutationem, tamquam aptiore loco, in Ideologia persequemur (2).

In praesens neque Aristotelicam enumerationem examinare neque aliam tentare praesumimus; sed eiusmodi vestigatione praetermissa, contenti erimus eos discutere conceptus, qui ad diversas rerum classes potissimum spectant; idque septem articulis expediemus.

(1) *Le ragioni del Bello secondo i principii di S. Tommaso.* Articoli estratti dalla *Civiltà Cattolica.*

(2) Vide egregium opus Caietani Sanseverini: *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata.* Neapoli 1862, typis Manfredi: quod opus maxime confert ad philosophiam S. Thomae ceterorumque Scholasticorum nec non SS. Patrum intelligendam, ac multiplices errores recentiorum refutandos.

ARTICULUS I.

De substantia et accidente

65. Experientiam sive internam sive externam consulentes, entia sic exstare deprehendimus, ut saepe quaedam, quae ad ipsa pertinent, varientur, eorum subiectis, ad essentiam quod spectat, permanentibus. Sic per conscientiam novimus cogitationes in nobis volitionesque assidue permutari, aliasque aliis succedentibus evanescere; nos tamen ipsos eosdem usque persistere. Sic etiam exteriorem naturam contemplando videmus animantia, plantas et corpora non viventia perpetuis mutationibus et alterationibus subiici, quin tamen ipsa ex hoc tantum exstare desinant. Profecto pila, cum movetur, non cessat esse id quod erat dum quiesceret, nec cera suam naturam exuit, si ex figura, quam prius habebat, reducatur in aliam. Hinc duplicis generis realitatem concipimus: aliam, quae in se non est sed subiectum aliquod afficit eique inhaeret; aliam, quae per se stat ac superiori substratum et fulcimen suppeditat. Illa appellatur *accidens*, ut extensio, motus, cogitatio; haec dicitur substantia, ut homo, leo, lapis et similia. Hinc utriusque definitionem elicies, dicens substantiam esse *ens per se stans*, seu *non indigens alia re, cui tamquam subiecto inhaereat;* accidens contra esse *ens alteri inhaerens,* seu *indigens subiecto cui insit* (1). Porro substantia potest esse simplex

(1) Non defuerunt qui vel ancipitem vel plane falsam substantiae definitionem tradiderunt. Cartesius enim substantiam dixit esse *rem, quae ita exsistit, ut nulla alia re indigeat ad exsistendum* (Princip. Philos. parte 1, n. 13). Quae definitio in bonam partem torqueri potest, si ita intelligatur, ut substantia excludat non rem aliam, ex qua pendeat tamquam a causa, sed rem tantum, ex qua pendeat tamquam a subiecto. Attamen ambigua per se est et errori occasionem praebens. Nam si, ut verba sonant, accipitur, soli Deo competit; qui tantum ex nulla re quoad exsistentiam pendet. Et sane, ut scite notavit Leibnitius, ea abusus est Spinoza ad suam unitatem substantiae adstruendam.

Multo nocentior est Cousiniana definitio, qua dicitur substantia *esse ens, quod nihil ultra se subaudit, in ordine ad exsistentiam* (Fragm. Philos. Ontolog.) Haec proprietas nonnisi increatae substantiae, Deo nimirum, congruit. Et sane sophista gallus unitatem illinc substantiae derivavit ceteris entibus in classem phaenomenorum coniectis. Ea igitur definitio

aut composita, prout simplici tantum actualitate constat, aut in ipsa essentia ex actu et potentia coalescit. Sed de his alibi fuse dicendum erit.

PROPOSITIONES

66. Propositio 1.ª *Conceptus substantiae non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et physicum* (1).

Prob. Nequit non esse reale, quod fundamentum est et basis omnis realitatis, qua obiectum quodvis constituitur. At qui tale est id, quod conceptu substantiae continetur; conceptus enim substantiae exprimit entitatem primam rei, quae nulli inest, sed subsistit in se; quae proinde si demitur, omnis alia realitas in obiecto corruat necesse est. Ergo nequit non esse reale.

Praeterea, ut Lockius ipse fatetur, notio substantiae est universale substratum sermonis humani. At vero quod est huiusmodi, nullo modo potest esse figmentum; secus totus ordo idearum, qui sermone humano manifestatur, vanus omnino foret et commenticius. Ergo etc.

Tertio, nisi absolutus scepticismus, immo ridiculus plane nullismus, adstrui velit; res, quas percipimus, aliqua in semet realitate constare profecto debent. Iamvero quaerimus num haec realitas per se stet, an alicui subiecto inhaereat.

vi verborum et ipsius auctoris iudicio ad pantheismum adducit. Quare tam absurda et monstruosa est, quam absurdum et monstruosum est systema illud, ad quod veluti fundamentum inservit.

Ab his erroribus longe est definitio Leibnitii, qui substantiam descripsit: *ens agendi vi praeditum*. Attamen probanda non est; nam conceptum substantiae confundit cum conceptu causae. Iam vero etsi omnis substiantia sit etiam causa; tamen quatenus substantia est definiri debet respectu modi quo habet esse, non respectu activitatis quae consequitur ex esse.

(1) Haec thesis militat contra Lockium, qui comminiscitur substantiam nihil esse aliud, quam *congeriem idearum simplicium, sensu perceptarum;* seu ut obiective id explicet, *complexum qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coëxistentium*. Harum vero subiectum dicit esse figmentum mentis, inde exortum, quod illas rei qualitates tamquam in alio exsistentes concipere assueti simus. *Essai phil. concer. l'entendement humain,* 1. 2, ch. 23.

Si per se stat, realis erit notio substantiae; non enim aliud, nisi rem per se stantem, repraesentat. Sin illa realitas subiecto inhaerere dicitur; de subiecto hoc iterum redibit quaestio: num per se stet, an alteri inhaereat. Nisi igitur quis in infinitum ire velit, sistere tandem debebit in re, quae nulli insit, sed ipsamet in se subsistat. Id vero exhibet notionem substantiae. Haec igitur notio non fictum aliquid, sed reale obiectum repraesentat.

Denique, Lockius admittit qualitates. At qualitates concipi nequeunt, quin concipiatur substantia, quae illas suscipiat vel suscipere valeat. Notio enim qualitatis relationem quamdam includit, cum non tam sit ens, quam potius entis ens; relatio autem intelligi nequit, sine conceptu termini qui ab ipsa respicitur.

67. Propositio 2.ª *In rebus creatis praeter substantias dantur realia accidentia, a substantiis realiter distincta.*

Prob. Quod in rebus creatis, praeter substantiam, dentur accidentia, experientia manifestum est. Nam dantur realitates, quae in se non sunt sed alteri inhaerent; id autem nomine accidentis usurpatur. Et sane datur cogitatio, datur motus, datur figura, datur quantitas. Hae profecto sunt realitates, non sunt nihil; ridiculum enim esset dicere me nihilo affici, cum cogito; aut artificem ad nihil operandum conari, cum statuam e marmore exsculpit. At cogitatio animum afficit, figura marmor; et utraque in utroque tamquam in subiecto insidet. Ergo accidentia aliquid reale sunt. Breviter: reale est, quod realem mutationem affert et per veram actionem efficitur. Atqui accidentia realem mutationem afferunt et verae actionis sunt effectus. Ergo accidentia sunt aliquid reale.

Quod autem huiusmodi accidentia sint a substantia, quam afficiunt, realiter distincta, ex notata experientia evidenter infertur. Nequit enim non distingui realiter, quod realem mutationem impertit subiecto, eoque permanente, advenire potest vel discedere. At vero sic se habent accidentia. Nam, cum ex. gr. gradum facimus ex una cogitatione ad aliam, aliquid profecto amittimus et aliquid acquirimus. Pariter, cum cera ex piramidali figura in globum convertitur, aliquid profecto exuit, et aliud novum induit. Idem dic de quantitate; idem de motu; idem de calore ac sexcentis aliis. At vero impossibile omnino est rem unam eamdemque a seipsa

disiungi ac separari. Ergo id, quod per huiusmodi mutationes demitur aut additur, aliquid a subiecto diversum ac realiter distinctum esse oportet.

Hoc argumento ad idem probandum utebatur Augustinus, sic inquiens: « In unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim et diminuta magnitudine manere idem color et eadem figura, et mutato colore manere eadem magnitudo et eadem figura; et figura eadem non manente, tam magnum esse et eodem modo coloratum; et quaecumque alia simul dicuntur de corpore, possunt et simul et plura sine ceteris commutari, ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo (1). »

68. Propositio 3.ª *Non repugnat divinae virtuti ut aliqua accidentia conservet separata a substantia, cui inhaerebant.*

(1) *De Trinitate*, lib. 6, c. 6.

Consimili ferme modo argumentatur Galluppius, contra Baylium sic ratiocinans: « Questo filosofo (Bayle nimirum) conviene dell' esistenza dei cambiamenti. Ora se in una sostanza nulla vi ha di distinto da essa stessa, come si può ammettere il cambiamento? Quando si dice la sostanza A è cambiata, che cosa s' intende con ciò? Che si è prodotta una sostanza diversa da A? In questo senso la sostanza A non è cambiata, ma un' altra sostanza è stata creata, laddove la prima è stata distrutta... Se alla sostanza A è inerente il modo B, allorchè questo cessa, e vi succede il modo C, io vedo bene che lo stato accidentale di A è cambiato, o sia che il suo modo di esistere è cambiato. Questo cambiamento si riferisce esattamente alla sostanza, perchè i modi sono della sostanza e le appartengono. » *Saggio filosofico*, volume 6, c. 2, §. 17.

Etiam Leibnitius eodem argumento nitebatur. Postquam enim demonstravit contra Cartesium extensionem in corporibus distinctam esse ab eorumdem substantia, ita prosequitur: « Habemus ergo duas qualitates absolutas sive accidentia realia: Molem, seu potentiam resistendi, et conatum seu potentiam agendi; quae qualitates sane non sunt modi substantiae corporeae, sed aliquid absolutum et reale ei superaddunt; ipsis enim mutatis, realis mutatio contingit, substantia manente. Et in universum necesse est vel dari accidentia realia sive absoluta, quae non tantum modaliter a substantia differant (ut ea solent quae relationes appellantur); vel omnem mutationem realem esse essentialem sive substantialem; quod ne illi quidem admittunt, qui accidentia realia negant. » *Systhema theologicum*, c. XLIX.

Prob. Id tantum repugnat divinae virtuti, quod contradictionem implicat. Atqui nulla contradictio in hoc, ut aliqua accidentia, quae per se distincta sunt a substantia, sic separata serventur. Et sane unde repeti posset contradictio? Non ab identitate rei; huiusmodi enim accidentia propriam realitatem habent, a realitate substantiae distinctam. Non a necessitate influxus ex parte subiecti; nam influxus hic suppleri potest ope divina. Non denique ab inhaerendi necessitate; nam ad essentiam et conceptum accidentis spectat inhaerentia non actualis sed exigentiae, quae sane non demitur ex eo quod impeditur ne in actum veniat. Ergo nulla est ratio cur divinae virtuti repugnare dicatur, ut serventur accidentia separata a substantia. Contra, positivo argumento id possibile esse monstratur. Nam, ut optime S. Thomas observat, « cum effectus magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda; Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam, sicut et alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis (1). »

Apposite Leibnitius: « Regulariter, quaecumque realiter distincta sunt, per potentiam Dei absolutam possunt separari, et quidem ita ut vel alterutrum subsistat, altero destructo, vel utrumque, sed separatim. Et quidem natura ipsa dimensiones qualitatesque tollit, salva essentia, sed aliis in locum eorum substitutis; nihil autem prohibet quin Deus substitutionem naturalem immutare, vel etiam plane intercipere et impedire possit, ut essentia maneat dimensionibus et qualitatibus plane exuta. Item efficere potest ut eadem res diversas dimensiones qualitatesque simul habeat, aut idem accidens reale ad diversas substantias pertineat; denique, re sive essentia sublata, poterit sustentare dimensiones et qualitates. Neque vero in his ulla contradictio intelligi potest; nam par ubique est ratio, reali discrimine semel admisso; et exsistentia pariter atque unio substantiae et accidentium realium in Dei arbitrio est (2). »

(1) *Summa th.* p. 3, q. 77, a. 1.
(2) *Systema theologicum,* n. XLIX.

69. Contra primam propositionem Lockius duo obiicit. Primum, idearum nostrarum fontes non esse nisi sensationem et reflexionem; ac proinde, cum harum neutra ad notionem substantiae suppeditandam valeat, hanc in fictitiis habendam esse (1). Deinde, nos, cum substantias cogitamus, nihil aliud mente versare, nisi collectionem qualitatum, quarum ideas per sensus recipimus (2). In hac igitur qualitatum congerie conceptum substantiae reponi oportere.

R. Obiectione prima non notio substantiae ex albo idearum expungitur, sed idearum origo a Lockio efficta incompleta esse ostenditur et absurda. Rectius enim sic Locke ratiocinaturus fuisset: habemus, ut conscientia et ratio testatur, substantiae notionem; atqui haec, quemadmodum et aliae quamplures, neque a sensibus neque a reflexione repeti potest; ergo hi non sunt unice fontes idearum. At ille contrarium praestitit. Cum enim ex commenticia, quam adstruxerat, idearum origine notionem substantiae derivari non posse conspiceret; hanc devovit, ut commentum illud retineret.

Secunda difficultas omnino neganda est. Etsi enim, cum substantias creatas determinate concipimus, earum qualitates aliquas mente versamus; tamen falsum est nos nonnisi harum congeriem conceptu tunc agitare. Nam, praeter hanc congeriem, concipimus etiam realitatem in se exsistentem, quae qualitatum illarum subiectum sit. Cuius rei quisque sibi est testis; quippe qui inter notionem accidentium, utcumque collectim sumantur, et notionem substantiae, quae illis afficitur, comparationem instituit, atque utrinque discrimen et oppositionem adesse deprehendit.

Obiic. contra secundam propositionem. Ad explicandam realem entium creatorum mutationem sufficit ut substantia aliter modificari dicatur. Ergo non opus est accessu vel recessu accidentium a substantia realiter distinctorum.

R. *Concedo antecedens*, et *nego consequens.*

Qui ita obiicit, vel plane iocatur, vel verba quae profert, non intelligit. Nam substantiam aliter modificari quid est

(1) *Essai phil. concern. l'ent. hum.* l. I, ch. 5.
(2) Ibid. l. 2, ch. 23.

aliud, quam novam modificationem suscipere? Haec autem nova modificatio vel aliquid est, vel nihil. Si nihil est, falso dicitur substantia realiter mutari; non enim realiter mutatur, quod nihil amittit et nihil recipit. Sin vero modificatio illa est aliquid, erit ens; ens enim et aliquid convertuntur. Hoc tamen ens eiusmodi est, ut in se non sit, sed subiecto inhaereat quod immutat. Erit igitur ens alteri inhaerens, nimirum accidens. Ergo hoc ipso quod substantia aliter modificari dicitur, admittantur oportet accidentia a substantiis realiter distincta.

Obiic. contra propositionem tertiam. Repugnat ut accidentia convertantur in substantiam. Atqui id eveniret, si accidentia servarentur sine subiecto; nam evaderent entia per se stantia. Ergo repugnat divinae virtuti ut accidentia serventur sine substantia. Praeterea, quodvis accidens est aliquid relativum; relativum autem concipi nequit sine absoluto.

R. *Conc. maiorem*, et *nego minorem.* Ad cuius probationem *dist:* Evaderent entia per se stantia positive et vi naturalis exigentiae, *nego;* per se stantia negative et contra naturalem exigentiam, sed tantum vi influxus divini, *concedo.*

Ratio substantiae non consistit in hoc, ut res sit sine subiecto, undecumque id proveniat; sed consistit in hoc, ut exigat esse sine subiecto et per se, idque vi propriae naturae. Hoc vero non contingit de accidentibus, quae virtute divina servantur sine substantia; nam etiam in eo casu accidentia sunt entia, quae vi propriae naturae exigunt esse in subiecto, licet id impediatur divina virtute, quae subiecti influxum supplet. Ad rem S. Thomas: « Non est definitio substantiae, ens per se sine subiecto; nec definitio accidentis, ens in subiecto; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subiecto; quidditati autem seu essentiae accidentis competit habere esse in subiecto. In hoc autem Sacramento *(nimirum in Sacrosancta Eucharistia, in qua docente fide manent species panis et vini sine substantia)* non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante; et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis *(ad quam, ut in thesi diximus, pertinet*

inhaerentia non quoad actum sed quoad convenientiam naturalem), nec competit eis definitio substantiae (1). »

Ad alterum vero, quod addebatur, pariter *dist:* Accidens quodvis est quid relativum, idest eiusmodi, ut licet propria entitate constet, tamen exigentiam dicat exsistendi in subiecto atque idcirco ordinem ad subiectum includat, *conc;* est quid relativum, idest mera relatio, quae non consistat nisi in respectu unius rei ad aliam, *nego.*

Profecto mera relatio nullo modo esse et concipi potest, sine obiecto, cui actu insit. At huiusmodi non sunt accidentia, de quibus loquimur. Non enim omnia accidentia ad categoriam relationis reducuntur; sed ex iis dantur aliqua, quae, non mero respectu sed propria et absoluta realitate constant, quamvis naturaliter exigant esse in subiecto, atque in hoc sensu relativa vocentur, quatenus ad subiectum dicunt ordinem. Hic tamen ordo, sic cum essentia illorum accidentium confunditur, ut respiciat subiectum quod informare possint, non vero subiectum quod actu informent. Ut enim superius dixi, exigentia inhaerendi quoad convenientiam, non quoad actum, ad essentiam et conceptum accidentis pertinet.

Instabis: Cogitatio et volitio sunt accidentia et tamen repugnat ut permaneant separata a substantia, cuius sunt actiones vitales. Item figura nequit esse sine extensione, cuius est terminatio. Ergo idem dicendum est de ceteris accidentibus.

R. *Nego consequens* et *paritatem.* Actus vitales nequeunt separari a substantia non ob generalem rationem accidentis, sed ob peculiarem conditionem propriae naturae; quippe cum includant actualem influxum principii substantialis, a quo procedunt. Id enim importat conceptus vitae; remota autem substantia, actualis eius influxus locum non haberet. Pariter figura, et generatim quicumque terminus, nequit absolute dari sine re, quam terminat. At idem nequit dici de quocumque accidente. Non enim de omnibus accidentibus consimilis ratio militat; quae peculiaris omnino est pro exemplis nuper allatis. Idcirco nos non diximus omnia prorsus accidentia, per se sumpta, seorsum et singillatim posse servari, absque subiecto; sed indeterminate de aliquibus id affir-

(1) *Summa theol.* p. 3, q. 77, a. 1 ad 2.

mavimus. In particulari autem de hoc vel illo rem definire, admodum difficile est; et fortasse solius rationis adminiculo decerni non posset. Licet enim nos evidenter sciamus dari non modo substantias, sed etiam accidentia, et quidem a substantiis realiter distincta; tamen uniuscuiusque nexum et peculiarem dependentiam a subiecto substantiali vel ab alio accidente, non semper detegimus naturali ratiocinatione aut experientia. Sed ad id dignoscendum quandoque promovemur documentis Fidei, quae occasione alicuius mysterii ad rerum naturalium conceptus in relatione cum divina potentia intimius discernendos et determinandos nos adducit. Sic contingit in casu, cum ex revelatione sciamus in Eucharistiae Sacramento quantitatem a substantia separari, una cum qualitatibus quae eidem inhaerent. Mysterio autem praelucente, rationi sufficit ut demonstret in ea separatione accidentium a substantia nullam repugnantiam ostendi posse.

ARTICULUS II.

De supposito et persona.

70. In substantiae notionem redeuntes, tria quoad ipsam considerare possumus: primum quod exsistat et quidem in se; alterum quod tali potius quam alia realitate seu essentia constet, ex qua determinatae vires operandi dimanant; tertium quod se possideat, sitque sui iuris in exsistendo. Primum proprie et praecise notionem constituit *substantiae*, de qua superiore articulo satis dictum est. Alterum conceptum offert *naturae*, quae definiri potest: *Substantia* vel *essentia prout vim ad operandum includit* (1). Postremum denique ideam *suppositi* praebet, quod revera non est aliud, nisi substantialis natura prout se ipsam possidet nec

(1) Vocabulum naturae, utpote per se vagum, ad alios etiam sensus torqueri solet. Sic nonnunquam significat auctorem ipsum naturae, nonnunquam rerum creatarum universalitatem, nonnunquam rei cuiuslibet essentiam, quae per definitionem explicatur, nonnunquam rei alicuius nativitatem, atque his similia. At hic eam vocem sumimus, quatenus restringitur ad solam essentiam substantialem significandam; quo sensu graece dici solet *οὐσία*, cum suppositum et persona vocetur *ὑπόστασις*.

cum altero se communicat, atque ideo constituitur plenum et adaequatum suarum operationum principium. Modus autem sic consistendi in se, ex quo fit ut substantia semet cum nemine participet, sed se ipsa possideat, *subsistentia* nominatur. Quare suppositum concipi debet ut resultans ex substantiali natura et subsistentia, potestque definiri ita, ut dicatur esse; *Substantia undique completa, sui iuris et alteri incommunicabilis.* Quae tamen, si intelligentia fruitur, non simpliciter *suppositum,* sed peculiari et digniore nomine *persona* nuncupatur; quam rite definies: *Substantiam rationalem, completam, sui iuris et alteri incommunicabilem.*

Hae definitiones illis congruunt adamussim, quas in libro *de duabus naturis* Boëthius tradidit, vir non modo philosophiae, sed etiam theologiae apprime consultus. Porro is suppositum descripsit: *Naturae completae individuam substantiam;* personam vero: *Rationalis naturae individuam substantiam.* Quibus definitionibus vocabulum *individua* non ad meram *singularitatem,* sed ad *incommunicabilitatem* significandam ab eo usurpatur; quandoquidem id reapse omnino *individuum,* seu non divisum in se et divisum a quolibet alio, dicendum est, quod non modo singularem naturam praebeat, sed etiam alteri nullo modo commixtam. Natura autem, utcumque singularis concipiatur, adhuc tamen communicabilis est; non quidem ut pars, sed ut forma integra et totalis, quae rem in sua specie constituat.

71. Atque hoc loco duplex emergit quaestio perutilis, et iis, qui operam daturi sunt theologiae, valde necessaria. Prima est: utrum persona in entibus creatis concrete spectata (idest tamquam subsistens rationale sui iuris) re differat a natura (1). Dixi in entibus creatis, quia in Deo, qui maxima gaudet simplicitate, subsistentia a natura non *reali* sed tantum *virtuali* distinctione differt. Quae virtualis distinctio, adiecta mutua oppositione relationum, quae personas divinas

(1) In hanc vero quaestionem, fortasse philosophi nunquam devenissent, nisi Fidei mysteria occasionem dedissent. In Christo enim una est persona, duplex natura. Unde humanitas in eo, quamvis individua et singularis, tamen quia a Verbo hypostatica unione assumpta est, personam de se non constituit, sed subsistit subsistentia Verbi, et sic Christus vere est Deus.

constituunt, oppido sufficit ad Trinitatem Personarum in Deo discriminandam, quemadmodum fuse theologi ostendunt. Altera quaestio est num subsistentia ex negatione tantum, an ex positione quadam emergat. His vero duabus solutis controversiis, absurdam Lockii opinionem refellemus, qui asseruit, identitatem personae reponi in conscientia propriarum actionum, seu in actu, quo quis operationum, quas elicit, sibimet est conscius (1).

PROPOSITIONES

72. Propositio 1.ª *Subsistentia vel personalitas in creatis discriminatur a natura obiective et realiter, distinctione saltem modali.*

Prob. Natura creata, quamquam singularis sit et completa, tamen, si praecise in ratione notisque naturae tantum spectetur, omnimodam incommunicabilitatem nondum praesefert. Etenim mentis obtutum in ea figentes, etsi pervideamus ipsam, eo quod substantialis sit, non posse per modum accidentis alteri inesse, et eo quod sit completa atque integra, non posse per modum partis alteri naturae coniungi; tamen in ea nihil adhuc conspicimus, quod vetet ne ipsamet cum altero se communicet, ut *natura*. Quamdiu enim quoad essentialia tantum principia, licet singularitate affecta, apprehendi-

(1) « Lorsque nous voyons, que nous flairons, que nous méditons, ou que nous voulons quelque chose, nous le connaissons à mesure que nous le faisons. Cette connaissance accompagne toujours nos sensations et nos perceptions présentes; et c'est par là que chacun est à lui-même ce qu'il appelle soi-même. On ne considère pas dans ce cas si ce même soi est continué dans la même substance, ou dans diverses substances. Car puisque la conscience accompagne toujours la pensée et que c'est là ce qui fait que chacun est ce qu'il nomme soi-même, et par où il se distingue de toute autre chose pensante; c'est aussi en cela seul que consiste l'*identité personnelle*, ou ce qui fait qu'un être raisonnable est toujours le même. Et aussi loin que cette conscience peut s'étendre sur les actions ou les pensées déjà passées, aussi loin s'étend l'identité de cette personne: le soi est présentement le même qu'il était alors; et cette action passée a été faite par le même soi que celui qui se la remet à présent dans l'esprit. » *Essai phil. concern. l'ent. hum.* l. 2, ch. 27, §. 9.

tur, nondum plene se possidere concipitur, sed adhuc cogitatur tanquam aliquid, quod alteri communicabile sit, ac proinde a nobiliore quodam supposito assumi possit. Sic de individua Christi humanitate a *Verbo* assumpta factum esse docet Fides. Si igitur in notis naturae singularis, sic nude sumptae, nihil adhuc reperitur, per quod hanc ultimam speciem *incommunicabilitatis* habeat; necesse est ut aliqua exstet realis distinctio inter naturam, sic acceptam, et eamdem iam sistentem in semetipsa, talique modo terminatam, ut alterius revera non sit, sed ipsamet se possideat. Et quoniam natura rationalis sic constituta *subsistentia in concreto* vel *persona* nominatur, haec a simplici natura realiter discriminetur oportet.

Deinde demonstrari hoc potest ex comparatione naturae substantialis cum natura accidentali. Nam, ut superiore articulo dictum est, ad essentiam accidentis pertinet inhaerentia non in actu sed in aptitudine et exigentia; quae completur per unionem actualem cum subiecto, quod afficit. A pari igitur in essentia naturae substantialis includitur esse in se et per se non actu sed exigentia, quatenus sit talis entitas quae non postulet inhaerere alteri subiecto (quemadmodum contingit accidentibus), sed contra postulet subsistere in propria realitate. Haec vero exigentia expleri debet per actualem subsistentiam, quae naturam illam terminet eiusque dependentiam excludat ab ullo alio subsistente diverso. Sicut autem actualis inhaesio distinguitur a natura accidentis, estque modus ei adveniens per unionem cum substantia; sic actualis subsistentia distinguitur a natura substantiali, estque modus ei superadditus, ut terminus rei terminabili. Affecta autem hoc modo et terminata natura substantialis exhibet suppositum vel personam, scilicet naturam actu subsistentem in se et alteri incommunicabilem.

73. Propositio 2.ª *Subsistentia vel personalitas est aliquid positivum, non mera negatio.*

Prob. Militat haec thesis contra Scotum aliosque, qui personam vel suppositum constitui putant per solam negationem unionis naturae singularis cum ente nobiliore. Quare naturam rationalem, hoc ipso quod a superiore aliquo principio non assumitur, sed sibi ipsa relinquitur, personam efformare dicunt et adaequatum suarum operationum principium. At

hoc falsum esse existimamus. Nam si ita esset, natura, ad rem quod attinet, proprie non differret a supposito; per se enim exhiberet quidquid realitatis ad suppositum constituendum requiritur. Huius autem rei contrarium superiori propositione a nobis monstratum est. Praeterea, subsistentia vel personalitas dat naturae ultimum complementum in ratione exsistendi; actu enim ipsam terminat et in se sistentem facit atque alteri incommunicabilem. Ipsi igitur addit aliquid positivum. Ergo positiva quaedam realitas esse debet, nisi effectum superare causam posse dicamus. Denique, nisi subsistentiam positivum aliquid esse admittamus, difficultas non levis reperitur in explicandis dogmatibus fidei, propter quae potissimum hoc argumentum tractatur. Nam, ut observat Suarez, mysterium Trinitatis intelligi nequit, si ratio formalis subsistentiae in negatione collocatur. Iuxta igitur sanam theologiam admitti debet personas divinas realibus ac positivis rationibus constitui, quamvis relativis. At, si personalitas in divinis addit naturae aliquid positivum, quamvis ratione tantum distinctum; etiam in creaturis positivum aliquid addere debet, distinctum non ratione sed re, propter imperfectionem creaturarum. Quae consequentia legitima est, tum quia persona creata participatio quaedam est personae increatae; tum quia si in Deo, qui simplicissimus est et maxime subsistens, personalitas cogitanda est ut aliquid positivum, id a fortiori dicendum est de creaturis, quae, aliae plus aliae minus, omnes tamen a summa illa unitate recedunt. Utrobique igitur personalitas perfectio erit positiva: hoc tantum discrimine, quod in Deo, propter eius simplicitatem, virtute tantum distinguatur a natura, in creaturis autem re; in Deo relatione constet, cum nihil absolutum in eo esse possit quod non sit commune omnibus tribus personis; in creaturis contra sit aliquid absolutum, et incommunicabilitatem praebeat non propter oppositionem termini, sed propter intrinsecam limitationem, qua adstringitur.

Consimili fere modo res suaderi etiam potest ex mysterio incarnationis, quo docemur naturam humanam singularem et individuam assumptam esse a Verbo, et nullo modo personam. Quod aegre intelligi posse videtur, nisi persona afferat aliquid praeter solam naturam, per se acceptam. Secus res reduci videretur ad merum loquendi modum. Adde quod

nisi Verbum supplevisset in ea natura aliquid, ad quod ipsa intrinsecam aptitudinem habebat, et quod ex ea, seclusa unione illa, naturaliter pullulasset, non satis explicari videretur quomodo unio sit substantialis.

74. Propositio 3.ª *Personae identitas reponi nequit in conscientia.*

Prob. Personae identitas nequit reponi in re, quae personae identitatem subaudit. Atqui conscientia suipsius ne cogitari quidem potest, nisi antea personae identitas praesumatur. Et sane quo pacto conscire possumus has aut illas actiones esse nostras, nisi nos reapse iidem simus, qui eas conscimus et qui eas emisimus? Profecto, nisi id iam ratum ante sit, conscientia huiuscemodi sine errore atque deceptione fingi non potest. Personae igitur identitas conscientiam praecedit, et circulo vitioso obvolvitur, qui illam per hanc constitui autumat.

Praeterea, ex Lockiano commento absurda multa profluerent. Nam in ea sententia deliri et amentes, qui praeteritarum actionum oblivione capiuntur, in personam aliam converterentur; non enim conscientiam haberent illarum actionum, per quam persona eadem constituitur. Insuper, quotiescumque conscientia actionum nostrarum interrumpitur, ut in somno; persona etiam tunc cessaret, et quamdiu ille status perseveraret, nulla foret. Immo, si vera loqui volumus, persona in nobis mutatione perenni iugiter variaretur. Nam in tantum per Lockium eadem permaneret, in quantum immutata in nobis persisteret conscientia praeteritarum actionum. At commemoratio istaec nunquam una eademque in homine durat; tum quia anteactas operationes omnes unico actu nunquam reminiscimur; tum quia plurium actionum praeteritarum memoriam in dies amittimus. Postremo, si eadem conscientia ex una intelligente substantia in aliam transferretur (quod Lockius impossibile non esse dicit), posset tunc profecto eadem persona in diversis distinctisque substantiis reperiri.

Atque haec nonnulla sunt rationi absona, quae ex Lockiana sententia scaturiunt; ut missa faciam absurda illa graviora et pestilentiora, quae contra Fidei dogmata inferri possent. In Christo enim ut duae sunt naturae, sic sunt duae conscientiae. Ergo per Lockium duae in Christo erunt

personae. Contra in Deo non trinitas sed unitas personae admittenda esset, siquidem in Deo ut una est natura, sic una est conscientia.

Solvuntur difficultates.

75. *Obiic.* I. Si subsistentia vel personalitas distingueretur a natura ut aliquid reale et positivum, esset vel substantia vel accidens; nihil enim est tertium. Atqui neutrum dici potest; nam accidens supponit subiectum iam completum in ratione subsistentis; substantia vero adderet novam naturam. Ergo absurdum est ut subsistentia distinguatur a natura, tamquam aliquid reale et positivum.

R. *Nego maiorem.* Ad cuius probationem *dist:* Inter substantiam et accidens nihil est tertium, si intelligitur nomine substantiae completum subsistens in aliqua specie, *conc;* si intelligitur nomine substantiae natura tantum substantialis, *nego.*

Subsistentia vel personalitas neque accidens est neque substantia, sed modus substantialis, seu complementum in linea substantiae. Est enim actualitas, qua natura, licet singularis et integra, quoad constitutiva speciei, sic perficitur et completur in ratione subsistentis, ut actu fiat sui iuris et alteri incommunicabilis. Cum autem dicitur praeter substantiam et accidens non dari tertium, intelligitur nomine substantiae non mera natura substantialis (ut plerumque solet), sed completum subsistens indivisum in se et divisum a quolibet alio. Iam vero in substantia sic sumpta duo invenimus: naturam seu essentiam, qua res constituitur in propria specie; et subsistentiam, qua natura illa actu sistitur in se et positive ab omni alio subsistente separatur. Atque ut exemplo aliquo rem collustrem; intellige quodammodo ita se habere subsistentiam respectu naturae, sicut se habet figura respectu extensionis. Extensio, licet concrete spectata, exigit terminari aliqua figura; attamen a determinata figura distinguitur, cum spoliari ea possit, atque diversa indui. Figura autem nihil aliud facit, nisi quod extensionem terminet, atque positive seiungat ab aliis concretis dimensionibus. Est igitur aliquid reale et positivum; cuius tamen officium non aliud est, nisi complere et terminare rem aliam sic, ut propriis veluti confiniis continea-

tur. Parili modo, quantum rei difficultas patitur, cogitare possumus subsistentiam quoad naturam singularem, cuius est complementum et terminus in ratione substantiae. Adverte tamen exemplum hoc non afferre, nisi simplicem analogiam et proportionem, non perfectam aequalitatem.

Obiic. II. Quidquid concipitur ut adveniens primae exsistentiae rei, concipitur ut accidens. Sed subsistentia concipienda est ut adveniens primae exsistentiae, quae refertur ad naturam singularem. Ergo subsistentia concipienda est ut accidens.

R. *Distinguo maiorem:* Quidquid concipitur ut adveniens primae exsistentiae rei iam perfectae et determinatae in ratione primae exsistentiae, *concedo;* quidquid concipitur ut adveniens primae exsistentiae rei tamquam positive complens et determinans ipsam primam exsistentiam, *nego.*

Subsistentia hoc ipso, quod est modus et complementum substantialis naturae in linea substantiae, est modus et complementum ipsius primae exsistentiae. Unde non est accidens; siquidem accidens subaudit primam exsistentiam rei, iam completam et plene determinatam in ratione primae exsistentiae. Quod si accidens sumis lato sensu, quatenus exprimat quidquid non spectat ad principia, quae intrinsecus rem constituunt in propria specie; nihil vetat quominus subsistentia dicatur accidens respectu naturae, sicut etiam exsistentia denominari potest accidens respectu essentiae, ut superius dictum est (1). Sed qualitas vocabuli rem ipsam laedere nullo modo debet.

Obiic. III. Persona humana idem est atque homo individuus. Sed homo constituitur individuus per propriam naturam singularem, seclusa omni alia positiva realitate. Ergo subsistentia seu personalitas, concepta ut aliquid reale et positivum, figmentum est.

R. *Conc. mai.* Ad *min. dist:* Homo individuus constituitur per propriam naturam singularem, quoad essentiam, qua constat, et principium ex quo eius vires operandi dimanant, *conc;* quoad incommunicabilitatem et separationem a quolibet alio subsistente, *nego.*

(1) Cap. 1, art. 1, Prop. 3.ª

Homo individuus, seu qui est indivisus in se et divisus a quolibet alio, confunditur cum persona, quae ab Aristotele appellatur substantia prima. At homo individuus sic complete subsistens non dicit solam naturam singularem, qua in specie humana constituitur, et facultatibus operandi, eiusdem speciei propriis, ornatur. Sed dicit insuper modum positivum exsistendi in se; ita ut ab omni alio subsistente separetur, eique se communicare non possit. Id vero habetur ope subsistentiae; cum in notione naturae, etiam prout singularis est, non includatur.

Instabis: Quod praedictus subsistendi modus in notione naturae non includatur, provenire poterit ex mera abstractione mentis, quae acie sua rem unam eamdemque in duas distinguat. Saltem id suspicari possemus. Ergo ex eo, quod in consideratione personae reperiamus eam plus dicere, quam solam naturam singularem; id ius non praebet inferendi personalitatem realiter esse distinctam a natura.

R. Haec *instantia* non aliud probat, nisi nos ex solis philosophiae principiis adduci non potuisse ad indubie prorsus et sine haesitatione affirmandam realem distinctionem subsistentiae a natura. Semper enim suspicio oboritura fuisset, ne distinctio illa, quam concipimus, sit tantum rationis non vero realis. At adiectis principiis Fidei, qua docemur in Christo unitam esse Verbo solam naturam humanam non personam, omnis dubitatio vanescere videtur. Qua in re consimili fere pacto res procedit atque in quaestione de accidentibus. Nos ope rationis intelligimus aliud esse substantiam, aliud accidens; immo utriusque realsm distinctionem dignoscimus. At quod accidentia facto ipso separari possint a substantia et sic separata servari, vi solius rationis non decernimus. Licet enim in ea re nihil repugnantiae contueamur, tamen subdubitare possemus ne id ex debilitate intelligentiae nostrae contingat, quae non satis intimum nexum penetret inter substantiam et accidentia intercedentem. At huiusmodi suspicio prorsus demitur, accedente lumine Fidei, qua docemur in sacro Eucharistiae mysterio accidentia per divinam virtutem reapse servari, remota substantia. Sic etiam intervenit in re praesenti. Ratio naturali lumine perspicit, personam plus quiddam obiicere, quam solam naturam. Utrum vero addat aliquid realiter distinctum, an sola cogitatione

separatum; id satis dilucide non discernit, nisi revelationis adiumento. Fatemur tamen hanc sententiam non ad ipsam fidem, sed ad intelligentiam fidei pertinere. Alii vero putant, explicari optime fidei mysterium per solam distinctionem rationis, cum fundamento in re, inter naturam et personam.

ARTICULUS III.

De quantitate et qualitate.

76. Inter accidentia potissimum eminent quantitas et qualitas; idcirco de iis aliqua speciatim dicemus.

Quantum nominatur, quod divisibile est in partes proprie dictas, seu quae vere participant entitatem divisi, ita ut discerptae ac separatae permanere in se possint. Id vero, quod substantiam in huiusmodi partes extendit, appellatur *quantitas;* quae proinde a munere, quod exercet, definitur: accidens extensivum substantiae. Dicitur *accidens,* quia ratio substantiae per se praescindit a partibus, et aeque invenitur in unaquaque parte. Unde quod molem suscipiat et dispertiatur vel dispertiri possit in plura; id ei contingere debet ex proprietate aliqua a se distincta, qua naturaliter informetur. Additur autem *extensivum substantiae,* quia naturam uniuscuiusque rei non aliter determinamus, nisi ex effectu, quem praestat; et effectus, quem quantitas praestat in corpore, est ut ipsum partibus donet et mole, per quam occupare spatium possit, atque vi resistentiae alia corpora ab eodem loco repellere.

77. Hinc patet propriam rationem quantitatis, prout est accidens reale substantiam afficiens, nonnisi in quantitate continua reperiri. Etenim quantitas discreta est potius plurium quantitatum, seu entium quantitate gaudentium, multitudo. Continua autem appellatur illa quantitas, in qua partes divisibiles uno communi termino clauduntur; ut esset globus, qui non aggregatione distinctarum particularum coagmentetur, sed vera unitate et indivisione gaudeat. Hic enim, quamquam partibus constaret, in quas dividi posset; tamen illae partes, ante divisionem, non haberent singulae proprios limites, a limitibus aliorum diversos, sed omnes una extrema

superficie, quae totum obvolvit, continerentur. Contra quantitas discreta illa dicitur, cuius partes actu distinctae sunt inter se et propriis extremis conclusae; licet fortasse contactu aliquo altera alteri copuletur. Exemplo sit acervus lapidum. Quare quantitas discreta molem non primitus constituit, sed supponit, et tantum additione et contactu auget; aut etiam numerum efformat, si unitates, unde constat, recensentur.

78. Continuum triplici gaudet dimensione: longitudine, latitudine, profunditate. Dimensio in longum dumtaxat, appellatur linea; cuius extrema seu termini vocantur puncta. Dimensio, quae longitudini latitudinem addit, appellatur superficies, cuius extrema seu termini sunt lineae. Dimensio, quae his duabus profunditatem adiungit, appellatur solidum; cuius extremum seu terminus est superficies. Appellari etiam solet corpus, sed cum addito, *mathematicum*, ut distinguatur a corpore physico; quod, sumptum quoad essentiam, a quantitate differt, et non consistit, ut volebat Cartesius, in trina dimensione, sed est substantia apta ad recipiendam trinam dimensionem. Quod autem his tribus dimensionibus omnis extensio corporis contineatur, patet ex eo, quod quaelibet dimensio perpendiculari linea dimetetur, nec plures quam tres perpendiculares in unum punctum coire possint (1).

79. Cum moles informis et indeterminata exstare nequeat; omne corpus extensum superficie aliqua claudatur oportet, ex qua eius figura resultat. Haec superficies est verum extremum, quod pure terminat extensionem corpoream. Lineae autem et puncta, mere terminantia et non etiam continuantia, revera non dantur in corpore extenso. Nam quodcumque punctum assignetur, ut terminus unius lineae, erit etiam principium alterius, si corpus vera continuitate fruatur. Idem dic de linea; quae sic semper terminat partem superficiei, quamcumque volueris, ut simul inchoet partem aliam. Quare extremum mere terminans, quod actu sit, nonnisi in superficie, et quidem ultima, cernitur.

(1) « Impossibile est coniungi simul lineas perpendiculares plures, quam tres super idem punctum: omnis autem dimensio mensuratur secundum aliquam lineam perpendicularem. » S. Thomas, *In lib.* 1 *De caelo*, lect. 3.

80. Ex divisione quantitatis continuae resultat quantitas discreta, quae numerum exhibet *praedicamentalem*, ut aiunt, seu numerum ad categoriam quantitatis proprie pertinentem. Hic, ut patet, nihil realitatis addit unitatibus, quibus constat; sed eas assumit tanquam unum, propter distinctam earum collectionem; quae quodammodo speciem desumit ab ultima unitate, ad quam supputando pervenimus. Sic quinque ulnae ex. gr. praebent quinarium numerum; sed hic numerus non est aliud nisi ipsamet collectio illarum ulnarum, quae a nobis accipiuntur ut aliquid unum, quod deinceps designatione mentis dividi potest, aut additione aliarum unitatum augeri. Hinc fit ut numerus ex ea parte, qua ad rationem refertur, considerari possit etiam in rebus spiritualibus, quatenus, non ea unitas sumatur, quae ex divisione continui emergit, sed quae cum ipsa entitate rei confunditur. Tunc numerus dicitur *transcendentalis*, ut distinguatur ab illo qui, ut diximus, ad quantitatem spectat. Ad rem Suarez: « Absolute dicendum, numerum proprie sumptum, pro quantitate discreta, non inveniri extra res quantas et materiales. Non possumus tamen negare, si in numero solum consideramus id quod est rationis, nempe intellectualem numerationem vel numerabilitatem et quemdam ordinem unitatum, inter quas prima et ultima recenseantur, et ut sic numerum ut quid unum concipiamus; quoad haec, inquam, numerum aeque reperiri aut considerari posse in angelis ac in lapidibus. Verumtamen, cum illa consideratio praecise denominatio quaedam rationis sit; non sufficit illa sola, ut talis numerus in praedicamento quantitatis constituatur. Nam quantitas discreta non censetur realis quantitas ob illam considerationem aut denominationem rationis praecise sumptam, sed ut fundatam in vera et reali quantitate singularium unitatum (1). »

81. Qualitas est ulterior quaedam determinatio substantiae quoad realitatem, quae ad substantiae constitutiva non pertineat (2). Seu, aliis verbis, est modus substantiae superadditus, non quidem ad eam extendendam (id enim competit quantitati), neque ad eam alteri referendam (quod relationis

(1) *Disput. Metaphys.* t. 2, disput. 41, sect. 2.

(2) Confer S. Thomam, in *Summa th.* 1.ª 2.ª q. 49, art. 3.

est proprium), sed ad eam ulterius determinandam et bene aut male afficiendam sive quoad exsistentiam, sive quoad operationem. Sic se habet ex. gr. calor respectu corporis, cui inest; aut scientia vel virtus respectu animi, qui alterutra decoratur; aut sanitas respectu animalis. Quod vero qualitas in accidentium numero contineatur, manifestum est. Nam ratio substantiae completur per primam rei exsistentiam; cum qualitas contra hanc supponat eique superveniat (1). Quod sane non modo spectatis conceptibus innotescit; sed saepe etiam ipsa experientia fit exploratum. Saepe enim contingit ut, substantia perseverante, qualitates mutentur. Sic densa corpora rarefiunt, aut rara densantur; aër e tenebricoso fit lucidus; animal sanitatem cum aegritudine et vice versa permutat; homo ex indocto fit eruditus, aut e frugi pravus evadit. In his et consimilibus mutationibus aliquid advenit, aut aliquid discedit; quin tamen substantia, in quantum substantia est, esse desinat.

82. Ut quantitas ex principio materiali, sic qualitas ex principio formali, tamquam ex propria radice, pullulat. Hinc est, quod qualitates pro diversitate specifica rerum varientur, et ad earum naturam discernendam ab aliis maxime conferant. Cum vero in rebus non inveniatur nisi aut esse aut operari, qualitates aut alterutrum aut utrumque respicere possunt.

83. Qualitates, quae subiectum afficiunt quoad operationem dumtaxat, in efficacitate aliqua ei tribuenda vel augenda vel etiam temperanda consistunt. Si efficacitatem tribuunt, vocantur potentiae seu facultates; si illam augent, aut minuunt, quatenus ad actionem facile eliciendam corroborant aut contra praepediunt, dicuntur habitus. Sic ad potentias revocantur vis vegetandi, vis sentiendi, vis intelligendi; ad habitus vero ars, scientia, virtus et similia.

(1) Apposite S. Basilius; « Nec cuiquam incredibile videatur, quod dictum est, lucis scilicet splendorem aliud quiddam esse, aliud ipsum corpus luci subiectum. Primum quidem ex eo quod composita omnia sic a nobis dividantur, et in recipientem substantiam et in qualitatem ipsi advenientem. Quemadmodum igitur aliud natura est albor, aliud corpus dealbatum; sic etiam, quae modo retulimus, licet natura diversa, tamen Creatoris potentia fuere coniuncta. » Hom. 6 in Hexaëm. n. 3.

84. Qualitates, quae non solum operationem sed etiam ipsum esse subiecti respiciunt; illae sunt, quae activitatem quidem important, coniunctam tamen cum aliqua alteratione subiecti. Hae, quoad ordinem naturalem (1), locum habent in substantiis tantum compositis, nempe corporibus; nam puri spiritus, propter suam simplicitatem, quoad substantiam immutari nequeunt et tantum potentiarum vel habituum sunt capaces. At corpora, cum sint composita ac proinde corruptioni obnoxia, optime suscipere possunt dispositionem aliquam intrinsecam, vi cuius aut iuventur ad se melius conservandum, aut contra ad interitum propius accedant. Sic videmus corpora densa esse, rara, elastica, ductilia, pellucida, opaca, dura, ponderosa, sonora, fluida, aliisque proprietatibus subiici, quae virium simul et materialis structurae diversitatem importent.

85. Qualitas, quae per se et formaliter exsistentiam unice spectare videtur, est figura, ex diversa terminatione quantitatis pullulans. Hanc inter qualitates cooptandam esse patet ex eo, quod non a principio materiali sed a principio formali originem ducat. Si secus esset, omnia corpora consimili figura vestirentur; cum principium materiale in iis minime differat. Id autem non modo falsum esse constat in animantibus et plantis, quae pro diversitate specierum diversimode conformantur; sed in ipsis corporibus brutis locum non habet. Mineralia enim, prout specifice differunt, ad diversam figuram induendam per se tendunt; quemadmodum patet ex eorum crystallizatione, ut alias dicturi sumus. Quod vero figura, licet ex activitate producatur et ad activitatis exercitium aliquo modo disponat, per se tamen activa non sit, indubium videtur; nam eius munus in hoc tantum cernitur, quod dimensiones subiecti sic aut aliter definit ac determinat.

(1) Adiunxi, *quoad ordinem naturalem*, quia, ut bene observat Suarez: Supernaturaliter potest substantia spiritualis affici qualitatibus, quae ad dandum vel perficiendum esse per se primo ordinentur. Et ratio est, quia licet hae substantiae quoad suum esse naturale non indigeant alia perfectione, elevari tamen possunt ad participandum esse superioris ordinis, et ornari ac perfici superiori pulcritudine, et ideo per elevationem ad superiorem ordinem possunt huiusmodi qualitates recipere. » *Metaphys. Disput.* Disputatio XLII, Sect. V, num. 12.

86. Alia prorsus ratione qualitates dividuntur a recentioribus, in re physica praesertim. Hi enim qualitates dispertiunt in sensibiles et reales. Qualitates reales appellant, quae rebus conveniunt per se spectatis, independenter a modo quo nostros sensus afficiunt. Has detegi aiunt vel ratiocinio, vel etiam perceptionibus, cum quibus constantem aliquam relationem retinent, ita ut nulla sensuum mutatione varientur. Sic se habent ex. gr. resistentia et figura respectu tactus. Qualitates vero sensibiles nominant aptitudines quasdam corporum ad producendum in nobis certam sensationem, pro varietate circumstantiarum et dispositionis organorum. Hae ab iis dicuntur esse qualitates apparentes potius, quam reales. Licet enim vim quamdam in corporibus arguant, ea tamen vis non omnino ita se habet, prout sentitur. Sic respectu eiusdem tactus se haberet calor, cuius perceptio varia est pro varietate subiecti percipientis.

Hinc gradum faciunt ad aliam divisionem, qua partiuntur qualitates in primas et secundas. *Primae* dicuntur, quae immediate manifestantur sensibus et per se, ut soliditas; contra appellantur *secundae,* quae manifestantur ope alterius, ut color, qui ex refractione lucis generatur.

Denique dividunt qualitates in physicas, chimicas et organolepticas, prout vel ab affinitate chimica independentes sunt, aut ab ea resultant, aut, sive primum sive alterum locum habeat, beneficae aut maleficae sint organismo viventium.

87. Tria potissimum propria sunt qualitatum. Primum, ut similitudini vel dissimilitudini fundamentum praebeant. Deinde, ut saepe contrarium habeant; quemadmodum sanitas contrariam habet aegritudinem, et virtus vitium. Tertio, ut non raro intendi et remitti possint, seu suscipere magis et minus, ut ex. gr. calor. Sub hoc respectu qualitas, quae sic se habet, mensurae et calculo submitti potest. Id enim de re quavis contingit, quae aliquo pacto augmenti vel decrementi sit compos. Nam in huiusmodi rebus, ob graduum diversitatem, designata unitate aliqua, concipi poterit numerus, et quidquid aliud e numeri notione consequitur. Sic vires naturae arithmeticis et algebraicis supputationibus in Physica subiici solent.

ARTICULUS IV.

De relatione.

88. Quemadmodum ea, quae ita concipi possunt, ut alia, ad quae forte referuntur, simul intelligi non oporteat, *absoluta;* sic ea, quae cogitari nequeunt, quin alterius rei ideam simul excitent, seu quorum natura est ut ad aliud referantur, *relativa* dicuntur. Exemplum primi generis sit *homo;* cuius consideratio non requirit ut ens aliud, cum quo comparetur, una simul apprehendatur. Exemplum vero generis posterioris sit *pater;* qui certe cogitari nequit, quin alterius rei, nempe filii, notionem revocet (1). Iamvero hic ordo, quo res una refertur ad aliam, seu haec determinatio, qua res non absolute in se sed in comparatione cum re alia intelligitur, *relatio* appellatur. Eiusmodi est notio ex. gr. *aequalitatis;* quae tunc habetur, cum res una confertur cum alia re, quam aequiparat.

89. In relatione tria considerari debent: *subiectum*, *terminus*, *fundamentum*. Subiectum dicitur illud, quod refertur ad aliud; id vero, ad quod refertur, est terminus; ratio denique, ob quam refertur, seu id, ex quo relatio resultat, fundamentum relationis nominatur. Sic, v. gr. in relatione similitudinis, quae inter duo corpora alba intercedit, corpora albedine suffusa *subiectum* et *terminum*, ipsa albedo, vi cuius similia dicuntur, *fundamentum* relationis suppeditant.

90. Relatio in logicam et realem dispescitur. Illa est, quae a mentis consideratione pendet; altera, quae in rebus ipsis viget, tametsi nulla mentis accedat consideratio. De utriusque veritate dubitari non potest. Nam, ad primam quod attinet, evidens est, posse mentem respectus varios et ordines invicem in suis ideis efformare, velut si notionem aliquam universalem cum individuis, quae illa complectitur, forte comparat; aut obiectum unum idemque cum seipso confert,

(1) Alio sensu usurpari etiam solent hae voces, quatenus nomine *entis absoluti* id intelligatur, quod dependentiam nullam includit, nec ut exsistat exposcit aliud; *relativum* vero, quod contra se habet. Qua acceptione ens absolutum nonnisi Deus dici potest; res vero creatae, cuiusvis naturae sint, entia relativa nominantur.

atque ita illi identitatis relationem tribuit. Ad alteram vero quod pertinet, non minus certum est quamplura reperiri, quae ante omnem mentis operationem respectum et ordinem habent inter se. Sic effectus omnis et causa relationem et ordinem unius ad alterum includunt, quem a mentis consideratione non recipiunt, sed potius menti contemplandum obiiciunt.

91. Atque harum relationum realium exsistentia ex ipsa creatorum entium conditione resultat. Rerum enim universitatis constitutio poscit ut certus nexus adsit et ordo unius rei ad aliam et omnium ad supremam Causam, a qua pendent et iugiter conservantur. Iam vero hic ordo relatio quaedam est. Relatio enim, ut dixi, in respectu et habitudine unius ad aliud, tota quantaque est, versatur. Ergo cum talis ordo realis sit, et non in mente tantum sed in rebus a Deo conditis inhaereat; relatio realis, quae ipsam rerum naturam afficiat, negari plane non potest.

Nec difficultatem ingerit quod ad eiusmodi relationem percipiendam comparatio semper aliqua requiratur, quae actus est mentis. Nam vi comparationis huius relatio non conditur, sed detegitur; ac proinde ordo, relationem efficiens, in rebus ipsis, quae comparantur, exstet necesse est.

92. At enim, quae conditiones necessariae sunt, ut relatio sit realis et a logica distinguatur? Repono, eas esse quatuor.

Prima est, ut subiectum, cui relatio tribuitur, aliquid reale sit. Evidens enim est non posse realem ordinem subiecto commenticio aut logico inesse; siquidem quidquid est in subiecto aliquo, eius conditionem sequitur.

Secunda est, ut fundamentum, unde relatio exsurgit, reale etiam sit. Nihil enim causam excedit, a qua procedit. Hinc nequit nova relatio, quae vere accidens reale sit, in subiecto dari; nisi id, ex quo relatio illa pullulat, veram aliquam mutationem in subiectum inducat. Ad rem S. Augustinus: « Ea sunt accidentia relativa, quae cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus relative dicitur; neque enim esse incipit, nisi cum amare coeperit. Fit ergo aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur (1). »

(1) *De Trinitate*, lib. V, c. 16.

Tertia conditio est, ut terminus, quem relatio respicit, actu sit. Cum enim munus relationis in hoc ponatur, ut rem unam ad rem aliam referat, nempe subiectum ad terminum; hunc actu exstare necesse est, ut ordo inter ipsum et subiectum actu intercedat. Quod dictum intelligas de respectibus iis, qui proprie adventitii sunt et internam rerum naturam non attingunt. Neutiquam vero extendi debet ad eas relationes, quae proprie tali classe non continentur, et quarum munus non est terminum respicere, sed tantum rei, cui insunt, naturam determinare; qualis esset ex. gr. ordo ac relatio facultatis cuiusdam ad suum obiectum. Hae enim relationes seu respectus dari possunt, antequam exstet terminus; eoque sublato, sunt superstites.

Quarta conditio est realis distinctio inter fundamentum et terminum; subiectum enim non refertur ad terminum, nisi quatenus fundamento relationis afficitur. Ea autem, quae invicem referuntur, ordinem et oppositionem habent inter se; ordo autem et oppositio nonnisi inter res distinctas cerni potest. Sic, ut inter duo alba corpora intercedat realis relatio, necesse est ut albedo unius re differat a corpore albo quod est eius relationis terminus. Adverte tamen relationem, posito fundamento, statim per se illinc pullulare, dummodo adsit terminus, ad quem subiectum referri debet, quin ulla alia actio externa requiratur.

93. Relatio potissimum reducitur ad convenientiam vel discrepantiam, quae inter plura entia intercedit; aut ad nexum, qui intercedit inter effectum et causam, principium et id quod a principio oritur. Sic similitudo vel aequalitas emergit ex convenientia qualitatis vel quantitatis; contra diversitas vel inaequalitas in discrepantia qualitatis aut quantitatis fundatur. Sic etiam relatio patris ad filium, et vicissim, habetur ratione vitae; quam huic ille generatione largitus est, atque hic ab illo recepit. Denique observari debet, relationem aliam esse mutuam, aliam vero non mutuam. Sic relatio aequalitatis ex. gr. inter duas aequales quantitates mutua est; relatio inter creaturam et Deum mutua non est. Nam licet creatura realem relationem habeat ad Deum, Deus tamen nonnisi rationis relationem habet ad creaturas. Creatio enim, quae huius relationis fundamentum est, non aliquid novi in Deo ponit, sed in creaturis tantum, ut suo loco dicetur. Tum etiam

relatio mutua vel est eiusdem appellationis, vel diversae. Sic relatio patris et filii est mutua quidem, sed appellationis diversae; relatio similitudinis inter duos albos parietes mutua est et appellationis eiusdem.

ARTICULUS V.

De possibilibus.

94. Possibilitas idem est atque aptitudo ad exsistendum. Duplex autem considerari potest: *interna* et *externa;* prout in re, quae dicitur possibilis, aptitudo illa resultare concipitur ex ipsa conditione naturae; aut ex virtute causae alicuius, a qua res illa produci possit. Nam si notae seu characteres, quibus res intrinsecus constituitur (ut ex. gr. animalitas et rationalitas in homine), consentiant inter se, nihil erit ex parte ipsius, quod exsistentiae reluctetur. En possibilitas interna; cuius proximum fundamentum non aliud est, nisi non repugnantia rei seu contradictionis absentia. At cum agitur de ente, quod non exsistit natura sua, non sufficit mera possibilitas, quae ex hac non repugnantia proveniat; sed causa quaedam necessaria est, quae ipsi exsistentiam largiri possit. Si igitur res, in se possibilis, ad hanc causam referatur, a qua exsistentiam receptura est, possibilitas exsurgit externa. Sic harum propositionum: *Substantia potest esse composita, Novus mundus a Deo condi potest;* prima affirmat possibilitatem internam, altera possibilitatem externam.

95. Ut patet, possibilitas, sive in uno sive in altero sensu sumatur, rationem entis subaudit; non enim dicitur possibilis, nisi aliquid; aliquid autem idem est quod ens. At extenditur aeque cum ente? Distinctione est opus. Nam si notio *possibilis* severe accipiatur, cum ente generalissimo et abstractissimo converti nequit; sed omnino requirit ut ens ipsum aliqua determinatione affectum concipiatur ut possibilis rationem induat. Nam possibilitas externa, non modo supponit internam, sed etiam respectum includit ad causam, a qua produci res possit. Non igitur aeque protenditur ac notio entis; ens siquidem latius se porrigit, cum respiciat etiam id, quod per se est et dependentiam non habet ab ulla causa.

Idem, proportione quadam, dici potest de possibili interno. Nam possibilitas interna respectum includit ad exsistentiam sub conditione inspectam; idem quippe sonat ac nullum provenire absurdum, si res exsisteret. Ergo, cum etiam exsistentia rationem entis complectatur, possibile, quod cum ipsa confertur, minus late patere debet quam ens; siquidem ex duobus extremis invicem comparatis nequit alterutrum aequiparare amplitudinem notionis illius, quae in utroque reperitur. Nihilominus si possibilitas non ita stricte sumitur et cum relatione ad exsistentiam, conceptu saltem ab ipsa distinctam, sed mere accipitur pro simplici non repugnantia rei, tunc eamdem amplitudinem offert, quam ens. Ubicumque enim viget ratio entis, viget etiam contradictionis absentia.

96. Ad possibilitatis internae notitiam procurandam satis est intuitio idealis. Mens enim, cum ideas contemplatur, videt profecto earum alias simul coniungi posse, alias vero non posse, eo quod se invicem excludunt. Sic si ideam montis cum idea praesentiae vel absentiae vallis componas, statim animadvertis montem cum subiecta valle concipi, montem sine valle nequaquam. In primo rationem entis servari perspicis, in altero prorsus perimi propter conceptus sibi mutuo contradicentes. Quare illud ut possibile, hoc ut impossibile cogitabis.

Contra, possibile externum dignosci nequit, nisi aguita virtute causae, a qua res ad exsistentiam adduci possit. Et quoniam scimus Deum esse efficacitatis infinitae, hinc respectu ipsius omnia, quae interne possibilia sunt, externe etiam possibilia esse deducimus. Non ita est respectu causarum creatarum, quae finita tantum vi potiuntur. Quoad ipsas igitur nonnulla tantum possibilia sunt possibilitate externa; quae, ut peculiari nomine designetur, dici solet possibilitas physica: non enim est aliud, nisi capacitas exsistendi, quam res habet respectu causarum secundarum, quae mundo continentur. His denique addi potest possibilitas moralis, quae consideratur non tantum respectu causae, sed etiam respectu circumstantiarum aut morum, quae causam ipsam temperant quoad gignendum effectum.

97. Hinc intelligitur quid sint diversae possibilitatis species, quidque vario possibilis aut impossibilis nomine designetur. Nam quidquid in suis notis nullam conceptuum pu-

gnam includit, eo quod illae consentiant inter se, *interne* vel *metaphysice possibile* nominatur; velut si mundum cogites alium. Contra quidquid in notis, rem constituentibus, repugnantiam habet, *impossibile interne* et *metaphysice* dicitur, ut si circulum fingas duabus constantem lineis. Quod si ea, quae interna possibilitate gaudent, causam habeant, a qua produci ad exsistendum possint; externe etiam possibilia nuncupantur; et si haec causa ordine rerum creatarum contineatur, *physice* etiam *possibilia* dicuntur. Secus est de *impossibili externe* vel *physice*, quod idcirco aptum ad exsistendum non dicitur, quia deest causa, quae ipsi exsistentiam tribuat. Denique si id, quod interne et externe possibile est, exsistendi retinet habilitatem, etiam cum adiuncta propensionesque causae spectantur, *possibile morale* vocatur. Idcirco *moraliter impossibile* erit, quod etsi vi causae fieri absolute possit, tamen huius naturali inclinatione circumstantiisque inspectis, vel nunquam vel raro et cum difficultate fiet. Cogita, ex. gr. odium parentum in liberos (1). Ex quibus elucet possibilitatem internam esse absolutam, externam vero relativam, quippe quae exsurgit non ex defectu rei sed ex defectu causae, cum qua res comparatur. Itemque sequitur ut impossibile interne nihilum sit omnimode; propterea quod pugnantes notae, quibus constat, mutuo se destruunt, ac proinde ne in conceptu quidem relinquunt aliquid. Contra vero interne possibile (etiam cum nondum exstat), etsi physice sit nihil, metaphysice tamen est aliquid. Cum enim notis

(1) Reiicimus hinc absurdam opinionem Genuensis, qui comminiscitur impossibile morale id nuncupari, quod licet in se repugnantiam non implicet, tamen cum divina natura aut perfectionibus pugnat. Eius haec sunt verba: « Impossibilia moralia vocant philosophi, quae quidem sunt possibilia intrinsece; sed tamen, quia cum Dei natura pugnant, fieri a Deo nequeunt, velut eum mentiri, errare, peccare, aut peccati esse auctorem. » *Elem. Metaph.* part. 1, c. 2, def. 10.

At quis non videt haec et similia, hoc ipso quod divinis attributis repugnant, internam seu metaphysicam impossibilitatem afferre? Certe Deus mentiens, errans, peccati auctor, conceptibus mutuo pugnantibus coalescit, quodque subiectum propositionis ponit, attributum demit. Id igitur non moraliter impossibile, sed evidenter impossibile metaphysice dicendum est.

coalescat, quae simul conciliantur, in mente saltem et conceptu subsistit ut aliquid obiective reale quoad essentiam.

98. Exsistunt hoc loco quaestiones quaedam subdifficiles, quae originem et discrimen attingunt ipsius possibilitatis, quaeque omnino praetermitti non possunt. Sunt enim, qui internam rerum possibilitatem de medio prorsus pellunt, externam dumtaxat relinquunt. Existimant enim res dici possibiles respectu tantum divinae potentiae, a qua quidquid fieri possit, id possibile revera audiat. Alii vero illam dependentem faciunt a divina voluntate et arbitrio, statuuntque res in tantum esse huius naturae vel alterius, in quantum Deua sic eas esse voluit; qui proinde si aliter voluisset, possibilia fuissent ea, quae nunc ob notas, mutuo pugnantes, impossibilia iudicantur. Primam sententiam docuit Okam (1), secundam Cartesius (2). Alii demum internam rerum possibilitatem sic tuentur, ut eam non modo a Dei potentia et voluntate, verum etiam ab intellectu et essentia non pendere existiment. Sic opinari videntur Genuensis et Storchenau, quorum alter docet mundum pendere quidem a Deo quoad ex-

(1) In 1. Dist. 33, Quaest. 2.

(2) Is in Responsionibus ad sextas obiectiones n. 2, sic loquitur: « Repugnat enim Dei voluntatem non fuisse ab aeterno indifferentem ad omnia, quae facta sunt, aut unquam fient; quia nullum bonum vel verum, nullumve credendum vel faciendum vel omittendum fingi potest, cuius idea in intellectu divino prius fuerit, quam eius voluntas se determinarit ad efficiendum ut id tale esset. Neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine vel natura vel ratione ratiocinata, ut vocant; ita scilicet ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius quam aliud eligendum. Nempe exempli causa non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab aeterno; nec voluit tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, etc. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore, ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab aeterno; quia voluit tres angulos trianguli necessario aequales esse duobns rectis, idcirco iam hoc verum est, et fieri aliter non potest, atque ita de reliquis. » In eamdem sententiam loquitur saepe alias. Quapropter Cartesius iure a Cudworto (Syst. intell., c. 3), et a Clarkio (Exsist. de Dieu, c. 1), gravissime reprehenditur, tamquam eversor Metaphysicae, quae tota quanta est in veritatibus immutabilibus fundatur.

sistentiam, at minime quoad essentiam (1); alter vero asserit in absurda hypotesi Dei non exsistentis posse res quoad conceptum essentiarum permanere fruique possibilitate interna, licet quoad possibilitatem externam intereant (2). Harum sententiarum nulla prorsus probanda est, sed quid eiusmodi in re exsistimandum sit variis propositionibus gradatim aperiam.

PROPOSITIONES

99. Propositio 1.ª *Possibilitas interna rerum non pendet ab intellectu nostro, neque a rebus in mundo exsistentibus.*

Prob. prima pars. Intellectus noster passive potius se habet quam active respectu possibilium, quae contemplatur. Sentit enim veritates illas, quae rerum essentias spectant, sibi imponi et quodammodo praecipi, quin in potestate sua sit eas invertere vel saltem debilitare. Sic dum concipit circulum vel totum, videt primum differre a triangulo, alterum vero superare partem, quin possit talium rerum naturam in contrarium flectere, aut aliquid earumdem notioni detrahere. Sentit insuper conceptus illos pro omnibus, qui intelligentia fruantur, eosdem esse oportere ac pro singulis casibus, qui contingere possint, esse valituros. Denique animadvertit veritates illas non tum exordiri, cum ipsi contemplandae obiiciuntur; sed antea idem fuisse quod sunt in praesens, atque in posterum pariter idem esse futuras, etiamsi ipse exsistentia privetur; et, quod maius est, etiamsi omnis intellectus creatus in nihilum abeat. In summa veritates illae, quae possibilia interna constituunt, nobis obiiciuntur tamquam immutabilitate et universalitate praeditae; cum contra intellectus noster (idem dicatur de quocumque intellectu creato) sit naturae contingentis et individuae. Ergo, nisi effectum causa praestantiorem effingas, intellectus noster earum veritatum principium et fons esse nequit.

Prob. secunda pars. Interna rerum possibilitas earumdem exsistentiam praecedit et transilit; eaque corruente, permanet. Ab ipsa igitur pendere non potest. Et sane, quod illam

(1) *Elem. Metaph.* p. I, c. 1, def. 16.
(2) *Ontologia*, sect. 2, c. 1, §. 36.

praecedat, clarum est. Non enim res quia exsistunt, sunt possibiles; sed contra quia erant possibiles, ideo exsistentia donari potuerunt. Quod vero eamdem transiliat, patet. Nam res in propria exsistentia consideratae, individuae sunt, mutabiles, temporis mensurae subiectae. Contra prout sunt possibiles, dicunt universalitatem, immutabilitatem, aeternitatem. Denique quod, exsistentia rerum deficiente, possibilitas supersit, non minus apparet. Nam etiamsi universa, quae in mundo sunt, in nihilum redigerentur, non tamen idcirco possibilia esse desinerent.

100. Propositio 2.ª *Interna rerum possibilitas pendet a Deo.*

Prob. Rerum possibilitas profecto est aliquid. Eam enim intelligimus, de ipsaque ratiocinamur. Nihilum autem per se nec intellectionis nec ratiocinii obiectum esse potest. Ergo, cum huiusmodi possibilitas, quae aliquid est, a mente nostra et a rerum creatarum exsistentia non pendeat, a Deo pendeat necesse est. Secus praeter Deum, aliquid aeternum et independens daretur, quod repugnat. Nec dicas rerum possibilitatem non esse aliquid physicum, sed ideale dumtaxat. Id enim verum est, at argumentum non infirmat, sed confirmat. Nam etiam in ordine ideali repugnat ut aliquid sit independens a Deo et per se. Praesertim vero, quia istaec possibilitas, in suo conceptu et characteribus considerata, realitatem includit finitam, quae, sine dependentia ab alio, explicari non potest. Nam quidquid independens est, hoc ipso confiniis caret; quia limites, qui fingerentur, rationem sui nullam haberent, cum nihil possit limitare seipsum.

Praeterea, si possibilia independentia essent a Deo, ubi, quaeso, ante rerum creationem exstitissent? Non quidem in se; secus figmentum Platonis restitueretur, opinantis ideas rerum formas esse quasdam aeternas, quae ipsae per se starent. Ergo exstiterunt in alterius entis vel intellectu, vel potentia, vel voluntate; nulla enim alia hypothesis excogitari potest. At, praeter intellectum et potentiam et voluntatem Dei, nullus est alius intellectus aeternus, aut aeterna potentia, aut aeterna voluntas. Ergo possibilia in eorum aliquo ab aeterno exstitisse, atque idcirco ab uno vel altero vel tertio dependere dici debent.

101. Propositio 3.ª *Interna rerum possibilitas non pendet a divina potentia.*

Prob. Interna rerum possibilitas est aliquid ideale, non physicum. Sed potentia gignit esse physicum, non ideale. Ergo interna rerum possibilitas non pendet a divina potentia.

Nec dicas hanc dependentiam sic esse intelligendam, ut possibilia exsurgant non actione divinae potentiae, sed vi respectus ad ipsam. Si enim ita esset, potentia divina limitibus coërceretur, quod repugnat. Et re quidem vera, si entia quaevis in tantum essent possibilia, in quantum Deus producere illa posset, eorum opposita ideo impossibilia dicerentur, quia Deus eadem creare non posset. Sic quemadmodum quaerenti: cur circulus rotundus non repugnat, responsum daretur quia Deus illum facere potest; pari ratione contrarium percontanti cur circulus quadratus repugnet, respondendum esset: quia Deus illum facere nequit. Atque ita similiter in ceteris impossibilibus ratio desumenda foret ex ipsa divina virtute. Divina igitur virtus, sine ulla obiectiva ratione, sed tantum respectu sui dicenda esset aliqua posse, alia vero non posse. Id autem imbecillitatis et limitum notionem arguit.

Praeterea, si res ideo essent possibiles, quia fieri a Deo possent, ideo Deus diceretur omnipotens, quia facere posset ea omnia quae posset. Quod, cùm cuivis causae, utcumque finitae, competat (siquidem omnis causa facere potest ea omnia, quae potest); certe aut omnes causae indiscriminatim omnipotentes dicendae forent, aut Deus dici non posset omnipotens. Quorum utrum absurdius sit nescio.

At haec omnia evanescunt, si cum saniore philosophia statuatur res interna perfrui possibilitate, antequam ad divinam potentiam referantur. Petenti enim tunc causam cur aliquid Deo impossibile sit, ex. gr. *creatio hominis irrationalis* vel *materiae cogitantis*, responsum in promptu erit: quia haec et similia entis rationem non habent. Notis enim mutuo pugnantibus seque invicem destruentibus constant, atque ideo nihil in obiecto relinquunt; nihil autem effici nequit. Apposite S. Thomas: « Quia potentiae activae obiectum vel effectus est ens factum; nulla autem potentia operationem habet, ubi deficit ratio sui obiecti, sicut visus non videt deficiente visibili in actu; oportet quod Deus dicatur non posse

quidquid est contra rationem entis, in quantum est ens.... Contra rationem entis est quod entis rationem tollit; tollitur autem ratio entis per suum oppositum, sicut ratio hominis per oppositum eius vel partium ipsius; oppositum autem entis est non ens; hoc igitur Deus non potest, ut facial simul unum et idem esse et non esse, quod est contradictoria esse simul (1). » Quamobrem, ut sapienter S. Doctor concludit, eiusmodi obiecta congruentius dicuntur non posse fieri, quam Deus non posse illa facere.

102. Propositio 4.ª *Interna rerum possibilitas non pendet a divina voluntate.*

Prob. Si rerum possibilitas a Dei voluntate penderet, aliquid intrinsecus repugnans obiectum esse posset divinae voluntatis et potentiae, exempli causa circulus quadratus, aut animal sensu carens. Si enim Deus ita voluisset, haec per Cartesium possibilia fuissent, atque ad exsistendum idonea. At vero hoc perabsurdum est, et a ratione maxime alienum. Nam eiusmodi obiecta ne in conceptu quidem sunt aliquid; quandoquidem, cum notis inter se reluctantibus constent, hae se invicem demunt, et quod una ponit, alia destruit. Quare in hypothesi, de qua loquimur, nihilum absolutum posset esse obiectum et terminus divinae voluntatis et potentiae. Atqui id vehementer repugnat, ipso fatente Cartesio; qui saepe asserit actionem divinam terminari non posse ad non ens. Ergo possibilia interna pendere nequeunt a divina voluntate.

Secundo, scientia, proprie dicta, est de necessariis; cognitionem enim importat absolutam et immutabilem. Proinde non circa rerum exsistentiam sed circa rerum essentias proprie versatur. Atqui Cartesiana opinio ipsis rerum essentiis contingentiam et mutabilitatem tribuit. Ergo scientiam proprie dictam omnino pessumdat.

Denique accedit sensus communis naturae testimonium. Quisque enim naturae ductu, cum utrum aliquid sit possibile necne investigat, non rei conceptum deserens ad divinam confugit voluntatem; sed in conceptu ipso sistens diligenter observat num res in suis notis essentialibus contradictionem includat. Ex qua cogitandi ratione illud perspicuum fit, nos

(1) *Contra Gentiles*, l. 2, c. 25.

a natura doceri quod rerum interna possibilitas non e divino arbitratu, sed ex ipso earumdem conceptu ac notis emergat, quibus illae intrinsecus constituuntur.

Neque obiicias cum Cartesio, Dei potentiam nullis circumscribi limitibus; atque ideo non posse non protendi ad illa etiam, quae ob conceptuum pugnam impossibilia existimantur. Nam, ut paulo ante dictum est, nulli limites divinae virtuti figuntur ex eo, quod contradictoria ab ipsa fieri non posse dicantur. Obiectum enim actionis cuiusque est ens; quod autem repugnat intrinsecus, id entis ratione prorsus caret. Infinita autem Dei virtus in hoc cernitur, quod omnia efficere possit, quae ad exsistendum sunt idonea, seu quae repugnantiam sibi non implicant.

103. Propositio 5.ª *Interna rerum possibilitas proxime pendet a divino intellectu, remote a divina essentia.*

Prob. prima pars. Opus faciendum, antequam fiat, pendet ab intellectu artificis, ex cuius idea denominatur. In tantum enim aliquid obiective est et a nihilo absoluto distinguitur, in quantum idea aliqua mentis continetur, ad cuius imitationem effici potest. Atqui possibilia nihil aliud sunt, nisi res creabiles, et ad Deum tamquam ad artificem referuntur. Ergo ab eius intellectu in eo, quod sunt, dependent.

Praeterea, possibilia prout talia nullam realitatem sed solum idealitatem participant; quatenus nullo modo sunt in se, sed tantum in ideis. Atqui sicut divina potentia est fons totius realitatis, ita divinus intellectus est fons totius idealitatis. Ergo possibilia a mente divina suam idealem exsistentiam et determinationem repetunt, tamquam a totius idealitatis principio. Ad rem Leibnitius: « Verum est in Deo non modo esse fontem exsistentiarum, verum etiam essentiarum quatenus reales sunt, aut eius, quod in possibilitate reale est. Propterea intellectus Dei est regio veritatum aeternarum aut idearum, unde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, et nihil non modo exsisteret, sed nihil etiam possibile foret (1). »

Prob. secunda pars. Ordo mentalis et logicus a reali et physico praeceditur, in eoque aut proxime aut remote saltem fundatur. Quapropter mens in ideis rerum quarumlibet

(1) *Princip. Philosophiae*, §. 43, Oper. t. I.

sibi efformandis fundamentum accipere debet ab exsistente aliqua realitate, quae ipsi earumdem veluti germen et exordium suppeditet. Ergo cum Deus ex aeternitate possibilia omnia perspexerit, debuit profecto in iis concipiendis ad exsistens aliquod respicere obiectum, quicum eadem relationem haberent. Atqui obiectum eiusmodi, ab aeterno exsistens et ex cuius contemplatione ad aliarum rerum cogitationem Deus devenerit, aliud esse non potuit, nisi ipsamet divina essentia. Ergo possibilia quaeque a Deo sic pendeant necesse est, ut tandem a divina essentia tanquam a prima radice et exemplari processerint. Apposite iterum Leibnitius: « Etenim opus est, ut si quid realitatis in essentiis, aut possibilitatibus, aut potius in veritatibus aeternis fuerit, haec realitas fundetur in aliqua re exsistenti et actuali, et consequenter in exsistentia Entis necessarii, in quo essentia includit exsistentiam et in quo sufficit esse possibile ut sit actuale (1). »

(1) Loco superius citato §. 44. Omnium praestantissime dependentiam hanc explanare videtur Lessius sic loquens: « In obiecto omnipotentiae divinae duplicem considerari posse possibilitatem: intrinsecam et extrinsecam, remotam et propinquam. Intrinseca possibilitas est aptitudo ipsius rei, seu non repugnantia, ad exsistendum. Eadem dici potest possibilitas remota, ratione enim huius dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia, qua possit produci: sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus, qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in *esse possibili* producat (esse enim possibile, qua tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam); sed habet eam a Deo tamquam a causa quasi exemplari. Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est ratio per modum radicalis ideae cur humana natura sit possibilis et habeat tale esse obiectivum et potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis esse obiectivi et possibilitatis intrinsecae omnium possibilium; et pendet ab essentia divina tamquam a prima et originali omnium idea, a qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu et ordine varie limitatam habent, modo iam explicato. Itaque omnia possibilia continentur in essentia divina tamquam in originali radice, et quasi in exemplari *virtuali* et *radicali;* in sapientia tamquam in exemplari *for-*

Id autem quo pacto concipi debeat, sic breviter explicandum videtur. Supereminens divinae mentis intuitus divinam naturam plene et adaequate cognoscit. Eam proinde permeat quoad omnes modos ac respectus, quos continet. At vero divina essentia id sibi adsciscit, ut non solum sit pelagus realitatis omnis, limite et imperfectione carentis, verum etiam exterius repraesentari possit multifariam ab innumeris veluti imaginibus, propius remotiusve prototypo accedentibus. Ergo divina mens essentiam divinam perspicit non modo prout in se infinita est, sed etiam prout exterius referri potest finito modo ab innumeris sui similitudinibus. Hinc innumeros efformat conceptus rerum distinctarum, quae pro suo quaeque modulo divinas perfectiones et naturam plus minus multimodis imitentur. Hi conceptus sunt ideae archetypae, quae essentias rerum possibilium exprimunt, et ad quarum deinceps imitationem creantur, quaecumque creantur. Quapropter iure Boëthius Deum sic alloquitur:

. . . . . Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans (1).

104. Audiamus S. Thomam, quem, ut in ceteris, sic etiam hic ducem et magistrum sequimur: « In his quae ad imitationem alterius producuntur, quandoque, id quod alterum imitatur, perfecte imitatur ipsum; et tunc intellectus operantis praeconcipiens formam operati, habet ut ideam ipsam formam rei imitatae, prout est illius rei imitatae. Quandoque vero quod est ad imitationem alterius, non perfecte imitatur illud; et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatae absolute, ut ideam vel exemplar rei operandae, sed cum proportione determinata, secundum quam exemplatum a principali deficeret vel imitaretur. Dico ergo, quod Deus, per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem

mali, in quo etiam exsistunt *obiective*, modo perfectissimo et illustrissimo; magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis; in potentia tamquam in causa *effectrice*. » *De perfectionibus moribusque divinis*, lib. 5, c. 2, §. 10.

(1) *De Consolatione Philosophiae.*

essentiae suae producit. Unde essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta; res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam; unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam, secundum quam deficit ab ea vel imitatur eam. Diversae autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit esse distinctum ab altera. Et ideo ipsa divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscuiusque rei. Unde, cum sint diversae rerum proportiones, necesse est esse plures ideas; et est quidem una omnium ex parte essentiae, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam (1). »

Solvuntur difficultates.

105. *Obiic.* I. Adstructa sententia favere videtur pantheismo. Etenim per eam res possibiles nil aliud forent, nisi ipsae divinae ideae. At ideae divinae sunt ipsa creatrix essentia. Ergo possibilia cum ipsa essentia divina confunderentur. Sed per creationem illud ipsum conditur, quod ante possibile erat. Ergo etc.

R. Haec nonnisi imperitissime possunt obiici. Etenim sententia, quam tuemur, longissime abest a pantheismo, sicut ab eo longissime absunt Doctores catholici et Patres Ecclesiae, qui omnes miro consensu quoad illam docendam inter se conveniunt. Rationem autem, quae opponitur, sic distingues: Res possibiles nil aliud forent nisi ipsae divinae ideae formaliter consideratae, *nego;* terminative et per denominationem, *concedo.* Ad *minorem* pariter *dist:* divinae ideae formaliter consideratae sunt ipsa divina essentia, *conc;* consideratae quoad terminum qui ab ipsis denominatur, *nego.*

Ut bene notat S. Thomas in creatione ipsa essentia, qua creatura constat, conditur a Deo (2); quae quidem antequam conderetur, erat possibilis et divinis ideis continebatur. At continebatur non per identitatem cum perfectione ipsa, quae

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De Ideis,* art. 2.
(2) Quaestio 3 *De potentia,* a. 1 ad 2.

divinas ideas formaliter constituit. Haec enim non distinguitur a divina essentia, concepta ut imitabilis. Sed continebatur dumtaxat ut terminus illius imitationis, qui cognoscebatur a Deo posse condi extra seipsum; eo sane modo, quo artifex concipit ideam aedificii cuiusdam, et per eam videt et denominat possibile aedificium ipsum quod moliturus est in rerum natura. Sed quemadmodum aedificium, quod extruitur, differt ab entitate ideae artificis; sic res, quae a Deo conditur, differt a realitate divinae ideae, quae cum Deo unum idemque est.

Instabis. Saltem illa sententia laedit conceptum creationis. Nam res non fierent ex nihilo sed ex sui possibilitate.

R. *Nego* instantiam et rationem qua probatur.

Notio creationis hoc importat, ut nulla physica realitas, ex qua tamquam ex subiecto res fiat, praeexsistat. At minime postulat ne interna rei possibilitas ante adsit. Quae quidem sic praecedit, ut res condenda prorsus educatur e nihilo. Non enim inepte putandum est, Deum, cum aliquid creat, id ex ipsa interna possibilitate quodammodo extrahere aut possibilitati exsistentiam coniungere, ut ex utraque compositum aliquod conflet. Sed revera, id omne, unde res physice constat, producitur; quamquam, antequam fiat, vi divinae ideae est possibilis, et vi divini decreti futura. Ad rem S. Anselmus: « Priusquam fierent universa, erat in ratione summae Naturae quid aut qualia aut quomodo futura essent. Quare cum ea, quae facta sunt, clarum sit nihil fuisse, antequam fierent, quantum ad hoc quia non erant quod nunc sunt, neque erat ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent (1). »

Obiic. II. Concipere optime possumus internam rerum possibilitatem, quin de intellectu aut natura divina cogitemus. Atqui id, quod concipi potest absque alio, neutiquam ex eo pendet. Ergo possibilia a divino intellectu et a divina natura non pendent.

R. Argumentum hoc in primis contra ipsos adversarios retorqueretur. Nam sic pari modo parique forma contra Dei exsistentiam aut aliam certissimam veritatem quis ratiocinaretur: Concipere possumus exsistentiam rerum, quae mundum

(1) *Monologium,* c. IX.

hunc adspectabilem constituunt, quin simul cogitemus de exsistente Deo. Ergo exsistentia mundi a Deo exsistente non pendet.

Verum directe respondeamus, distinguendo; Optime possumus internam rerum possibilitatem concipere, idest eius naturam rimari, quin ratiocinando ad divinum intellectum et naturam veniamus, *nego;* concipere possumus, idest apprehendere rerum possibilitatem, avocando cogitationem a Deo, *subdist:* et hoc ostendit rerum possibilitatem non esse cum Deo connexam quoad quamlibet apprehensionem, *conc;* quoad rem ipsam aut plenam eius notitiam, *nego.*

Quemadmodum, licet ex rerum creatarum exsistentia inferre ratiocinando cogimur exsistentiam Dei, qui prima sit earumdem causa, tamen apprehendi absolute possunt res creatae, quin simul apprehendatur Deus; sic quamquam ex possibilitate rerum devenire oporteat ad divinam naturam et intellectum, cuius ideis continetur, tamen fas est illam apprehendere, quin Deus una apprehendatur. Verum hoc ostendit non esse hic mutuam connexionem quoad omnem concipiendi modum, non autem quoad naturam ipsam et dependentiam in re. Utrum vero haec adsit, ratiocinio vestigandum est, non simplici apprehensione intuendum.

Obiic. III. Intellectus etiam divinus supponit obiectum, non facit. Ergo possibilia a divino saltem intellectu pendere non possunt.

R. *Dist. antec:* Intellectus divinus supponit obiectum primarium, quod sit fundamentum ceterarum idearum, *conc;* secundarium, *subdist:* supponit virtualiter, ut aiunt, quatenus in primario aliqua ratione continetur, *conc;* complete et iam perfecte in se constitutum, *nego.*

De mente divina cum loquimur, duplex distingui debet obiectum: primarium, quod aliud non est nisi ipsamet Dei essentia; et secundarium, quod in rebus ceteris a Deo distinctis positum est. Porro primum, cum sit velut principium et exordium cognitionis omnis, cognitionem divinam ordine praecedit, nec ullo pacto a Dei mente pendere dicendum est. At alterum, utpote quod vi primarii percipiatur, opus non est ut divinum intellectum explicite praecedat, sed sufficit ut praecedat implicite, prout aliquo modo in primario continetur, ex cuius contemplatione mens divina fundamentum om

nium idearum desumit. Quod qua ratione explicandum sit, superius indicavimus. Eius autem rei exemplum etiam in creato artifice videmus; qui cum ideam opificii alicuius efformat, non eget ut illud ipsum opus praesupponat, secus non esset inventor sed merus imitator; sed ei sufficit ut adsint obiecta, e quorum contemplatione ad operis illius ideam excogitandam deveniat. Porro respectu supremi artificis, nempe Dei, fundamentum omnium idearum est divina essentia, quae praecellenti quadam ratione omnia complectitur, estque prototypum quod cetera, quotquot creata sunt aut creari possunt, pro suo modulo imitantur. Quocirca non diximus rerum possibilitatem ab intellectu divino unice pendere, sed ab intellectu simul et essentia.

Obiic. IV. Futura contingentia conditionata iuxta meliorum theologorum sententiam per modum termini in se omnino praesupponuntur, quin a divino intellectu aut essentia pendere dicantur, Ergo idem putandum erit de possibilibus.

R. *Transeat antecedens. Nego consequens* et paritatem. Dispar valde utrinque est ratio. Futura enim conditionata, cum proxime relationem habeant ad liberam determinationem voluntatis creatae, ex qua pendent, cognosci aliter nequeunt, nisi in actuali eiusdem determinatione, seu in se ipsis sub conditione futuris, ut suo loco dicetur. At possibilia ordinem non habent, nisi ad ideas divinae mentis et ad divinam essentiam, cuius imitatione plus minus remota constant. Quare nonnisi in divinum intellectum tanquam in causam exemplarem proximam, et in divinam essentiam tanquam in causam exemplarem ultimam, resolvi possunt. Transmisi autem *antecedens;* quia, cum possibilia, ac proinde ipsa essentia et vis libera creaturae rationalis non aliud sint, nisi imperfecta quaedam imitatio naturae divinae; ea omnia quae inde procedunt, remote saltem in naturam ipsam divinam refunduntur.

ARTICULUS VI.

De notione entis necessarii et contingentis, mutabilis et immutabilis, temporanei et aeterni.

106. Has notiones una coniungimus, propterea quod arctissimo inter se vinculo colligantur, atque aliae nectuntur ex

aliis. Ut itaque ex iis, unde reliquae manant, exordiar, *necessarium* dicitur illud, quod ita est, ut nequeat non esse. Quod contra ita est, ut possit non esse, *contingens* appellatur. Hinc quoniam aliquid duplici pacto nequit non esse, nimirum vel absolute et independenter a quacumque libera conditione, vel hypothetice seu aliqua libera conditione facta, necessitas bifariam dispescitur: in *absolutam* nempe et *hypotheticam*. Sic necessitas, qua circulo competit rotunditas, absoluta; necessitas, qua supposita creatione, mundus non potest non exsistere, hypothetica nominatur. Prima vocitata est etiam *antecedens*, altera dicta est etiam *consequens*, eo quod suppositionem aliquam consequatur. Illa cum contingentia neutiquam sociatur; apertissime enim repugnat quidpiam absolute omnique conditione semota necessarium esse, idemque contingens. At altera necessitas, nimirum hypothetica, contingentibus etiam competit; quippe etiam id, quod contingenter est, dum est, nequit non esse, seu hypotheticam necessitatem induit. Denique absolute necessarium bifariam sumitur: sensu, videlicet presso, quatenus suae necessitatis rationem aliunde non repetat sed in se habeat (qualis tantum est Deus); vel laxiore sensu, quatenus eius necessitatis ratio ex alio necessario, quicum connectitur, derivetur. Huiusmodi sunt veritates omnes necessariae ac rerum essentiae possibiles, quae absolutam quidem necessitatem habent, at eius rationem, sufficientem in divina natura et intellectu, quibuscum necessario connectuntur, agnoscunt; atque idcirco sub hoc respectu a perfecta necessarii absoluti ratione deficiunt (1).

107. Hinc patet quid proprie nomine entis necessarii quidve contingentis veniat. Ens enim necessarium idem est ac necessarium quoad exsistentiam, seu id cuius exsistentia absolute est necessaria. Contra, ens contingens dicitur, cuius

(1) Alio sensu, etiam magis lato, absoluta necessitas sumitur quandoque pro sola incorruptibilitate; quo sensu creaturae spirituales dicuntur entia necessaria, quatenus, ex quo semel creatae fuerint, necessario permanent natura sua, cum principium intrinsecum nullum habeant, quo ad interitum propellantur. Contra est de substantiis compositis, nimirum corporibus; quae, cum materia et compositione essentiali constent, vi sua ad corruptionem tendunt.

exsistentia contingens est, seu quod ita exsistit ut possit non exsistere. Quare cum collectio exsistentiarum contingentium nonnisi in exsistentia aliqua necessaria rationem sui sufficientem habeat; ex entium contingentium exsistentia (ut in theologia naturali videbimus) exsistentia entis necessarii demonstratur. Nam quemadmodum ens necessarium rationem sufficientem cur exsistat habet in se, cum sit natura sua determinatum ad exsistendum, immo sit ipsamet exsistentia; sic contra ens contingens rationem sufficientem exsistentiae, quam recipit, extrinsecus habere debet. Cum enim contingentia dicat indifferentiam ad exsistendum vel non exsistendum; si ens contingens vi sua exsisteret, esset suapte natura determinatum ad exsistendum, ac proinde foret quoad exsistendum indifferens et non indifferens. Id vero conceptuum pugnam includit. Quare quidquid est ens contingens, id externam causam poscit, a qua ad exsistendum determinetur. Quae quidem ratiocinatio non pro uno tantum aut altero, sed pro qualibet entium contingentium serie est valitura.

108. Conceptui necessarii et contingentis admodum affinis est notio *mutabilis* et *immutabilis*. Quidquid enim est necessarium, id, in quantum eiusmodi, immutabilitatem etiam sibi vindicat. Secus est de contingente, quod, prout tale est, mutationi subditur. Est autem mutatio *ex uno in alium statum veluti transitus;* mutarique ens dicitur, *cum incipit se habere aliter quam se habebat*. Quamobrem capacitas mutationis suscipiendae invenitur in ente, quod circa id, in quo mutari potest, sit indifferens; seu quod circa rem illam se habeat contingenter. Contra, in iis, in quibus ens ita est, ut nequeat non esse, seu in quibus *necessarium* est, cogitari non potest. Hinc elucet, aliquid esse posse mutabile vel quoad exsistentiam, vel quoad ea, quae exsistentiam consequuntur; itemque aut interne, aut externe. Mutabile quoad exsistentiam illud erit, quod exsistentiam suscipere potest vel amittere; idque nonnisi in entibus contingentibus locum habet. Haec enim, utpote suapte natura ad exsistendum indifferentia, quemadmodum nunquam exsistentiam recepissent, nisi a Deo condita essent, sic, si Deus permanere ea nollet, in nihilum iterum relaberentur. Mutabile vero quoad ea, quae exsistentiam consequuntur, id dicitur, quod in affectionibus sibi inhaerentibus variatur estque quoad perfectionem au-

gmenti vel decrementi capax Haec etiam mutationis capacitas entium dumtaxat contingentium est propria, nec ulla ratione in ente necessario reperitur. Quod enim natura sua determinatum est ad exsistentiam, determinatum est etiam quoad ea quae intrinsecus exsistentiam comitantur et afficiunt.

109. Utraque mutabilitas, quae exposita est, interna dicitur, quippe quae ipsum ens, cui tribuitur, aliquo modo variari supponit. Considerari praeterea potest mutabilitas quaedam externa, ex eo quod ens in se reapse non mutetur, sed extrinsecus tantum novam relationem et novum respectum recipiat. Cuiusmodi esset, exempli gratia, si, me circa immotam columnam ambulante, illa cum prius dextrorsum mihi esse diceretur, stare deinceps dicatur sinistrorsum. Patet enim evidenter in columna nullam interne factam esse mutationem, sed externe tantum quoad denominationem et respectum. Mutatio potius, si qua fuit, in me contigit, qui ex uno loco in alium discessi. Mutabilitas huiusmodi nullam imperfectionem includit, atque ideo enti etiam necessario non repugnat.

110. Aeternitate et tempore duae diversae durationes significantur. Duratio autem nihil est aliud nisi *exsistendi permansio*, seu *perseverans entis exsistentia* (1). Ex quo patet eius conceptum, utpote universaliorem atque abstractiorem, non esse cum conceptu temporis confundendum; prout faciunt ii, qui quamlibet durationem successioni admixtam esse opinantur, speciem cum genere perperam commiscentes.

Ut diversae dantur species exsistendi, sic diversae sunt species durationis. Iam age ens necessarium, cuius notionem descripsimus, ita exstat, ut suapte natura undique sit immutabile. Non modo enim principium aut finem suscipere nulla ratione potest, verum etiam nullas vices in se subit. Haec itaque duratio Entis necessarii et omnino immutabilis, pro-

(1) Perseverandi conceptus, qui durationem quavis continetur, negativa locutione, idest per *non cessationem*, exprimitur. Hinc tamen minime inferendum est, eius notionem negativam esse. Re enim positiva est; siquidem exsistentiam innuit, quae non desinat sed permaneat; id autem positionem includit.

prie aeternitas nuncupatur (1); quae a Boëthio definita est *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* (2). Quae quidem descriptio optima est et veram aeternitatis notionem exhibet. Nam in eo, quod dicitur *interminabilis*, significatur carentia principii et finis, exorta ex ipsa Entis, cui competit, natura. Per vitam exprimitur exsistentia eiusdem Entis, quae utpote perfectissima, in vivendi actu consistit. Denique, cum additur tota simul et perfecta possessio, mutatio omnis et interna vicissitudo excluditur. Ex quibus elucet durationem hanc soli Deo competere, qui solus habet exsistentiam adeo stabilem et mutationis expertem, ut vi suae naturae initio et fine careat, nec in suis internis perfectionibus varietur.

111. In aeternitate nulla est partium successio, nec *transactum* aut *futurum* proprie reperitur, sed tantum *praesens* (3). Quod Plato acute perspexit inquiens in Timaeo: *Erat et erit non recte aeternae substantiae assignatur.* Attamen recto sensu solent quandoque sine errore hae etiam voces de ente aeterno proferri, cum dicitur ipsum *esse*, *fuisse*, et *futurum esse*. A quo loquendi modo ut error omnis arceatur, observandum est in conceptu praeteriti et

(1) Hoc adnoto, quia minus proprie duratio quoque entis contingentis et mutabilis aeternitas vocari posset, si non solum fine sed etiam initio careret. Atque hoc sensu agitatur quaestio: possibilisne sit mundus aeternus? Immo vero quandoque etiam duratio, quae initium habet, si finem non sit habitura, solet aeternitas vocitari. Sic animus humanus aeternus dicitur, eo quod semper posthac sit duraturus.

(2) *De consolat. Philos.* lib. 3, prosa 2.

(3) Graviter in hoc erravit Genuensis (*Metaph.* p. 2, c, 41, par. 144), imprudenter asserens in aeternitate, etsi successio physica nulla sit, adesse tamen successionem metaphysicam. At nemo est, qui non videat non posse admitti conceptum ullum successionis, cuiusque generis sit, quin notio diversitatis in exsistendo et mutationis cuiusdam una pariter adstruatur. Quare ubi haec omnino deest, illam etiam deesse oportet. Fortasse Genuensis deceptus est ex eo, quod nos, rebus temporaneis assueti, in ipsa aeternitate fluxum quemdam et extensionem imaginamur. At totum hoc non in iudicio et conceptu mentis est, sed in repraesentatione phantasiae; diligenter autem philosopho cavendum est ne iudicium et ideam mentis cum phantasmate imaginationis confundat.

futuri contineri simul positionem aliquam et negationem. Cum enim aliquid dicitur exstitisse, exsistentia ipsi tribuitur ante praesens tempus. En affirmatio. At eiusmodi exsistentia fluxisse intelligitur, et nunc neutiquam permanere. En negatio. Similiter cum dicitur futurum, item exsistentia habenda asseritur, atque in hoc positio adstruitur. Haec tamen exsistentia ut nondum habita cogitatur, et in hoc negatio adnectitur. Iam age istae notiones quoad partem illam negantem aeternitati non conveniunt; conveniunt autem quoad affirmantem. Antequam enim tempus praesens adveniret, reapse eadem, quae nunc est, stabat aeternitas; ac postquam praesens hoc tempus fluxerit, aeternitas eadem permanebit, omni tamen mutatione summota. Ex quibus illud etiam apparet: aeternitatis notionem a nobis efformari per remotionem quorumcumque limitum et mutabilitatis a durationis idea; non vero, ut Lockius inepte dixit, per iugem temporis additionem (1). Sed iam ad conceptum temporis veniamus.

112. Quamquam tempore nihil nobis familiarius sit, de ipsoque assidue loquamur; tamen eius notio difficillima est ad definiendum. Atque id, ut S. Thomas observat, nascitur non modo ex defectu intellectus nostri, sed etiam ex defectu intelligibilitatis ipsius obiecti. Nam, quae minimam habent entitatem, minimam quoque habent intelligibilitatem; tempus autem minimam habere entitatem ex eo patet, quod nunquam exsistit actu secundum se totum, sed tantum secundum partem indivisibilem, nimirum praesens (2). Nihilominus, quantum de obscura hac re edici potest, tempus proprie nihil aliud esse videtur, nisi duratio entis successivi vel mutabi-

(1) *Essai concern. l'entend. hum,* liv. 2, ch, 12.

(2) Pulcra sunt S. Augustini verba, quibus hanc difficultatem describit: « Quid enim, ait, est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius et notius in loquendo commemoramus, quam tempus? Et intelligimus utique cum id loquimur, intelligimus etiam cum, alio loquente, id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio. Fidenter tamen dico scire me quod, si nihil praeteriret, non esset praeteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; et si nihil esset, non esset praesens tempus. » *Confess.* lib. 11, c. 17.

lis. Nam tempus durationem esse quamdam, perspicuum est. Eo enim rerum aliquarum in exsistendo intelligimus perseverantiam. Continenti vero et iugi mutationi permisceri non minus apparet. Nam extensionem et partes includit, quarum nulla permanet, sed omnes fluunt assidue. Hoc autem nonnisi immutationis proprium est. Ad hanc igitur pertinet tempus; atque ea omnia, quae mutationi subduntur, in tempore sunt et temporis spatiis dimetantur.

113. Qua in re animadvertendum est ens quidem omne contingens mutationibus quibusdam, ut diximus, esse obnoxium. At hae mutationes esse possunt vel instantaneae, vel successivae. Nimirum vel esse possunt huiusmodi ut illico perficiantur, quin interstitium ullum habeatur inter potentiam et actum (qualis est mutatio quae in entibus spiritualibus cernitur, cum operationem aliquam eliciunt); vel possunt esse tales, ut fiant cum mora et fluxu veluti quodam continuo. Sic corpus de uno loco transfertur in alium, aut novam qualitatem vel quantitatem induit, cum ex. gr. calefit aut succrescit (1). Iam vero superiores illae mutationes, quas

(1) Haec et similia rationem mutationis maxime continent. Nam subiectum quod afficiunt, non repente ad terminum, in quem tendit, ferunt; sed in via potius constituunt, qua ad illum ducitur. Quare subiectum ita actuant, ut in aptitudine adhuc aliqua relinquant respectu termini. Exemplum habes perspicuum in motu locali. Hic, si acute consideretur, in ipso transitu corporis ex uno loco in alium cogitandus est, atque in eo praecise cernitur, quod res, quae movetur, a puncto, unde discessit, in terminum, ad quem ferri concipitur, provehatur; illum tamen nondum attingat. Sic cum corpus, motu accepto, a loco ubi antea quiescebat, in alios indefinite fertur; ratio motus inde habetur, quod ita corpus illud in punctis spatii, quod percurrit, inveniatur, ut ibi non sistat sed migret in alia. Secus si ab ulteriori tendentia cogitationem avocas, non motum, qui peragitur, sed qui peractus est, cogitabis. Idem dic de ceteris successivis mutationibus. Sumatur ex. gr. calefactio. Mutatio corporis, quod calefit, in ipsa inductione vel evolutione caloris sita est, qua corpus illud ex caloris carentia ad ipsum in determinato gradu acquirendum sensim adducitur. Secus non calefactio, sed calefactum corpus habebitur. Unde eiusmodi motus seu transmutatio ab Aristotele definiebatur *actus entis in potentia, quatenus in potentia*. Est enim veluti actuatio imperfecta, per quam subiectum, quod movetur seu transmutatur, constituitur in statu medio inter meram

innui, tempore proprie dicto non videntur contineri: sed earumdem duratio aut appellabitur *aevum*, aut si appellatur *tempus*, intelligitur *improprie*, seu quatenus sit *duratio creata*, quae ab aeternitate differt et aliquam mutationem includit. Verum posteriores, quae longe imperfectiores mutationes sunt, duratione sua tempus constituunt; in ipsasque ea omnia apte quadrant, quae in conceptu temporis insunt. Hinc patet tempus esse aliquid reale et independens a mentis consideratione. Nam positis rebus mutabilibus, etiamsi nullus intellectus eas contempletur, illae in suis motibus duratione afficiuntur, quae tempus exhibet. Attamen cum tempus successionem involvat et non exsistat actu nisi per indivisibile praesens; consequens est ut eius notio compleri debeat per operationem mentis, quae eius partes colligat et enumeret. Ad rem S. Thomas: « Si motus haberet esse fixum in rebus, sicut lapis vel equus, posset absolute dici quod, sicut etiam anima non exsistente, esset numerus lapidum; ita etiam, anima non exsistente, esset numerus motus, qui est tempus. Sed motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu invenitur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus; sed totalitas motus accipitur per considerationem animae, comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur et tempus, non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile; ipsa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animae numerantis prius et posterius in motu (1). » In hoc sensu intelligendus est S. Augustinus, cum dicit tempus in cogitatione animi reperiri. Atque haec de tempore delibasse sufficiat.

114. Tantum observandum est, ex consideratione temporis, quod est in rebus, nos consuetudine adduci ad tempus aliquod imaginarium cogitandum; quod concipimus velut intervallum quoddam durationis successivae initio et fine carentis, quae ab aeternitate fluxerit. In hoc ludicro phantasmate duo distinguere oportet: elementum intellectivum et elementum phantasticum. Primum non aliud est, nisi possi-

potentiam et actum perfectum. Aliis verbis, motus seu mutatio, proprie dicta, est quidem actus, nam subiectum immutat, sed ita est actus ut ulteriorem actum respiciat, quem nondum attigerit.

(1) In 4 *Physicorum*, lect. 23.

bilitas ipsius temporis realis; quae mentis abstractione concipitur, ac proinde limitibus caret et determinatione quavis, propria rerum exsistentium; quemadmodum accidit in omnibus possibilibus cogitandis. Alterum est admixtio phantasiae, quae conceptum illum in nobis comitatur, et quae successionis realis imaginem illi adiungit. Porro ex confusione unius elementi cum alio ansam desumpsit Kant existimandi tempus esse intuitionem quamdam puram, seu a *priori* in nobis enascentem, tamquam formam sensibilitatis internae.

ARTICULUS VII.

De conceptu finiti et infiniti, simplicis et compositi.

115. Finitum, ut ipsum nomen innuit, id intelligitur, quod limitibus circumscribitur; infinitum contra, quod est confinium ac limitum expers. Utrumque non modo in determinato genere rerum, ex gr. virtutis, extensionis, durationis, aliisque; sed etiam quoad ipsam realitatem perfectionemque absolute spectatam considerari potest. Ut enim cogitamus finitam aut infinitam virtutem et cetera, sic etiam cogitamus finitam aut infinitam simpliciter entitatem.

116. Compositum id dicitur, quod ex pluribus constat simul iunctis; quod vero ita est, ut ex pluribus non coalescat, simplex appellatur. Ex quo liquet conceptum *simplicis* non esse omnino negantem et in sola partium exclusione situm; sed positionem includere, nimirum ipsam entis realitatem, ex qua exclusio partium emergat seu negatio compositionis. Cum vero simplex composito, uti patet, opponatur; ex diversis compositi speciebus diversitas etiam simplicis innotescit. Porro compositum triplex cogitari potest: *reale, logicum, metaphysicum.* Primum est, quod ex partibus realiter distinctis; alterum quod ex partibus distinctis quoad solam cogitationem; tertium quod ex partibus distinctione virtuali discriminatis exsurgit. Iterum compositum reale esse potest aut *substantiale*, ut homo, qui ex anima et corpore constat in unitatem substantiae concurrentibus; aut *accidentale*, ut domus, quae ex pluribus substantiis, per se completis, exsurgit; aut *modale*, ut substantia modis affecta, ex. gr. globus eburneus, qui ex figura rotunda et ebore confor-

matur: aut denique *integrale*, quod ex partibus non ad rei essentiam sed ad quantitatem pertinentibus coalescit, ex. gr. corpus humanum, in quantum variis conflatur membris.

PROPOSITIONES

117. Propositio 1.ª *Notio finiti non est mere negativa, sed partim negans et partim affirmans.*

Prob. Notio mere negativa ea est, quae circa meram negationem versatur. Atqui finitum non est mera negatio, sed verum ens positivum et reale. Ergo notio finiti mere negativa esse nequit. Quamvis autem positiva sit ex ea parte, qua offert realitatem, tamen ex ea parte, qua limitibus afficitur, negatione constat, cum limes sit ulterioris perfectionis carentia.

118. Propositio 2.ª *Notio finiti, qua parte negationem includit, non fundatur in praevia notione infiniti, uti vellent Cartesiani.*

Prob. In tantum notio finiti, qua parte negationem includit, fundanda esset in praevia notione infiniti, in quantum illa negatio concipi non posset, nisi per oppositum conceptum infiniti. Atqui id falsum omnino est. Nam sive *a posteriori* sive *a priori* negatio illa explicari velit, nullam necessitatem affert praeviae notionis infiniti. Et sane cum nos ipsos per conscientiam, aut obiecta alia creata per ceteras cognoscendi facultates attingimus, ea in perfectione et viribus non ad omnia se protendere, sed ab aliis superari conspicimus, ac tum incrementi tum decrementi esse capacia, propter innumeras mutationes, quibus subiiciuntur. Id vero sufficit ut ipsa limitibus quibusdam coërceri concipiamus, quod certe finiti notionem exhibet. In hoc casu negatio fundatur in notione positiva illorum graduum perfectionis et virtutis, quos in obiecto non contineri sed extra ipsum in aliis reperiri contuemur.

Consimilis illatio sequitur, si *a priori* quis procedere velit. Nam concepta, vi abstractionis, idea universali aut potentiae, aut durationis, aut etiam entis, optime mens cogitat posse perfectionem illam aut totam possideri, sine defectu et limite, aut contrahi ad aliquem dumtaxat gradum determinatum, quin ulterius extendatur. Hinc simul efformat conceptum infiniti et conceptum finiti; quibus praecessit conce-

ptus abstractus quidditatis, de qua agitur, absolute et per se spectatae in propriis characteribus; atque haec erit notio, in qua negatio propria finiti fundatur. Breviter: ad finitum concipiendum, satis est sic apprehendere aliquid, ut ab eo indeterminate excludatur ulterior perfectionis gradus. Haec autem exclusio optime concipitur vel ope graduum perfectionis, qui in aliis entibus conspiciuntur; vel ope quidditatis abstractae, quae non tota in ente illo relucet.

Dices: Haec ipsa notio quidditatis erit notio infiniti, de qua loquimur.

Respondemus negando. Nam illa quidditatis notio, ut in Logica explicavimus, limites nec includit nec abiicit; sed mere offert essentiam obiecti indeterminate accepti. Unde in rigore loquendo nec finita nec infinita dici potest. Ad summum si appellari velit infinita, addendum erit restrictio, *negative;* quatenus nempe non includit limites, quamvis neque excludat. Sed, uti clarum est, huiusmodi infinitum differt ab illo, de quo praesens agitatur controversia; hoc enim esse deberet infinitum *positive* acceptum, quod limites non modo non includat, sed prorsus excludat.

Ex quo manifestum est errorem adversariorum inde procedere, quod non animadverterint primam mentis cogitationem versari circa universale per immediatam abstractionem efformatum, ut in Logica diximus et denuo in Psychologia explanabimus.

119. Propositio 3.ª *Notio infiniti non habetur per continuam additionem finiti, ut Locke opinatur* (1).

Prob. Notio infiniti in eo ordine, in quo consideratur, simplex est et obiectum affert a limitibus omnino liberum. Atqui id, quod per continuam additionem finiti habetur, est maxime compositum, et limitibus nunquam vacat; siquidem perfectioni terminatae nonnisi terminatam perfectionem adiungit. Ergo notio infiniti exsurgere nequit ex iugi additione finiti.

Nota: Per iugem additionem finiti ad summum haberi potest notio *indefiniti*. Nam si illa additio indeterminate concipitur, ita ut in nulla mens sistat, sed, quaecumque assignetur, aliam fieri posse intelligat; habetur res perpetui in-

(1) *Essais Phil. concern. l'entend. humain*, l. 2. ch. 15.

crementi capax, sine fine. Hoc vocatur indefinitum; quod sane finitum est actu, et infinitum dumtaxat in potentia.

120. Propositio 4.ª *Notio absoluta infiniti non habetur nisi per totalem et positivam limitum remotionem.*

Prob. Notio absoluta infiniti non habetur, nisi per id quod ipsum plane discernit a finito. Atqui hoc non est, nisi totalis et positiva limitum remotio. Etenim si limes ex aliqua parte relinquitur, ex ea finitum constituitur; sin limes negative tantum removetur, idest nec affirmatur nec negatur, habebitur aliquid, quod per se praescindit a finito et infinito, et cum utroque componi potest. Non igitur habebitur absolute infinitum. Ut igitur hoc habeatur, ex omni parte et positive limites abiici debent.

121. Propositio 5.ª *Nulla res creata potest esse infinita quoad essentiam.*

Prob. Infinitas essentiae includit ideam entis undequaque perfecti, in quo ex nulla parte limes aut defectus cogitetur. Atqui id nonnisi enti necessario competere potest. Ens enim contingens, ut ex superioribus patet, non solum pendet ab alio quoad exsistentiam, sed etiam ratione multiplici mutabilitatem includit, atque ideo augmenti et decrementi est capax. Excludit igitur necessario a se independentiam ac necessitatem exsistendi et immutabilitatem, quae sunt perfectiones maximae; ideamque suppeditat confinium quorumdam quibus res teneatur, et ex quorum veluti mutatione fiat, ut perfectione aliqua spoliari aut nova augeri possit.

Praeterea, quodlibet ens contingens non est ipsa absoluta realitas, sed huius participatio et quasi rivulus; conceptus autem eiusmodi notionem implicat coarctationis, confinium, mensurae. Ens ergo contingens nonnisi numeris quibusdam adstrictam realitatem habet. Quare perfectio infinita si possibilis est (esse autem possibilem ex eo patet, quod nullam conceptuum pugnam includit), nonnisi in ente necessario reperiri potest.

Denique, ens contingens distinguitur in essentia ab ente necessario. Carere igitur debet iis constituentibus, quibus natura ipsa entis necessarii physice constat; quippe cum res quaevis per ea a ceteris secernitur et differt, per quae constituitur. Atqui infinita perfectio et simplicissima realitas, omnibus absoluta limitibus, id revera est, quo ens necessa-

rium physice in se constituitur, quemadmodum in Theologia naturali videndum erit. Hoc igitur in nullo ente contingente et creato inveniri potest. Quamobrem omne ens contingens finitum est, et omne ens finitum contingens est.

122. Propositio 6.ª *Nulli creaturae competere potest vis seu activitas infinita.*

Prob. Nihil excedere et superare potest perfectionem principii, a quo fluit. Atqui vis seu activitas emergit ex essentia; et ens contingens finitam semper habet essentiam; quippe nequit esse ens simpliciter infinitum. Ergo nulli creaturae competere potest vis seu activitas infinita.

Praeterea, activitas, utpote quae tamquam medium pro fine aliquo attingendo tribuitur, mensuram accipit a fine, quem respicit. Sed finis entis contingentis, cum finitam naturam perficere debeat, subiective, seu prout ipsam afficit, nonnisi limite adstrictus et determinatus est. Ergo activitas entis contingentis mensuram habet limitibus circumscriptam. Ergo finita est.

Nec huic veritati quidquam obest quod creatura rationalis pro fine habeat Deum ipsum, qui certe infinitus est. Nam illum non aliter quam finite consequitur. Proinde actio, qua ipsum attingit et ad quam intellectualis eius activitas ordinatur, ita obiectum illud respicit, ut subiective et entitate sua finita sit. Vires autem agendi mensuram desumunt a fine, non prout in se est, sed prout adeptione capitur ac subiectum afficit, quod circa ipsum operatione versatur.

123. Propositio 7.ª *Dari nequit magnitudo seu moles actu infinita.*

Prob. Essentiam determinatam consequuntur accidentia determinata. Atqui moles est accidens corporis; et omne corpus habet essentiam determinatam. Ergo magnitudo molis in corpore debet esse determinata, ac proinde finita. Efficitur hinc ut etiam quoad parvitatem molis quaelibet natura corporea habeat certos limites, quos trasilire non valet, quin physice destruatur; licet illa quantitas, per se spectata, sit ulterius divisibilis.

Praeterea, corpus instructum mole infinita moveri non posset, cum occuparet omnia loca. Sed omnis actio corporis est per motum; et sine motu, qui agens patienti applicet, intelligi nequit. Ergo corpus, mole infinitum, omni actione desti-

tueretur. Sed res omni actione destituta ad nullum finem ordinaretur, quod repugnat. Ergo moles actu infinita exstare nequit. Tertio, omne corpus exigit certam figuram. Nam sicut constat materia, ex qua resultat extensio; ita constat forma substantiali, ex qua resultant qualitates actuantes extensionem: prima autem actuatio extensionis est figura, sine qua extensio esset informis et indeterminata. At vero moles infinita carere deberet figura. Ergo impossibile est ut detur in rebus.

124. Propositio 8.ª *Multitudo actu infinita dari nequit.*

Prob. Omnis multitudo, actu exsistens, est in aliqua specie multitudinis; repugnat enim ut exsistat genus, quod ad nullam speciem reducatur. Atqui species multitudinis sunt secundum species numerorum, ac proinde finitae; nam numerus est multitudo mensurata per unum; resultat enim ex additione unitatum. Ergo omnis multitudo, actu exsistens, finita est. Praeterea, multitudo in rerum natura exsistens est creata. Atqui omne creatum finitum est; comprehenditur enim sub aliqua certa ordinatione creantis, qui ipsum vel ut medium ad acquisitionem alicuius determinati finis destinat, vel ut finem per aliqua determinata media assequendum intendit. Ergo multitudo actu infinita repugnat.

Adiungit autem S. Thomas, contrarium dicendum esse de infinitate potentiali; quae, ut extenso, sic etiam multitudini non reluctatur. Sic enim inquit: « Sed esse multitudinem infinitam in potentia, possibile est: quia augmentum multitudinis consequitur divisionem magnitudinis. Quando enim aliquid plus dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Unde sicut infinitum invenitur in potentia in divisione continui; eadem ratione etiam infinitum invenitur in potentia in additione multitudinis (1). »

Solvuntur difficultates.

125. *Obiic.* I. Quo potentia est perfectior, eo nobiliorem effectum producere potest. Atqui divina potentia est infinita. Ergo producere poterit effectum perfectionis infinitae. Ergo creatura infinita quoad essentiam non repugnat. Secus dicendum erit divinam potentiam non esse infinitam.

(1) *Summa theol.* 1. p. q. VII, a. 4.

R. *Dist. mai:* Quo potentia est perfectior, eo nobiliorem effectum producere potest ex iis, qui possibiles sunt, *conc;* secus *nego. Conc. min.* et *dist. consequens:* Nisi huiusmodi effectus infinitae perfectionis intrinsecam repugnantiam includeret, *conc;* si includat, ut reapse includit, *nego.* Ad illud vero, quod additur, sic potentiam divinam non fore infinitam, *nego* prorsus.

Prima conditio quoad efficientiam potentiae est, ut effectus per se non repugnet. Aliter enim, non vitio virtutis causae, sed vitio et incapacitate propria produci non poterit. Iam vero creatura infinitae perfectionis quoad essentiam, contradictionem implicat; esset enim et non esset plenitudo totius realitatis. Ergo chimaera est et sine mente sonus. Obiectum igitur divinae potentiae esse nequit. Neque hinc aliquid detrahitur divinae potentiae, ad cuius infinitatem oppido sufficit, ut nunquam exhauriatur effectu, sed ad perfectiores res condendas, sine ullo limite, sit efficax.

Obiic II. Intellectus noster est vis infinita; nam intelligit universale, quod se extendit ad infinita singularia. Ergo non repugnat vis infinita in creaturis.

R. *Dist. ant:* Intellectus noster est vis infinita secundum quid, *conc;* simpliciter, *nego.* Ad probationem *dist:* Se extendit ad infinita singularia, quae constituunt infinitum aliquod potentiale, *conc;* quae constituunt infinitum aliquod actuale, *nego.*

Intellectus infinitus simpliciter ille est, qui ad omnia prorsus se protendit, et quidem sub omni respectu et gradu quo cognoscibilia sunt. Hic intellectus non est nisi divinus. At intellectus noster dici potest infinitus secundum quid, seu sub aliqua consideratione; quatenus, cum non dependeat a materia, non determinatur, ut sensus, ad individua materialia singillatim percipienda, sed percipit formam vel essentiam rei, qua talis est; quae proinde inveniri potest in innumeris subiectis singularitate tantum distinctis. At in his concipiendis se habet negative potius, quam positive. Non enim apprehendit distincte omnia illa individua, fine carentia, quae praedictam formam vel essentiam participare possunt; sed tantum intelligit non dari ullum numerum determinatum individuorum, ultra quem participatio illa non extendatur. Qui conceptus infinitum exhibet potentiale non actuale.

Quamvis, etiamsi intellectus noster conciperet distincte infinitam multitudinem individuorum, quae participare possent aliquam determinatam formam (ex gr. omnes homines possibiles); tamen inde non sequeretur ipsum esse infinitum simpliciter. Ad hoc enim inferendum requireretur obiectum infinitum ex parte formae; non autem infinitum ex parte solius materiae. At vero infinitum quoad meram multitudinem se tenet ex parte materiae; individua siquidem multiplicantur ratione materiae, non ratione formae; secundum quam si differrent, hoc ipso diversas species constituerent. Quare S. Thomas concedit Angelis hunc modum concipiendi infinitam multitudinem, licet finitum intellectum habeant (1). At homo, cuius cognitio in praesenti vita inchoatur a sensibus, neque hoc modo infinitam multitudinem concipere potest, sed tantum confuse; quatenus, ut dixi, concipit in individuis, quae actuari possint aliqua forma, nullum dari finem.

Obiic. III. Non repugnat magnitudo infinita actu exsistens. Nam nos concipimus protendi ultra mundi machinam spatium aliquod interminatum, quod sit veluti capacitas recipiendorum corporum, trinam habens dimensionem, in *longum*, *latum*, et *profundum*, in se tamen immutabilis et necessaria.

R. *Nego assumptum.* Ad probationem *distinguo:* Concipimus etc. tanquam aliquid imaginarium ex lusu phantasiae, *concedo*, tanquam aliquid reale ex dictamine rationis, *nego.*

Ne ansa detur errandi, consentaneum est de notione hac aliquid innuere; mirum enim est quantopere in ea delirarint philosophi, quotque absurda protulerint. Nonnulli enim, ut Newtonus et Clarkius, eo progressi sunt, ut dicerent huiusmodi expansionem infinitam ipsam esse immensitatem Dei. Alii vero, ut Gassendus, opinati sunt, ipsam aliquid esse incorporeum, non tamen spiritum, triplici dimensione constans, sed improductum et a Deo independens. Alii existimarunt spatium substantiam quamdam esse corpoream, vel saltem reale aliquid, a rebus concretis distinctum et absolutum. Denique, ne omnes recenseam, Kant ratus est spatium generatim esse intuitionem quamdam puram, seu ab experientia independentem, et formam sensibilitatis externae, vi cuius singula corpora extensa esse cogitaremus. Haec omnia absur-

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De scientia animae Christi*, art. 4.

da sunt. Nam Kantii opinio idealismum inducit, et extensionem corporum obiectivam a cognitione nostra prorsus ablegat. Ceterae autem opiniones rem confingunt, quae simul composita sit et simplex, necessaria et ad creata pertinens, incorporea et dimensionibus constans. Ad summam, monstrum creant pugnantibus inter se notis undique scatens.

Ut itaque rem hanc explicemus animadvertendum est corpora, quae adspectabilem hanc rerum universitatem conflant, apte disposita esse inter se et ordinata, ita ut alia aliis contineantur. Quare corpus quod intra suas dimensiones aliud continet, erga illud vices gerit receptaculi cuiusdam, quod ipsum circumscribat et amplectatur. Corpus autem quod nullo alio continetur, ipsum sibi est receptaculum sui. Hinc notio in nobis spatii realis ingeneratur, quatenus concipimus dimensiones corporis unius, aliud circumdantis; inter quas corpus aliquod locari potest; aut etiam concipimus dimensiones superficierum eiusdem corporis, quod continet seipsum, quas inter substantia illius revera constituitur. Et sane cum spatium metiri volumus, aliud revera non facimus nisi quod distantias eas dimetimur, quae aut inter extremas partes superficierum eiusdem corporis, aut inter superficies alterius corporis, quod illud ambit, intercedunt. Quapropter spatium reale non est aliquid separatum ab ipsis corporibus extensione gaudentibus; sed obiective consistit in ipsis dimensionibus extensionis eorumdem, prout inter se distant et substantiam continent, quam afficiunt. Aut, si de spatio non interno sed externo sermo est, a dimensionibus constituitur corporis circumstantis, prout ad corpus aliud inter illas collocandum referuntur. Vacuum vero quod inter eas superesset, si corpus contentum in nihilum redigeretur, revera nihil est; et in tantum mensurae capax concipitur, in quantum vel cogitantur distantiae corporum, quae illud intercipiunt, vel cogitatur extensio corporis, quod ibi locari posset.

Ex hac *spatii realis* notione, quam apprehendere solemus in corporibus, ad *spatium imaginarium* concipiendum datur occasio. Quod quidem concipimus veluti capacitatem locandorum corporum, sine mutatione aut terminis, independentem ab actuali exsistentia ipsorum corporum, et quae superesset etiamsi mundus materialis in nihilum redigeretur. Haec repraesentatio nihil reale, extra cogitationem positum,

revera refert; sed partim ex notione possibilitatis cuiusdam, partim ex phantasmate imaginationis componitur. Nam quatenus capacitatem collocandorum corporum amplectitur, nil aliud reapse exhibet, nisi ipsam possibilitatem spatii realis, quod proxime descripsimus, quodque ab ipsa extensione corporum non distinguitur. Hoc ipso enim quod corpora sunt possibilia, ac, si exsisterent, spatium reale praeberent; eius capacitas seu possibilitas mente cogitari potest. Et quoniam possibilia corpora nullo numero coërcentur, idcirco fit ut haec capacitas velut infinita vel melius indefinita concipiatur. Itemque, cum rerum possibilitas, ut alias diximus, immutabilis sit et aeterna; hinc etiam fit ut capacitas abstracta corporum collocandorum, ut quid aeternum et sine mutationis vicissitudine repraesentetur. Denique, quia sic capacitas illa, in possibilitate tantum inspecta, cum actuali exsistentia corporum non connectitur, oritur hinc ut tamquam absoluta et a rebus independens apprehendatur. Atque id omne ad intelligentiam pertinet. Huic vero conceptui phantasma imaginationis adiungitur, quae rei per ipsum repraesentatae affigit dimensiones veluti actu exstantes, et sub concreta et sensibili forma. Atque ita ex mixtione utriusque conceptionis fallax aliquod procuditur spectrum, quo qui parum rem perpendit, facile hallucinatur.

Hinc ut ad obiectam difficultatem redeam, aio nihil posse ab idea hac spatii imaginarii pro eiusdem adstruenda exsistentia desumi. Evidenter enim ex ea parte, qua ab imaginatione procedit, nihil probat; cum, ut patet, non quidquid imaginatione confingitur, id continuo in exsistentium aut possibilium numero habendum sit. Qua autem parte ad intelligentiam pertinet, non aliquid infinitum revera, sed indefinitum exhibet, et quidem ab ipsa possibilitate spatii realis, seu extensionis corporeae, non diversum.

Obiic. IV. Potentia reduci potest ad actum. Atqui datur infinitum in potentia, ut supra concessum est. Et sane, quantitas sine fine augeri et dividi potest. Ergo multitudo aut extensio actu etiam infinita dari debet, vel saltem possibilis est.

R. *Dist. mai:* Potentia reduci potest ad actum eo modo, quo ad illum habet ordinem relationemque, *conc;* secus *nego.* Ad *minorem* pariter *dist:* Exsistit infinitum in potentia, qua-

tenus exstat aliquid, cui quodcumque decrementum vel incrementum finitum accedat, hoc nunquam est ultimus terminus, quem transilire non liceat, *conc;* quatenus datur aliquid, quod actu incrementum vel decrementum absolute maximum suscipere valeat, *nego.*

Quo sensu infinitum, ut aiunt, in potentia admitti debeat satis dilucide innuimus supra. Non enim id perinde intelligendum est, quasi res adsit vel capacitas, quae molis aut numeri, aut qualiscumque realitatis actu sine terminis augendae sit compos. Id enim omnino repugnat. Verum ita intelligi debet, ut aliqua exstent, quae novi quidpiam semper suscipere possunt, quin unquam extremum adveniat, quod ulterius progredi conceptu saltem vetet. Sic etiam divisibilitas in infinitum quoad quantitatem datur hoc sensu: non quatenus inveniatur habilitas ad divisionem in partes actu infinitas, sed quatenus in quotascumque particulas corpus extensum dissecetur, hae iterum sine fine in alias atque alias discerpi possint, et novis limitibus affici, qui a prioribus differant. At hoc ita contingit, ut partes, quae actu habentur, semper finito numero contineantur, limesque actu determinatus finitam semper claudat quantitatem.

Obiic. V. Deus videt uno mentis intuitu omnia possibilia, eaque videt esse infinita quoad multitudinem. Sed Deus quod cognoscit, condere potest. Ergo condi poterit multitudo actu infinita.

R. *Conc. mai.* et *dist. minorem:* Quod Deus cognoscit condere potest, eo modo quo cognoscit illud condi posse, *conc;* secus, *nego.*

Deus cognoscit infinitam multitudinem, sed eam cognoscit non posse exsistere totam simul in actu extra intellectum. Nam extra intellectum multitudo nequit consurgere nisi ex coniuntione individuorum, quae creantur, et sic semper constituit numerum, seu multitudinem determinatam unitatum. At prout exsistit in mente divina consurgit ex comprehensione divinae naturae, quae nunquam exhauritur participatione vel imitatione, ac proinde ad infinita respectum habet. Deus tamen videt illam infinitam multitudinem non posse exsistere nisi successive, quatenus nova individua aut etiam novae rerum species iugiter addantur, quin unquam ultimus terminus attingatur. Atque hoc modo illam condere potest,

si velit. Nec quidquam officit quod Deus eam videat unico mentis intuitu. Id enim se tenet ex parte videntis non ex parte rei visae; optime autem potest aliquid a Deo simul videri et videri etiam quod nequeat simul exstare sed tantum successive. Sic ex. gr. Deus videt uno intuitu omnes dies, qui mensem vel annum constituunt; at simul videt repugnare ut omnes simul exstent, sed omnino exigi ut alius veniat post alium.

CAPUT TERTIUM

DE CAUSIS ENTIS.

126. Disceptatio de causis ad Ontologiam maxime pertinet, tum propter connexionem, quam habet cum entis conceptu (omne enim ens aut causa est aut saltem ex causa gignitur); tum etiam quia ceterae scientiae, quarum principia suppeditat, in causarum praesertim investigatione versantur. Longe enim sumus ab iis, qui causarum studium a philosophia ablegandum volunt; siquidem veri nominis scientia acquiri nequit, nisi rerum causae detegantur. Quare harum neglectus pervertit ea, quae sunt scientiae fundamenta, et naturae reluctatur, quae, ut inquit Seneca, *curiosum* nobis ingenium dedit, idest causas sciendi cupidum. Ne autem brevitatis terminos transiliamus, totam quaestionem sex absolvemus articulis; quibus primum de notione causae generatim, deinde de singulis causis separatim dicemus.

ARTICULUS I.

De notione causae generatim et eius diversitate a notione principii.

127. Etsi causae nomen efficienti potissimum tribui soleat, tamen ea vox latius vagatur, et generatim significat quidquid aliqua ratione concurrit ad effectionem alterius. Hoc universalis causae notio importare videtur. Id vero, quod ex effectione illa consurgit, nominatur *effectus;* atque id, quo causa quaevis in suo genere constituitur, vel etiam actualis influ-

xus, quem singulae causae in proprio ordine in effectum exerunt, *causalitas* nuncupatur.

128. Causae notio primitiva est et ex iis, quae non studio vestigantur, sed vi naturae in nobis evolvuntur. Id manifeste patet: cum indocti etiam et pueruli curiositate pulsentur; curiositas autem, ut supra notavimus, nihil est aliud quam cupiditas sciendi causas. Praeterea, cum omnis fere quaestio sit quaestio de causa, et nequeat quaeri id cuius nulla notio habetur; nulla fere quaestio ab homine moveri posset, nisi confuse saltem praesumeretur notio causae. Quod praecipue locum habet in quaerenda definitione, quae semper ad causam rei aliquo modo reducitur. Ex quo consequitur ut nisi notio causae menti naturalis esset, ne hoc quidem quaeri posset: *Quid est causa?* Id vero cum quaeritur, non aliud quaeritur, nisi ut notio, quae sponte in nobis evolvitur, reflexione collustretur. Atque in hoc sensu causam superius descripsimus: Id, quod aliqua ratione concurrit ad effectionem alterius.

129. Causarum quadruplex est genus: *materialis*, *formalis*, *efficiens* et *finalis*. Quae partitio ex ipsa rerum observatione colligitur. Nam in nova rei cuiuspiam effectione, cuius exempla innumera contuemur, quatuor considerari possunt. Primum, ens illud, cuius actione effectus gignitur. Deinde, subiectum in quo ens eiusmodi operatur ad effectum producendum. Tertio, realitas illa, quidquid sit, quae per talem actionem in subiectum inducitur. Tandem, bonum quod agens (si ratione sit praeditum) ex actione sua consequi studet, aut ad quod procurandum (si ratione privatur) a suo ordinatore dirigitur. Ponite ante oculos artificem, qui solidam Alexandri effigiem e marmore exsculpat. In hoc exemplo, quatuor cogitari debent: artifex ipse, qui statuam elaborat; marmor, ex quo signum illud exsurgit; dispositio partium, quam marmor recipit ad Alexandri referendam figuram; denique scopus, quem sibi sculptor in operando praestituit. Iam vero horum primum *causa efficiens*, alterum *materialis*, tertium *formalis*, quartum *finalis* nominatur. Ergo quatuor vigent causarum genera. Et quoniam aliae, quotquot excogitabis, ad aliquam ex recensitis facile reducuntur; adstructa partitio plena est omnesque complectitur.

130. Et sane, etsi alicui fortasse videri posset divisione hac nec instrumentum, quo in operando quandoque utimur, nec causam exemplarem aut obiectivam contineri; id tamen falsissimum est. Nam instrumentum ad causae efficientis genus revocatur. Etsi enim ex virtute et motu principalis agentis operetur, tamen aliquid vi etiam sua in effectum confert, vel saltem actionem illam exercet, ad quam a principali causa elevatur. Exemplum habes in penicillo, quod a pictore ad pingendum adhibetur. Nam, quamvis ex motu pictoris mutuatur ut colores, quos tabulae apponit, apte distribuat, prout imago pingenda requirit; ad id tamen exequendum confert aliquid vi et conformatione sua, secus neutiquam assumeretur. Obiectum vero, circa quod scientia vel generatim cognitio aliqua versatur, ad causam formalem reduci potest. Quamquam enim eo nomine id pressius intelligitur, quod intrinsecus subiectum actuat; tamen latiore sensu quidquid speciem realitatemque alterius aliquo modo metitur et determinat, causa eiusdem formalis dicitur. Quare, cum obiectum sit quod cognitioni vel scientiae speciem elargitur (in tantum enim cognitio vel scientia talis est, in quantum circa tale versatur obiectum); efficitur hinc ut obiectum etiam causa formalis sed externa nominetur. Denique, causa exemplaris reduci potest tum ad finalem, quia eius imitatio ab artifice intenditur; tum melius ad formalem, quia, extrinsecus saltem, effectum ad sui similitudinem producendum determinat, cum artifici suppeditet formam effectui tribuendam in eoque delineandam.

131. Etsi aliquando, apud Graecos praesertim, principium quodvis, active influens, soleat appellari αἰτία, nimirum *causa;* tamen severiori acceptione utriusque conceptus oppido differt. Quamquam enim omnis causa principium sit; tamen non omne principium est causa. Et quoniam hoc discrimen valde notatu dignum est pro iis, qui theologiae operam daturi sunt, utile erit ipsum aliquantisper enucleare.

Principium igitur generatim intelligitur *id a quo aliquid procedit.* Qua in re animadvertendum est in primis, ad notionem principii pertinere, ut inter ipsum et id, quod procedit, consecutio aliqua et nexus intercedat. Qui quidem, si exterior est dumtaxat et sine influxu actionis unius in alterum, denominatio principii latius sumitur tribuiturque rebus quam-

pluribus, quae intrinsecus non connectuntur. Sic ratione successionis negotium, unde cetera inchoamus, eorumdem principium dicitur; aurora, unde dies exordium habet, eius principium appellatur. At vero si inter principium et id, quod ex ipso procedit, non qualiscumque nexus externus adsit, sed interna connexio et verus actionis influxus, tunc eius vocis usurpatio pressior erit magisque propria. Sed principium eiusmodi, quod idcirco sic nominatur quia actuose influit, nullum est in rebus creatis, quod hoc ipso rationem causae non induat. In creatis, enim nullum est agens, quod possit actione sua eamdem numero naturam, quae in ipso est, communicare cum eo, quod ex ipso procedit. Hoc enim infinitam exquirit perfectionem, et humano captu incomprehensibilem fecunditatem. Quocirca creatis in rebus quidquid ex aliquo principio oritur, id eiusdem effectus est. Semper enim naturam ac realitatem recipit a natura et realitate sui principii numero saltem distinctam, ac proinde dependentiam retinet quoad essentiam. Tantummodo in augustissimo Trinitatis mysterio, docente Fide, exemplum habemus principii cuiusdam, quod actuose in aliam personam influit impertiendo naturam, nec tamen sit causa; propterea quod illi non naturam a se distinctam, sed suam propriam impertit.

Deinde, observandum est ad principium pertinere ut respectu eius, cuius est principium, aliquo modo sit prius; secus nequaquam id esset, unde hoc procederet. Ut autem intelligatur quonam pacto principium prius esse oporteat, considerari debet triplicem posse praeeundi rationem, quam *prioritatem* appellant, cogitari. Una dicitur *temporis* qua quidquam alteri duratione antecedit, ipsoque nondum exstante, exstat. Sic semen prius est planta. Altera dicitur *naturae*, per quam aliquid, etsi simul exstet cum alio, tamen est eiusmodi, ut hoc ab illo quoad exsistentiam pendeat. Sic sol se habet quoad lucem; quae simul quidem est cum sole, attamen ab eo in exsistentia dependet. Tertia dicitur *originis*, per quam quidpiam ita est, ut aliquid ab ipso exoriatur; licet hoc neque tempore sit posterius, neque naturam dependentem accipiat. Sic a Fide docemur in Deo se habere Patrem respectu Filii, et utrumque respectu Spiritus Sancti. Iam vero ad rationem principii haec postrema prioritas sufficit, etsi duae ceterae superiores desint.

Denique inter principium et id, cuius est principium, distinctio realis intercedere debet; siquidem duo illa inter se mutuam relationem habent atque oppositionem; nihil autem vere ad seipsum referri et sibimet opponi potest.

His explanatis intelligitur differentia, quae inter causam et principium, proprie dictum, viget. Nam merum principium cum internum est, naturam alteri communicat, sed eam non producit; secus vero est de causa. Itemque ad principii notionem sufficit origine tantum praecedere id, cuius est principium; at causa effectum praecedere debet, si non tempore, saltem natura. Aliter enim non produceret novam exsistentiam, ac proinde a causae definitione descisceret.

ARTICULUS II.

De causa efficiente.

132. Ut diximus, causae nomen praecipue efficienti tribuitur, que definiri potest: *Principium, quod actione sua reali et physica novam producit exsistentiam.* Qua definitione a ceteris causarum generibus apte distinguitur. Nam cum dicitur *actione sua reali et physica*, secernitur a causa finali, quae non physice in effectum operatur, sed efficientem bonitate sua allicit, suique amorem inspirando ad operationem adducit. Cum vero adiungitur: *novam producit exsistentiam*, separatur a causa materiali et formali, quae non aliquid a se diversum gignunt, sed ipsae effectum intrinsecus constituunt. Sic statua ex. gr. ex materia marmoris et artificiosa partium structura conflatur. Hinc intelligitur causalitatem causae efficientis esse ipsam actionem, qua effectus producitur; quod manifeste docet S. Thomas inquiens: *Efficiens est causa, in quantum agit* (1). Et ratio est, quia, ut supra dixi, causalitas est actualis influxus causae in suum effectum, et id quo proxime et actu constituitur causa in proprio ordine. Hoc autem nonnisi actioni competit, respectu causae efficientis.

133. Notionem etiam causae pervertit Lockius more suo. Eam enim in sola praecedentia unius phaenomeni respectu

(1) In 5 *Metaphys.* lect. 2.

alterius ponit; quia hanc tantummodo attingunt sensus (1). Seu, aliis verbis, notionem causae prorsus eliminat; quae certe non successionem sed dependentiam exigit, per quam aliquid, quod vi propria non est, per eius actionem exsistentiam acquirat.

Lockium sequutus est Hume ad scepticismi caliginem scientiis offundendam. Lockianis enim principiis insistens, causae efficientis conceptum a cognitione nostra ratiocinando expungit, propterea quod nec a sensibus nec a conscientia deduci posse contendit (2).

His accessit Occasionalistarum agmen, qui duce Arnoldo Geulinx et post ipsum Nicolao Malebranche, creaturas omni activitate privari et meras occasiones esse aiunt, quarum intuitu Deus unice omnia, quae fiunt, in rerum universitate peragat. Porro Occasionalistae in duplicem partem abiere. Alii enim omnibus omnino creatis agentibus vim operandi ademerunt, ne spiritibus quidem exceptis; atque idcirco *rigidiores* vocantur. Alii vero corporibus tantum actionem omnem denegarunt, solis spiritibus concesserunt; et propterea *mitiores* dicuntur. Nos adversum utrosque pugnabimus; sed ante partitiones causae efficientis innuendae sunt.

134. Causa igitur efficiens dispescitur: I, In efficientem *per se* et efficientem *per accidens*. Illa est, quae vere et suapte vi influit, ut ignis respectu combustionis; haec autem, quae coniungitur cum causa vere influente, ipsa autem nihil influit, ut quoad combustionem fulgor in igne relucens. Vocatur etiam *causa per accidens*, quae non directe aliquid producit, sed indirecte, quatenus cum effectu, quem proprie producit, alius effectus intime nectitur. Sic bonum esse potest causa mali, quoties cum bono, a se producto, coniungitur corruptio alterius boni. II, Dividitur causa in *physicam* et *moralem*. Prima est, quae ipsa per se vires suas in effectum exerit, ut qui rem aliquam per se facit; altera vero, quae alium ad operandum impellit, sive iussu, sive consilio, sive etiam non prohibitione: ex. gr. si quis rei cuiuspiam agendae aliis dat mandatum. III, In *principalem* et *instrumentalem*. Illa est, quae effectum gignit per virtutem eiusdem vel altioris

(1) *Essai sur l'ent. hum.* liv. 2, ch. 26.
(2) *Essais philosophiques,* Essai septième.

perfectionis, quam sit effectus; haec vero, quae ad effectum producendum concurrit per virtutem inferioris ordinis, quae proinde elevari indiget ac regi a causa aliqua superiore. Sic se habet calamus ad scribendum, utpote qui motu manus et artis regimine indiget; contra autem scriptor, qui calamo utitur, causa principalis scripturae dicitur. IV, In *primam* et *secundam*. Illa est, quae ex altiore causa in operando non pendet, ut Deus; haec vero quae in agendo ab alio pendet, ut quodvis creatum efficiens. V, In *proximam* et *remotam*. Illa est, quae sine intermedia causa in effectum influit, haec vero, quae aliis intercedentibus agit. VI, In *univocam* et *aequivocam*, quarum prima effectum eiusdem speciei; altera effectum, qui analogia tantum cum ipsa convenit, producit. VII, In *totalem* et *partialem*, prout vel sola in suo ordine ad effectum sufficit, vel effectui praestando est impar et alterius consortio indiget. Denique, in causam *necessariam* et *liberam*. Illa est, quae necessario vi suae naturae exerit actionem; haec vero, quae non necessitate naturae sed propria electione operatur.

135. Causa in triplici statu cogitari potest: in *actu primo remoto*, in *actu primo proximo*, in *actu secundo*. Dicitur esse in actu secundo, cum operando suam activitatem exercet. Dicitur in actu primo remoto, cum prout activitate praedita est consideratur, aliqua tamen conditio deest ad agendum necessaria. Denique dicitur in actu primo proximo, cum praeter activitatem omnia adsunt requisita, quae illam ad operandum expediunt. Porro *requisita ad agendum* sunt conditiones illae et rerum adiuncta, sine quibus actio sequi nequit, vel quia complent virtutem causae, vel quia removent impedimenta.

PROPOSITIONES

136. Propositio 1.ª *Notio causae efficientis realis est et ex ipsa phaenomenorum observatione deducta.*

Prob. Cum phaenomena naturae sive externa sive interna contuemur, successiones iuges et mutationes accidere conspicimus, seu continuum transitum a non exsistentia ad exsistentiam. Hinc notio ingeneratur rei novae, seu rei quae esse incipit et a non exsistentia graditur ad exsistentiam. Haec notio

idem est ac notio rei, quae ab influxu alterius determinatur ad exsistentiam; siquidem contradictionem implicat ut non exsistens, seu nihilum, sibimet exsistentiam tribuat. Ergo observatio mutationum, quae accidunt in rerum natura, nos adducit ad conceptum rei, quae influxu suo alterius rei exsistentiam determinat. En causae efficientis notio; immo en realis exsistentia, in genere saltem, alicuius causae, quae novarum rerum productionem explicet.

137. Propositio 2.ª *Spiritus creati vera fruuntur activitate.*

Prob Constat id evidenter vel ex solius conscientiae testimonio; cum exploratum cuique sit animum suum revera agere. Quis enim indubie non persentiscit se ita intrinsecus moveri atque agi, ut id non ex activitate aliena externoque impulsu oriatur, sed ex vi sibi propria animoque insita? Sic dum volumus, dumque intelligimus, aut vires alias quascumque animi sive cognoscendi, sive appetendi, sive etiam movendi corpus exercemus, perquam vivide experimur, operationes eiusmodi non modo esse in nobis, verum etiam esse a nobis seu ita nos afficere, ut a principio ad naturam ipsam nostram pertinente proficiscantur. Quod conscientiae testimonium infringi nequit aut debilitari, quin simul evidentia omnis atque certitudo una pariter repudietur (1).

Praeterea, si non animus noster, sed solus Deus in nobis operaretur, omnis libertas actionum nostrarum, omne meritum aut demeritum, omne denique discrimen inter honestum et turpe corrueret. Si enim Deus facit quaecumque fiunt, flagitium, scelus, et quidquid indecorum est, homini perperam imputatur. Immo vero nihil flagitiosum existimandum esset, quippe cum Deus flagitiose non agat. Atque ita ordo moralis, virtutis studium, communis consuetudo, societas denique ipsa funditus pessum iret.

Postremo, ne plura persequar, si natura quaevis ad finem aliquem sibi accommodatum ordinatur, idque ad sapientiam

(1) Idem de animis reliquorum hominum inde elucet, quod ipsi consimilem nobis naturam habent; ubi enim natura eadem est, ibi idem iudicium de attributis ferendum est. De spiritibus vero excellentioribus argumentum fiet a minori ad maius. Quod enim perfectionis est, id, si in naturis viget inferioribus, multo magis superioribus tribuendum erit.

Conditoris pertinet; nemo non videt hoc potissimum dicendum esse de animo, qui longe praestabiliorem, quam, ceterae res creatae, naturam habet. Iamvero quo pacto intelligi potest naturalis istaec et innata ad finem ordinatio, sine viribus quibusdam natura insitis, quibus subiectum ad finem propositum contendat?

138. Propositio 3.ª *Ipsae res corporeae revera agunt et propriorum effectuum non sunt occasiones sed causae.*

Prob. Sicut pro spiritibus interna experientia, sic pro corporibus externa initium ratiocinationi suppeditat. Nam quid notius in natura magisque compertum est sensibus, quam torrere ignem, solem illuminare, germinare plantas, vesci animalia, ceteraque, quotquot sunt, corpora propriis motibus agitari? Quae sensilis experientia non ipsa seorsum per se accipienda est, sed prout communi naturae sensui iungitur; cui, ut in Logica diximus, falsum subiectum esse non potest. Etenim istaec invariata, uniformis, constans et universalis experientia, qua determinatos effectus, nonnisi determinatis adhibitis causis, sequi conspicimus, talis est, ut generatim in omnes, qui occasionalistae non sunt, iudicium firmum iuducat ea phaenomena ex activitate interna illarum causarum revera procedere.

Accedit ratio, ex sapientia Dei conditoris et gubernatoris deprompta. Nam, cum corpora spectemus iugiter constanterque ad certos edendos effectus adhiberi, recte inferri debet ipsa eorumdem veras esse causas; siquidem stultum foret ineptumque uti in operando mediis, quae reapse ad producendum effectum nihil conferunt. Audiatur S. Thomas: « Contra rationem sapientiae est ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus. Repugnat igitur praedicta positio divinae sapientiae (1). »

Praeterea, subtrahere vim rebus corporeis idem est ac subtrahere ordinem; immo idem ac subtrahere ipsum *esse*. Subtrahitur ordo; quia non aliter corpora in ordinis unitatem conspirant, nisi quatenus eorum quaedam agunt et quaedam patiuntur. Subtrahitur autem *esse*; quia exsistentiae

(1) *Contra Gentiles*, lib. 5, c. 69.

fructus et scopus est operatio. Unde ortum duxit effatum: Operatio sequitur esse; aut etiam: Natura est propter operationem. Corpora igitur operatione destituere, idem est ac destituere fructu et scopo; quidquid autem fructu et scopo destituitur, inutile prorsus est et vanum. Quare naturalis occasionalismi terminus est pantheismus.

Iterum, si verum esset occasionalismi systema, omnis rerum naturalium scientia e medio tolleretur, cum nulla ratio nobis suppeteret ad rerum corporearum essentias internoscendas. Eas enim non aliter cognoscimus, nisi per attributa et proprietates; proprietates autem et attributa per effectus et operationes attingimus. At occasionalismo semel admisso, nullus nexus exsisteret inter operationes et attributa vel proprietates, quibus corpora instruuntur. Inepte igitur et iniuria ex operationibus, quas conspicimus, corporum naturam deduceremus. Et sane, quomodo possemus ex determinatis effectibus et operationibus determinatas naturas inferre, si iuxta systema, quod refellimus, effectus operationesque mundanae nequaquam a natura rerum creatarum procederent, sed tantum a Deo? Quod argumentum contra occasionalistas etiam rigidiores militat; qui generatim statuunt Deum entibus creatis, vi propria ad effectum nil conferentibus, tamquam meris occasionibus uti. Cum enim occasionum delectus liber omnino sit; ex eo, quod animi cogitent, non magis liceret inferre illorum simplicitatem, quam coagmentationem; et vicissim ex proprietatibus corporum utrum composita sint necne definiri non posset. Quae ratiocinatio, cum pro singulis rerum generibus valeat, manifestum facit, absurdo occasionalismi commento teterrimum in scientias scepticismum induci.

Denique, id quod ratio dictat confirmatur a fide; quae non solum docet animum humanum libertate operandi, quae certe activitatem supponit, instructum esse; sed ipsis rebus corporeis vim agendi tribuit. Genesis enim capite primo dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem;* et Lucae capite vigesimo primo ait Christus: *Videte ficulneam et omnes arbores cum producunt iam ex se fructus.* Quibus verbis satis expresse innuitur, arboribus et seminibus, quae certe sunt corpora, vim activam tributam esse.

139. Propositio 4.ª *Causa, ut agat in determinatum subiectum, debet eidem coniungi vel immediate vel mediate, ea proinde repugnat actio in distans.*

Prob. Id patet in primis experientia. Nullum enim assignari potest agens, quod compertum sit exerere vim in aliud, quin illud tangeret vel per se immediate, vel saltem ope medii inter utrumque intercedentis.

Deinde patet communi sensu. Quisque enim, cum se aliquid pati sentit, statim naturae ductu vel causam quaerit circa se, vel saltem medium, quo causae virtus usque ad ipsum diffundatur.

Denique patet ratione. Nam nisi haec coniunctio immediata vel mediata habeatur, effectus exsurget sine causa. Etenim, virtus agendi, cum per se non sit nisi ubi est causa, ad quam pertinet; nisi influxum suum ope medii usque ad remotum subiectum protendat, subiecto neutiquam applicatur. Si autem subiecto non applicatur, respectu eiusdem nulla erit. Nullus igitur sequi potest effectus. Ad rem Silvester Mauri: « Sicut repugnat quod agens agat, sine virtute agendi; ita repugnat quod agat per virtutem activam non applicatam passo. Virtus enim non applicata passo, respectu illius se habet sicut si non exsisteret. Sed applicatio virtutis ad agendum est coëxsistentia temporalis et proximitas localis ad passum. Ergo implicat ut agens, etiam supernaturaliter, agat in passum localiter distans; sicut implicat quod agat in passum, cui non coëxsistat. Et confirmatur; quia implicat ut agens agat, quin sit proxime potens agere per coëxsistentiam temporalem et approximationem. Ergo implicat ut agens agat in passum distans (1). »

Solvuntur difficultates.

140. *Obiic.* contra primam propositionem. Cum ideae non sint aliud, nisi imagines impressionum, quas experimur, nequeunt continere, nisi id quod percipimus aut sensibus aut conscientia. Iamvero horum neutrum nos causalitatem docet. Sensus enim non referunt, nisi solas successiones phaenomenorum; quae quidem ostendunt unum aliud consequi, at minime alterum ex altero gigni. Conscientia vero nec quid sit vis, quae agit in corpore, nec naturam animi aut corporis, aut vinculum quod utrumque iungit, refert, nec causas dete-

(1) *Quaestionum philosophicarum,* lib. 3, q. 35.

git aliorum phaenomenorum, quae contingunt in nobis. Ergo etiam vi conscientiae consecutio tantum unius rei post aliam, non vero earumdem connexio mutua et dependentia deprehenditur. Ita Hume loco supra citato.

R. Hae sceptici hominis argutiae vanae prorsus sunt. E Lockii enim doctrina ducunt originem, quae intellectum cum sensu confundit. At praeter sensum, sive externum, sive internum (ad quem reducitur conscientia lockiana), datur in nobis intellectus et ratio, quorum obiectum longe abest ab obiecto sensuum aut etiam conscientiae. Sensus enim et conscientia non attingunt nisi facta prout individualia sunt et exsistentia; at contra intellectus in iis, quae sensu aut conscientia afferuntur, percipit quidditatem seu essentiam rei, ex qua deinceps ratiocinando, sine fine consectaria deducit. Non igitur ex imagine impressionum, quas experimur, ideae mentis constituuntur, sed ex repraesentatione et perceptione naturae rei, quae nobis obiicitur. Iam vero notio causae ideis continetur et ad intellectum spectat; qui, ut in thesi diximus, ex contingentia et mutabilitate eventuum naturalium conceptum abstrahit rei, quae iis exsistentiam elargitur. Negatur igitur maior propositio obiectionis. Nam quidquid sit de obiecto conscientiae; munus intellectus non est repetere aut aliter elaborare, quod conscientia aut sensus percipit, sed est apprehendere obiectum suum, nempe essentiam rei, cuius nonnisi concretam exsistentiam sensus aut conscientia percipere valet. Quae vero Humius recenset tanquam praeterlabentia testimonium conscientiae, ad rem non faciunt. Optime enim sentire possumus aliqua in nobis exoriri et ex nobis, quin cuiusmodi naturae sint, aut qua determinata virtute fiant, eodem sensu percipiamus, sed id ulterius rationi vestigandum supersit.

Obiic. contra secundam et tertiam propositionem. Ut ait Malebranchius, idea causae efficientis repraesentat quid divinum. Ergo nequit competere rebus creatis. Nec dicas causas secundas agere dependenter a prima; inde enim sequeretur tantum eas considerandas esse ut divinitates inferiores, eo ferme modo, quo minores Deos olim finxerunt ethnici. Deinde creaturae, si agerent, vim infinitam haberent; quod certe Dei solius est proprium.

R. *Nego antecedens* et *instantiam*, quae adiicitur.

Idea causae efficientis supremae, idest independentis et infinitae, repraesentat quid divinum; at idipsum minime dici potest de idea causae efficientis secundariae, quae agit dependenter a prima et in determinato ordine operationis. Haec nihil divinum repraesentat, neque quoad Deos maiores, neque quoad Deos minores, quos, puto, eruditionis gratia Malebranchius meminit. Nos autem creatis agentibus ita activitatem tribuimus, ut eam non modo una cum exsistentia aliunde receperint, sed etiam non exerceant sine concursu causae primae. Quod quidem non Divinitatem arguit, sed tantum exsistentiam; quae certe sterilis et vana esse non potest.

Ad alterum vero repono, vim infinitam requiri non ad quamlibet actionem, sed ad eam qua effectus ex nihilo omnino tum sui tum subiecti educatur. Causis autem secundis non haec operandi vis conceditur (quae Dei solius est propria); sed tantum tribuitur actio, qua aliquid ex nihilo sui, non vero ex nihilo etiam subiecti efficiatur. Porro eiusmodi efficientia tantum abest, ut virtutem infinitam postulet; ut, quemadmodum Suarez scite observat, theologi et philosophi laborent potius in excogitandis rationibus, quibus a *priori* convincant ad rem ex nihilo condendam vim infinitam requiri.

Instabis: Deus est qui omnia facit. Ergo creaturae nihil faciunt.

R. *Dist. antec:* Deus omnia facit ut causa unica, *nego;* ut causa prima, *concedo.* Hinc *nego* prorsus *consequens.*

Adversarii propositio ancipiti laborat sensu. Nam si ita intelligitur Deum omnia facere, ut ceterae causae ab operando prorsus vacent; falsa est propositio, neque unquam demonstrari poterit. Sin autem ita Deus omnia facere dicatur, ut causa sit non unica sed prima; vera quidem erit affirmatio, sed contra nos nihil evincit. Nam ad rationem causae primae non pertinet causas secundas excludere; verum ita admittere, ut hae ex ipsa pendeant, eaque concurrente operentur, ipsa autem a nemine pendeat.

Instabis iterum: Causa prima integra est et adaequata. Quae autem est huiusmodi, consortium ceterarum excludit.

R. *Conc. mai.* et *dist. min:* Causa integra et adaequata excludit consortium ceterarum causarum in suo ordine, *conc;* in omni ordine, *nego.*

Eo quod Deus est causa adaequata in ordine primi agentis, admittere omnino nequit aliud agens, quod una cum ipso sit primum ab eoque in operando non pendens. At non inde consequitur exclusio causarum inferioris ordinis, quae agant ut secundae per virtutem acceptam a prima causa, ex ipsaque in operando pendentem. Consortium enim causarum huiusmodi non minuit sed extollit excellentiam primae causae; quae, ut sic se habeat, continere debet eminenter quidquid virium et perfectionis ad causas inferiores pertinet.

Instabis denuo: Si tantum Deus ageret, idem sequeretur effectus. Ergo actio causae secundae redundat. Atqui nihil frustra in operibus sapientis esse debet. Ergo causae secundae non agunt.

R. *Dist. primum antecedens:* Idem sequeretur effectus, quoad meram rei substantiam, *transeat;* quoad dependentiam et finem, *nego.* Tum *nego consequens.*

Etiamsi in hypothesi, quod Deus tantum influeret, idem effectus quoad sui realitatem exsurgeret; tamen hic non eamdem dependentiam et relationem retineret, quam nunc habet, neque eumdem procedendi modum includeret, neque ad eumdem finem spectaret. Aliud enim est rem produci a solo Deo; aliud produci simul a creatis agentibus, sub illius influxu operantibus. Hoc autem valde commendat sapientiam bonitatemque artificis, quod non modo ipse per se agat, sed etiam suis effectibus agendi vim largiatur.

Obiic. II. Spiritus operando et movendo corpora semetipsos conservarent, vel Deum ad sui conservationem cogerent. Nam exsisterent in diversis locis; haec autem exsistentia conservationem postulat.

R. *Nego antec.* Ad probationem *conc. mai.* et *dist min:* Haec autem exsistentia postulat conservationem habitam a Deo sic libere volente, *conc;* habitam ab ipso ente, quod conservatur, *nego.*

Fateor equidem spiritus non posse operari nec proinde corpora movere, nisi in exsistendo conserventur. Verum haec conservatio non ab ipsis, sed a Deo procedit, et quidem libere. Deus enim hoc ipso quod libere res creavit, libere etiam conservat; siquidem necessitas hypothetica, quee consequitur actum liberum, libertati non adversatur.

Obiic. III. Corpora, quae vita carent, sunt inertia. Ergo saltem haec non agunt.

R. *Dist. antec.* Sunt inertia, idest per se indifferentia ad motum vel quietem, et idcirco statum non mutant nisi impulsu exterioris causae, *conc*; sunt inertia, idest destituta quavis vi agendi, *nego.*

Obiectio statum quaestionis elabitur et ambiguitate nititur illius vocis *inertiae;* quae quidem in tantum corporibus inanimis tribui potest, in quantum incapacitatem importat se determinandi quoad motum localem inchoandum vel finiendum. Quod si ita accipi velit, ut significet absentiam cuiuscumque actionis; in hoc sensu nullis corporibus competit. Corpora enim, utcumque inanima, quemadmodum revera sunt sic etiam revera agunt; operatio enim sequitur esse, ex eoque tamquam surculus ab radice pullulat.

Obiic. IV. Contra quartam propositionem. Magnes attrahit ferrum, licet ab ea dissitum. Corpora alia, vi electricitatis in ipsis excitatae, attrahunt paleas, aut chartulas, sine contactu. Idem a fortiori dicatur de attractione universali, qua corpora longo intervallo distantia se invicem petunt. Ergo datur actio in distans.

R. *Dist. antec:* Magnes etc. attrahunt res dissitas, adminiculo medii intercedentis, *conc;* sine ullo medio, *nego.*

Exempla, quae allata sunt, atque alia quae afferri possent, nihil evincunt. In iis enim actionibus semper adest aliquod medium, quo agens coniungitur cum patiente. Tale est saltem fluidum illud imponderabile, quod Physici *aetherem* appellant, et quo cetera corpora circumdari et undique penetrari docent. Haec obiectio illis tantum negotium facessere debet, qui non modo in corporibus ponderabilibus interstitia vacua admittunt (ut experientia ostendit), sed etiam in ipso aethere imponderabili, quod nec experientia nec ratione probari potest.

Obiic. V. Saltem dici non debet, actionem in distans absolute repugnare. Nam Angeli, ut ait S. Thomas, non sunt in loco; et tamen agunt in locum. Praeterea, proximitas agentis cum patiente est mera conditio efficientiae. Ergo potest saltem supernaturaliter auferri.

R. Primam probationem sic *distinguo:* Angeli non sunt in loco circumscriptive, *conc;* definitive, *nego.* Item *dist.* alteram

probationem: Proximitas etc. est mera conditio absolute necessaria, *conc;* secus, *nego.*

Cum S. Thomas negat Angelos esse in loco, id intelligit *circumscriptive*; ad modum nempe corporum, quae patiuntur a loco, quem occupant. At non intelligit *definitive.* quatenus nullo modo praesentes sint loco, eique applicent virtutem suam. Immo potius contrarium aperte tradit: « Angelo, sic ipse ait, convenit esse in loco. Aequivoce tamen dicitur Angelus esse in loco et corpus. Corpus enim est in loco per hoc, quod applicatur loco, secundum contactum dimensivae quantitatis. Quae quidem in Angelis non est. Sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet quod non oportet dicere quod Angelus contineatur loco, vel quod habeat situm in continuo; hoc enim convenit corpori locato, prout est quantum quantitate dimensiva. Similiter etiam non oportet propter hoc quod contineatur a loco. Nam substantia sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam et non continetur ab ea (1). »

Ad alteram vero probationem dicimus: Licet coniunctio agentis et patientis sit conditio; est tamen conditio absolute necessaria ad operandum. Per ipsam enim virtus activa applicatur subiecto; sine applicatione autem virtutis, subiectum recipere actionem nequit.

Obiic. VI. Si agens remotum a patiente egeret medio, vi cuius virtutem suam quodammodo diffunderet, renovarentur qualitates occultae, quae iamdiu contabuere.

R. Sunt qui praeclare agere sibi videntur, si vocabulum ingratum proferant, ex eoque rerum valorem dimetiantur. At hoc puerile est et philosopho plane non dignum. Prudens enim naturae indagator primum quid sentiendum sit scrutatur; ac deinde vocabula aptiora quaerit ad rem illam significandam; sive delicatulis quibusdam placeant, sive displiceant. Iamvero, ut ad casum nostrum veniamus, indubium sane est agens non posse operari in rem, cui propriam virtutem non applicet. Ad hanc autem applicationem omnino requiritur ut agens vel immediate vel mediate subiectum

(1) *Summ. th.* I. p. q. 59, art. 1.

tangat virtute sua. Id extra omnem controversiam ponendum est. Utrum vero influxus causae, diffusus per medium, appelletur qualitas occulta, an qualitas patens, id nostra non refert: de vocabulis enim rixari nolumus. Certe ille influxus negari nequit; et quamvis celetur sensibus, optime tamen innotescit intellectui, qui causam ab effectu deducit. Adversarii qualitatem occultam vocant, quidquid non patet sensibus. At caveant ne, dum hoc faciunt, sensistis suffragentur, ad sensum cognitionem omnem revocantibus.

ARTICULUS III.

De causa materiali et causa formali.

141. De utraque hac causa eodem loco loquimur, quia ambae invicem se respiciunt, et notio unius a notione alterius valde illustratur. Est porro causa materialis subiectum ex quo aliquid fit; quare etiam *materia* dicitur. Realitas vero, qua id, quod fit, actuatur et perficitur, causa formalis, vel etiam *forma* nuncupatur. Sic in statua ex. gr. marmor, ex quo illa consurgit, est causa materialis vel materia; artificiosa partium dispositio, qua marmor induitur per actionem sculptoris, causa formalis seu forma eiusdem dicitur. Unde patet primo compositum quodvis, semper ex materia et forma coalescere, cum semper constet subiecto aliquo determinabili et aliqua realitate subiectum determinante. Patet secundo materiam se habere ut potentiam respectu formae, quia capacitatem offert et aptitudinem ad determinationem recipiendam ex illa; formam contra se habere ut actum respectu materiae, quia capacitatem huiusmodi explet et ad complementum perducit. Patet tertio tum materiam tum formam esse causas intrinsecas compositi, quia entitate sua ipsum constituunt.

PROPOSITIONES

142. Propositio 1.ª *In substantiis corporeis datur materia, quae iure prima nuncupatur.*

Prob. In substantiis corporeis non modo datur transitus ex una perfectione accidentali ad aliam accidentalem (ut cum

ex. gr. ex ligone fit ensis et cera in varias fignras conformatur); sed etiam datur transitus ex una entitate substantiali ad aliam substantialem, ut cum ex. gr. ex ligno fit cinis, aut ex cibo caro animalis. Sicut igitur in primo casu subiectum mutationis est substantia; sic in secundo est aliquid, ex quo fit ipsa substantia. Sed id, ex quo aliquid fit, dicitur materia. Ergo respectu entitatis substantialis corporum iure consideratur materia. At entitas substantialis est prima quae in ente cogitatur, et est fulcrum omnium quae enti conveniunt. Ergo subiectum, ex quo fit entitas substantialis corporum, respicit *esse primum* rei, quod ceteris proprietatibus subest. Quidquid igitur id sit, de quo in praesenti non quaerimus, iure appellatur *materia prima; materia* quidem, quia est subiectum ex quo aliquid fit; *prima* autem, quia id quod ex ea fit, est *primum* in ente, nempe entitas substantialis.

143. Hinc nonnulla sequuntur corollaria, quae breviter innuemus.

Corollarium I. Substantia composita, quae subiicitur mutationibus accidentalibus, est materia non prima sed secunda. Est enim subiectum, ex quo fit, non primum esse rei, sed esse secundarium et adventitium. Ita se habet lignum ex. gr. ex quo conficitur scamnum.

Corollarium II. Respectu substantiae simplicis adhiberi nequit denominatio materiae primae aut secundae; cum nullum adsit praevium subiectum ex quo entitas illius substantiae fiat. Ipsa autem substantia, utcumque simplex, cum in creaturis modificationibus afficiatur, a se distinctis, dici posset materia respectu earumdem. At, ad ambiguitatem tollendam, hoc nomen corporibus tantum tribuitur; substantiae vero simplices respectu accidentium et proprietatum, quas suscipiunt, non dicuntur materia sed subiectum.

Corollarium III. Materia prima, seu primum subiectum, ex quo res corporeae fiunt, non nisi creatione produci potest. Quare in omni actione creaturae praesupponitur. Apposite S. Thomas: « Ad materiam causalitas creaturae non se extendit, quia actio creaturae super aliud fundatur; materia autem non habet subiectum aliquod, de quo per actionem educi possit: quia materiae non est materia. Unde materia non est generabilis, nec corruptibilis; quia omne, quod generatur, ex materia generatur, et quod corrumpitur, in ma-

teriam corrumpitur : cum materia sit principium primum ex quo aliquid fit, et ultimum in quod abit quod corrumpitur. Unde ipsa nonnisi in nihilum desinere potest (1). »

144. Propositio 2.ª *Forma potest esse vel accidentalis vel substantialis.*

Prob. Si dantur mutationes non modo accidentales, sed etiam substantiales, debet dari actus in utroque ordine; nimirum tum realitas aliqua, quae determinet subiectum in hac vel illa specie accidentis; tum realitas quae determinet subiectum in hac vel illa specie substantiae. Sed actus vel realitas, quae determinationem subiecto tribuit, appellatur forma. Ergo forma potest considerari in ordine tum accidentis tum substantiae; seu potest esse tum accidentalis, tum substantialis. Sic figura, ex. gr. est forma accidentalis; principium vero, quod determinat communem materiam ad hoc ut habeatur aqua potius quam aër, est forma substantialis. Ad rem S. Thomas : « Sicut omne, quod est in potentia, potest dici materia; ita omne, a quo habet aliquid esse, quodcumque esse sit illud sive substantiale sive accidentale, potest dici forma. Et quia forma facit esse in actu, ideo dicitur quod forma est actus; quod autem facit esse actu substantiale, dicitur forma substantialis, et quod facit actu esse accidentale, dicitur forma accidentalis (2). »

Corollarium. Haec denominatio per se praescindit a determinandis elementis corporum in particulari. Quaecumque enim sententia in hac re seligatur, semper verum est posse considerari materiam et formam, et quidem in ordine tum accidentis tum substantiae. Quare merito Leibnitius reprehendit eos, qui haec vocabula respuunt, eosque obtemperare ait non rationi sed mori (3). At nos, qui mori rationem anteponimus, non timemus haec vocabula, vetustate spectabilia et usu ipsius Ecclesiae consecrata, in vitam revocare; cum ceteroquin optima sint ad rem, de qua agitur, signifi-

(1) Opusc. 32 *De natura materiae.*

(2) Opusc. 21 *De principiis naturae.*

(3) « Il semble que depuis peu le nom de *formes substantielles* est devenu infame auprès de certaines gens, et qu'on a honte d'en parler. Cependant il y a encore peut-être en cela plus de mode que de raison. » *Nouv. Essais* etc. liv. III, ch. 6, §. 24.

candam. Et sane, si causa ex effectu iure dignoscitur et denominatur; principium quod accessu suo rem hanc potius quam aliam *format*, nequit melius, quam *forma* appellari. Prout autem in genere accidentis vel substantiae id praestat, iure appositum *accidentalis* vel *substantialis* sibi adsciscit.

145. Propositio 3.ª *Causalitas materiae et formae non consistit in aliqua actione unius in aliam, sed in mutua communicatione propriae entitatis per immediatam unionem unius cum alia.*

Prob. Actio est causalitas causae efficientis. Ergo nisi materiam et formam propria natura spoliare et in causam efficientem convertere velimus, earum causalitatem in actione reponere nequaquam possumus.

Praeterea, actio non facit ut principium, a quo procedit, entitate sua constituat effectum; sed ipsum relinquit ab effectu plane distinctum. Atqui materia et forma sunt causae intrinsecae, quae seipsis effectum constituunt, nempe ens ex utraque compositum. Ergo earum causalitas nequit in actione consistere.

Atque hinc patet altera assertionis pars, nimirum huiusmodi causalitatem consistere in mutua communicatione propriae entitatis, quae ex utriusque intima iunctione proveniat. Etenim influxus causae dignoscitur ex effectu, qui emergit ex ipsa. Atqui effectus in casu est compositum, constans ex utroque principio, materia nimirum et forma, aliquid vere unum constituentibus; ad unum autem ex duobus constituendum requiritur ut utriusque realitas intime per mutuam unionem copuletur. Ergo in hac intima unione utriusque realitatis, seu in communicatione mutua propriae entitatis, causalitas materiae et formae reponitur. Et sane, marmor et figura constituunt statuam. Quid requiritur ex parte utriusque principii ad hunc effectum habendum? Ut marmor afficiatur figura, ac proinde se illi praebeat tanquam subiectum actuabile, et figura afficiat marmor, seu illi se praebeat tanquam perfectionem actuantem. Concepta utriusque intima unione et veluti compenetratione entitatis, habetur effectus. Quare optime S. Thomas ait: « Forma per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus; nec dat esse per aliquod medium. Unde unio rei compositae ex materia

et forma, est per ipsam formam, quae secundum seipsam unitur materiae, ut actus eius (1). »

Quod si quaeratur causalitas materiae et formae, non respectu compositi, quod est earum effectus adaequatus, sed respectu mutui influxus unius in aliam; dico causalitatem materiae respectu formae esse exhibitionem sui tanquam subiecti et potentiae; causalitatem vero formae esse actuationem, qua subiectum illud et potentiam determinat in hoc vel illo specifico gradu perfectionis sive substantialis sive accidentalis. Ad rem S. Thomas: « Materia dicitur causa formae, in quantum forma non est nisi in materia; et similiter forma est causà materiae, in quantum materia non habet esse in actu nisi per formam (1). »

Solvuntur difficultates

146. *Obiic.* I. Materia prima foret in potentia ad esse substantiale, atque ideo ad primum esse. Atqui quod est in potentia ad primum esse, est nihil· Ergo materia prima est nihil.

R. *Dist. mai:* Materia prima foret in potentia ad ess substantiale completum, atque ideo ad primum *esse actuale, concedo;* ad esse substantiale incompletum, atque ideo ad primum esse *potentiale, nego.* Ad minorem pariter *dist*: Quod est in potentia ad primum esse tum *actuale* tum *potentiale* est nihil, *conc;* quod est in potentia ad primum esse tantum *actuale, nego.*

Quae sententia eligenda sit quoad explicanda principia, quibus corpora coalescunt, in Cosmologia dicemus. Sed quidquid de ea re sentiatur, generatim indubium est dari diversitatem substantiarum, atque unius conversionem in aliam. Ergo, cum id, quod convertitur in aliud, duobus principiis constare debeat, altero sui ipsius proprio, altero communi etiam rei in quam convertitur; utrumque in substantiis corporeis necessario agnoscendum est. Porro horum principiorum illud, quod peculiare est cuiusque substantiae, eique speciem impertit ac determinationem, dicitur forma; alterum, quod commune est et aptitudinem exhibet ut ad hanc vel illam speciem reducatur, dicitur *materia.* Huic autem additur

(1) *Summa th.* I. p. q. 76, a. 7.
(2) Opusc. 31 *De principiis naturae.*

epitheton *primae*, tum quia dari nequit processus in infinitum, ac proinde sistendum est in aliquo quod in aliud non resolvatur; tum quia subiectum huiusmodi determinabile consideratur respectu substantiae, quae primam exsistentiam praebet. Hinc tamen non sequitur huiusmodi materiam esse nihil; sed tantum esse aliquid potentiale et indeterminatum in genere substantiae, quod per se exsistere nequit sine forma. Sed de hac re suo loco fusius.

Obiic. II. Omnes formae sunt accidentales; nam non aliud faciunt, nisi determinare praeviam substantiam, nempe materiam.

R. *Nego* prorsus. Nam si ita esset, neganda omnino foret omnis diversitas substantialis in rebus; quod non modo contra sensum communem est, sed etiam contra omnem philosophiam. Nemo enim est inter philosophos, qui diversitatem substantiarum non fateatur; licet non pauci sic deinceps eam explicent, ut quod verbis admittunt, re prorsus demant. Sed hoc alibi discutiendum erit. In praesens sufficit communis confessio de discrimine substantiarum, ut inde inferamus admittendas esse, saltem ad usum vocabulorum quod attinet, aliquas realitales, quae iure meritoque formae substantiales appellentur. Videbimus autem in Cosmologia has non modo quoad vocem, sed etiam quoad rem, rite intellectam, non posse respui. Nihilominus ut iam nunc modum habeas satisfaciendi obiectioni, adverte formam substantialem non determinare praeviam substantiam, sed praevium substantiae comprincipium. Materia enim, hoc ipso quod sola non constituit substantiam sine forma, dici nequit substantia, saltem integra et completa; sed dicenda est vel substantia partialis vel comprincipium substantiae, quod, ex unione alterius comprincipii, nimirum formae, actuetur atque ad hanc vel illam speciem corporis reducatur.

Obiic. III. Id, quod proprie ab agente producitur, est forma; nam materia praeexsistit, licet sub alia forma. Sed exsistentiam sequitur actio. Ergo forma per se habet actionem. Vi igitur huius actionis copulari poterit materiae; ac proinde in actione consistet eius causalitas.

R. *Dist. maiorem:* Id quod proprie ab agente producitur est *forma*, tamquam id quod exsistit, *nego;* tanquam id *quo* aliquid exsistit, *concedo. Conc. min;* et *nego consequens.*

Verus terminus actionis agentis est compositum; licet huius aliqua pars praeexsistat, nempe materia; alia gignatur, nimirum forma. Haec autem, quae gignitur, non gignitur in se seorsum et per actionem, quae circa ipsam versetur; sed gignitur in subiecto, et per actionem, quae circa ipsum subiectum exerceatur. Sic sculptor ex. gr. non figuram per se seorsum elaborat eamque deinceps marmori applicat; sed in marmore dumtaxat operatur, ipsumque gradatim perducit ad configurationem illam, vi cuius in statuam convertitur. Unde statua ipsa est verus terminus actionis artificis, licet exsurgat ex marmore praeexsistente et ex figura recens producta. Idem dic de formis substantialibus, quae per iuges dispositiones inductas in subiecto producuntur, et producuntur ut actus et perfectiones ipsius subiecti. Terminus proprius actionis est compositum, licet eius materia praesupponatur. Nam id proprie fit, quod proprie exsistit; eius enim est fieri, cuius est esse: proprie autem non exsistit, nisi compositum.

Hinc sequitur, actionem non competere nisi composito, licet ratione formae. Nam illi competit agere, cui competit esse, cum actio procedat ex esse. At vero, compositum non habetur nisi praesupposita unione formae cum materia, ac proinde praesupposita utriusque causalitate, ad ipsum compositum constituendum. Ergo impossibile est ut causalitas formae respectu materiae in actione reponatur.

ARTICULUS IV.

De causa finali.

147. Quod vetus Epicuri et Democriti aliorumque, qui ipsos sequuti sunt, opinio tulit: causas finales, utpote luxuriantis ingenii figmenta, a naturae consideratione eliminandas esse; id recentiores nonnulli instaurare voluerunt, magno scientiarum detrimento. In primis Baconus a Verulamio, etsi eas veras esse et in rebus metaphysicis inquisitione dignas, in physicis tamen omnino steriles immo perniciosas existimavit; eoque inconsiderate progressus est, ut atheismi ansam exinde Aristoteli (qui certe hac nota inuri nequit) datam dixerit, quod earum investigationem sit prosequutus (1). Consi-

(1) *De dignitate et augmentis Scientiarum*, c. 2.

mili fere ratione Cartesius causas finales concessit quidem, at nullum ex ipsis desumi posse argumentum in rebus naturalibus opinatus est; propterea quod fines, quos Deus in rerum universitate molienda habuerit, sine temeritate indagari nequeant (1). Ulterius Spinoza progressus est; causasque finales ceu hominum commenta, naturam evertentia, sprevit (2); quam sententiam recentiores athei magna consensione susceperunt. Ex quo iam intelligi potest utra opinio faveat atheismo. Ad hos cavendos errores nonnullas statuemus propositiones, postquam quid et quotuplex sit finis indicaverimus.

148. Finis definiri potest: *Id cuius gratia aliquid fit;* vel *id, propter quod efficiens operatur.* Unde, cum efficiens non operetur, nisi propter bonum aliquod consequendum; manifestum est finem idem esse quod bonum. Quare finis proprie dicit ordinem ad appetitum; et quatenus causa est, existentiam habet in intellectu. Bonum enim proprie non dicitur, nisi respectu voluntatis; voluntas autem non movetur, nisi ab obiecto quod in cognitione intellectus continetur. Hinc finis in triplici statu considerari potest: nimirum in actu primo remoto, seu prout in se bonitatem appetendam includit, licet nondum cognoscatur ut talis; in actu primo proximo, cum nempe eius bonitas per intellectum cognoscitur; in actu secundo, seu cum, post cognitionem, voluntatem actu allicit.

149. Ad finis divisionem quod attinet, is dispescitur I. In finem *ultimum, proximum*, et *intermedium*. Primus est, qui ultimo; secundus, qui proxime et immediate intenditur. postremus, qui inter utrumque medium locum occupat. II. In finem *principalem* et *accessorium*. Ille est qui praecipue, hic qui secundario et concomitanter quaeritur. III. In finem *qui*, in finem *quo*, et in finem *cui*. Primus est bonum ipsum quod a nobis appetitur; secundus est possessio huius boni;

(1) « Ita denique nullas unquam rationes circa res naturales a fine, quem Deus aut natura sibi proposuit, desumemus; quia non tantum debemus nobis arrogare, ut eius consiliorum participes nos esse putemus, sed ipsum, ut causam efficientem rerum omnium considerantes etc. » *Princ. phil.* p. I, num. 28.

(2) *Ethica* pars I, append. ad prop. 56.

tertius est subiectum, cui bonum illud volumus. Horum praecipuus est finis *cui*, quia terminat amorem amicitiae, et omnino diligitur propter se. Succedit finis *qui;* siquidem, etsi praestet fini *quo*, tamen amatur ut bonum subiecti, quod perficit, ac proinde terminat amorem concupiscentiae. Postremo loco est finis *quo*; quippe possessio boni est amabilis non ratione sui, sed ratione boni cuius est possessio, nimirum ratione finis *qui*. IV. Dividitur finis in *finem operis* et *finem operantis;* prout consideratur vel id, ad quod natura sua opus spectat, vel consideratur id quod agens sibi assequendum praestituit. Sic, quoad horologium, indicatio horarum est finis operis, lucrum artificis est finis operantis.

PROPOSITIONES

150. Propositio 1.ª *In rerum natura omnia agunt propter aliquem finem.*

Prob. In rerum natura omnia constanter tendunt ad determinatas actiones et producunt certos effectus. Atqui si non haberent praestitutum finem sed agerent casu; id nequaquam contingeret: siquidem in ea hypothesi quaeque res indifferenter se haberet ad omnia, et nulla ratio esset cur ad unum potius se inflecteret quam ad aliud. Ergo omnia in rerum natura determinatum finem habent, quem suis operationibus assequi conantur. Apposite S. Thomas: « Si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo ut determinatum effectum producat necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis (1). »

Praeterea, opus naturae est opus intelligentiae, nimirum Dei. At tale dici non posset, si quibusque eius partibus non esset praestitutus finis, ad quem singula propriis operationibus tenderent. Ergo omnia in rerum natura agunt propter aliquem finem.

Adverte tamen duplici modo posse aliquid operari propter finem. Primo, se ordinando et dirigendo in ipsum finem; et hoc non competit nisi creaturae rationali; quae finem apprehendit ut talem, et proportionem cognoscit inter finem et

(1) *Summa th.* 1. 2. q. 1, art. 2.

media. Secundo, aliquid operari potest propter finem, tamquam id quod ordinatur et dirigitur ab alio; et hoc modo se habent creaturae ratione carentes, quae tendunt in finem ope inclinationum naturalium, quibus a Deo ornatae sunt (1).

151. Propositio 2.ª *Finis est vere et proprie causa.*

Prob. Illa est vere et proprie causa, quae vere et proprie influit in effectum. Atqui ita se habet finis. Nam creaturae rationales a fine inducuntur ad operandum, et nisi finis hic aut alius eas alliceret, se ad has potius operationes, quam alias, non determinarent. Creaturae vero irrationales in tantum his viribus determinatis, prae aliis, instruuntur, aut instinctibus; in quantum ad talem vel talem finem ab auctore naturae ordinantur. Ergo finis vel immediate, ut in entibus ratione praeditis; vel mediate, ut in entibus ratione destitutis, vere et proprie influit in operantem et vi operantis in ipsum effectum.

152. Propositio 3.ª *Immo finis in ordine causarum est prima.*

Prob. Illa est prima in ordine causarum, qua subtracta, reliquae corruunt. Atqui substracto fine, nec efficiens operatur, nec forma producitur, nec materia sustentat; siquidem efficiens, sine fine, non determinatur ad agendum, forma sine actione efficientis non inducitur, sine inductione formae materia non actuatur. Ergo finis in ordine causarum est prima.

(1) « Considerandum est quod aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter. Uno modo sicut seipsum ad finem movens, ut homo. Alio modo sicut ab alio motum ad finem; sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo, quae rationem habent, seipsa movent ad finem; quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis. Illa vero, quae ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis; cum non cognoscant rationem finis: et ideo nihil in finem ordinare possunt; sed solum in finem ab alio ordinantur. Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale, ut supra habitum est. Et ideo proprium est naturae rationalis ut tendat in finem, quasi se agens vel ducens ad finem. Naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta vel ducta, sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia; sive in finem non apprehensum, sicut ea quae omnino cognitione carent. » S. Thomas, *Summa th.* 1, 2. q. 1, a. 2.

153. Propositio 4.ª *Ex fine, rebus praestituto, optime desumitur ratio ad earum naturam dignoscendam vel collustrandam.*

Prob. Finis est mensura rei et omnium proprietatum, quae rei tribuuntur. Atqui nil melius cognitione mensurae ad mensuratum dignoscendum vel collustrandum. Ergo ex fine optime desumitur ratio ad rem dignoscendam vel illustrandam.

Nec dicas fines rerum naturalium nos omnino latere. Saepe enim sufficienter detegi possunt observatione sagaci, qua earum constantes effectus et vires a Deo inditae explorantur.

154. Propositio 5.ª *Causalitas finis est amor, quem obiectum inspirat agenti, propter sui bonitatem.*

Prob. Causalitas est actualis influxus rei, quae dicitur causa, in effectum. Atqui finis non aliter influit in effectum, nisi quatenus propter bonitatem, quam offert, ad amorem sui rapit efficientem et ad operandum inducit. Ergo in hac amoris inspiratione causalitas finita reponenda est.

Nec dicas id valere tantum pro entibus ratione pollentibus. Nam pro his valet immediate; pro entibus autem ratione destitutis valet mediate, quatenus valet pro causa principali, a qua illa moventur et ducuntur in finem.

Solvuntur difficultates.

155. *Obiic.* I. Ut Baconus et Cartesius observant, inquisitio causarum finalium, in natura rerum perscrutanda, arrogantiam sapit, et atheismo occasionem praebet.

R. *Nego* prorsus *utrumque.* Immerito arrogantiae macula aspergitur is, qui caute riteque investigat, quod Deus ipse investigari manifestarique voluit. Iamvero voluisse Deum ut fines rerum indagarentur et detegerentur, patet tum ex naturali inclinatione, quam nobis indidit ad causas generatim quaerendas, tum ex eo quod, ignorato fine, imperfectissima est rei cognitio. Occasio autem atheismi non hinc, sed e contraria potius philosophandi methodo timenda est; siquidem causarum finalium inquisitio supremam quandam intelligentiam artificem mundi patefacit; at harum neglectus casum et temeritatem inducit. Unde Aristoteles et Plato, qui causas finales vestigarunt, opus naturae opus intelligentiae esse di-

xerunt; Democritus et Epicurus, qui illas reiecerunt, fortuitum atomorum concursum commenti sunt.

Obiic. II. Finis habet rationem ultimi, unde a finiendo denominatus est. Ergo nequit esse causa, praesertim prima.

R. *Distinguo antecedens;* Finis habet rationem ultimi in ordine exequutionis, *concedo;* in ordine intentionis, *nego.*

Duplex ordo distingui debet. Alter est, qui dicitur *intentionis* et consistit in serie actuum voluntatis, prout circa finem et media versantur, per intellectum apprehensa. Alter est, qui dicitur *exequutionis* et consistit in serie actuum voluntatis ceterarumque virium prout circa finem et media versantur, facto et re comparanda. Si primus inspicitur, certum est motum voluntatis inchoari ab appetitione finis, et inde procedere ad appetenda media. Sin consideratur secundus, inverso itinere fit motus; nam primo adhibemus media, et sic deinceps vi mediorum, finem consequimur. Hinc ortum habuit illud tritum sermone proverbium: *Primum in intentione est ultimum in exequutione, et vicissim.* Iam vero finis est causa prout in ordine intentionis, non prout in ordine exequutionis consideratur.

Obiic. III. Causa non est proprie dicta, nisi eius causalitas proprie dicatur. Atqui inspiratio amoris improprie dicitur causalitas; nam appellatur motio metaphorica. Ergo finis non est causa proprie dicta.

R. *Conc. mai.* et *nego minorem.* Ad probationem *dist:* Inspiratio amoris appellatur motio metaphorica respectu motionis physicae, *conc;* respectu veri influxus in voluntatem, *nego.*

Sicut res habet duplicem exsistentiam: alteram *physicam,* in seipsa; alteram idealem, in intellectu; sic habet duplicem operationem, unam *realem* respectu exsistentium, sibi quadantenus subiectorum; aliam *intentionalem* respectu voluntatis, alliciendae per cognitionem boni. Haec operatio vera est in ordine suo; licet si comparetur cum actione reali et physica non plenam convenientiam cum ipsa, sed analogiam tantum exhibeat. Hinc eius motio appellatur *metaphorica.* Qua voce non negatur proprietas verae influentiae, sed tantum adstruitur discrimen ab alia; sicut cum dicitur risus prati esse metaphoricus, non negatur vera amoenitas prati,

vi cuius cum homine ridente analogiam quamdam importat, sed tantum innuitur discrepantia, quae inter utrumque viget.

Obiic. IV. Finis est id, cuius gratia aliquid facimus. Atqui nos nihil facimus nisi gratia aut nostri aut amicorum. Ergo tantum subiectum, cui bonum volumus, habet rationem finis; ac proinde male inducitur. praeter finem *cui,* etiam finis *qui* et finis *quo.*

R. *Conc. maiorem,* et *dist. minorem:* Nihil facimus nisi gratia aut nostri aut amicorum, ita ut actus voluntatis terminetur simul in bono quod nobis aut amicis volumus, et in possessione eiusdem boni, *concedo;* secus *nego.*

Si acute res penetretur, videbitur profecto nos eodem indivisibili actu ferri in finem *qui, cui* et *quo;* nempe in bonum quod appetimus, in subiectum cui illud appetimus, et in possessionem vi cuius bonum fit proprium subiecti. Et ratio est, quia cum diligere sit velle alicui bonum, nequit separari amor subiecti, seu finis *cui,* ab amore boni quod ipsi volumus, seu a fine *qui.* Itemque cum bonum non perficiat, nisi quatenus possidetur, ipse amor boni includit amorem possessionis eiusdem, seu finis *quo.* Sic cum appetimus nobis aut aliis ex. gr. scientiam, diligimus simul et semel eodem actu subiectum, *cui* illam volumus, bonitatem, *quae* in ipsa est, et possessionem, *qua* illa intrinseca fit subiecto. Omnia haec tria suo modo terminant in proposito casu voluntatem, ac proinde quaeque suo modo habent rationem finis.

ARTICULUS V.

De causa exemplari vel idea.

156. Nomen ideae a Platone, qui primus illud invexit (1), usurpatum est ad significandam formam rei, exsistentem extra ipsam rem, et quae non modo sit ratio cognoscendi rem, sed etiam ad eius productionem influat (2). Quia vero id non

(1) Vide Tullium, lib. 4 *Tuscul.* et S. Augustinum in lib. de LXXXIII *Qq.* q. 46.

(2) Nostra non refert hic definire num Plato has ideas in se exsistentes an in divina mente collocaverit. Primo sensu interpretatus est Platonem Aristoteles, et deinceps Tertullianus, S. Iustinus martyr, S. Cy-

convenit nisi typo, quem artifex in mente habet respectu operis elaborandi; hinc factum est ut eidem in sensu platonico nomen ideae tributum sit. Quocirca idea idem prorsus est atque causa exemplaris, et definiri potest: Forma mente concepta, ad cuius imitationem aliquid per se et ex intentione agentis efficitur. Dicitur *mente concepta;* quia sic exemplar fit internum artifici et rationem causae induit, quatenus eius actionem dirigit ad sibi assimilandum effectum. Additur autem *per se et ex intentione agentis;* quia si *per accidens* et *praeter intentionem* agentis aliquid evadit alteri simile, illud dici nequit exemplar ipsius. Atque haec consona sunt iis, quae disputat S. Thomas concludens: *Haec ergo videtur esse ratio ideae, quod idea sit forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis qui determinat sibi finem* (1).

PROPOSITIONES

157. Propositio 1.ª *In quolibet artifice, in eo nimirum, qui non vi naturae sed ex arte operatur, admittendae sunt ideae.*

Prob. Determinata actio supponit determinationem agentis, siquidem ex indifferenti nihil sequitur At vero omnis determinatio quoad specificationem procedit ex aliqua forma; quae potest esse vel physica vel intellectualis. Si forma, determinans efficientem, est physica, habetur actio naturalis; seu actio, qua efficiens producit talem effectum potius quam alium, quia talem potius quam aliam naturam habet. Sic homo generat hominem et planta plantam. Cum igitur non est sermo de actione naturali, necesse est ut determinatio habeatur per formam intellectualem, seu per conceptum aliquem, qui inflectat operantem ad effectum hunc potius quam

rillus Alexandrinus, aliique. Contra, secundo modo Platonem explicarunt Neoplatonici et post ipsos multi ex SS. Patribus, praesertim S. Augustinus. Sed quidquid de hac quaestione sit, certum est ineptire prorsus Kant, cum ad ideas in sensu platonico restaurandas repraesentationes quasdam mere subiectivas obtrudit, quae nullum aliud officium habeant, nisi ut unitatem largiantur conceptibus nostris. *Vide eius Criticam Rationis purae.*

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De ideis,* a. 1.

alium producendum. Sed talis forma appellatur idea seu causa exemplaris. Ergo causa exemplaris seu idea agnoscenda est in quolibet agente, quod non vi naturae sed ex arte operatur.

Ad rem Suarez: « In iis, quae per intellectum operantur, per se necessarium est exemplar, ut rationabili modo possint actionem suam indefinitam ad effectum dirigere. Nam cum a natura sua non sint limitata ad determinatas formas effectui tribuendas, sicut naturalia agentia; oportet ut suo proprio et intellectuali modo determinentur. Quamvis autem quoad exercitium suae actionis determinentur per voluntatem; tamen quoad specificationem et directionem ducuntur per intellectum: ad hoc autem indigent propriis exemplaribus talium effectuum, ut artificioso et intellectuali modo possint illos efficere (1). »

Hinc apparet in quo consistat causalitas ideae. Evidenter enim consistit in determinatione et directione, quam praestat agenti, ut sic conformet actionem suam externam, quemadmodum necesse est ad effectum talem producendum, qualis cognitione concipitur. Atque ita exemplar medio agente in ipsum effectum influit, quem sibi imitatione similem reddit. Quare idea ad causam formalem potissimum reducitur; hoc tantum discrimine, quod externa sit. Quod profecto sentit S. Thomas sic inquiens: « Forma semper notat habitudinem causae. Est enim forma quodammodo causa eius, quod secundum ipsam formatur; sive formatio fiat per modum inhaerentiae sicut in formis intrinsecis, sive per modum imitationis ut in formis exemplaribus (2). »

158. Propositio 2.ª *Idea, proprie sumpta, pertinet ad intellectum non speculativum sed practicum.*

Prob. Idea proprie sumpta, seu prout dicit causam exemplarem, constituit cognitionem ordinatam ad opus. Sed cognitio ad opus ordinata pertinent ad intellectum practicum, seu ad intellectum qui respicit operationem. Ergo idea, proprie sumpta, pertinet ad intellectum practicum.

Non ita esset, si nomine ideae, ut communiter contingit apud recentiores, intelligeretur non causa exemplaris, quae

(1) *Disputat. Metaphys.* Disputatio XXV.
(2) *Qq. Disp.* Quaestio *De* ideis art. 1.

est in mente artificis, sed generatim similitudo obiecti quae intellectum informat, et quae a veteribus ad evitandam confusionem *species intelligibilis* dicebatur. Haec enim ad cognitionem, quatenus pure cognitio est, refertur, ac proinde pertinet ad intellectum speculativum, non vero practicum.

159. Propositio. 3ª *Idea, proprie sumpta, obiectiva est in mente artificis, seu se habet ut id* quod *intelligitur, non ut id* quo *intelligitur, nisi secundario.*

Prob. Idea proprie sumpta est exemplar, ad cuius imitationem artifex opus efformat. Atqui nequit artifex opus efformare ad imitationem rei, quam non contuetur; nequit autem contueri, nisi id quod ipsi offertur tamquam obiectum, seu tamquam id quod intelligendum sit. Ergo ut idea munus suum exerceat in ratione causae exemplaris, necesse est ut obiective se habeat in mente artificis, seu tanquam id, quod intelligitur. Nihilominus secundario esse potest et revera est id *quo* intelligitur, respectu operum efficiendorum. Optime enim dici potest artifex in idea, seu forma exemplari, quam concipit, videre omnia quae ad eius imitationem est producturus, Ad rem S. Thomas: « Forma in intellectu potest esse dupliciter. Uno modo ita, quod sit principium actus intelligendi; sicut forma, quae est intelligentis in quantum est intelligens, et haec est similitudo intellecti in ipso. Alio modo, ita quod sit terminus actus intelligendi; sicut artifex intelligendo excogitat formam domus: et cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi et quasi per ipsum effecta, non potest esse principium actus intelligendi ut sit *primum, quo* intelligatur; sed magis se habet ut intellectum, quo intelligens aliquid operatur. Nihilominus tamen forma praedicta est *secundum, quo* intelligitur; quia per formam excogitatam artifex intelligit quod operandum sit. Sicut in intellectu speculativo videmus quod species, qua intellectus informatur ut intelligat actu, est primum *quo* intelligitur; ex hoc autem quod est effectus in actu per talem formam, operari iam potest formando quidditates rerum et componendo et dividendo. Unde ipsa quidditas formata in intellectu vel etiam compositio et divisio *(idest verbum mentale, de quo loquuti sumus in Logica)* est quoddam operatum ipsius, per quod tamen intellectus ve-

nit in cognitionem rei exterioris; et sic est quasi *secundum quo* intelligitur. (1) »

Solvuntur difficultates.

160. *Obiic.* I. Egere exemplari in operando imperfectionis est. Ergo ideae non dantur in artifice perfecto, qualis est saltem artifex increatus.

R. *Dist. antec:* Egere exemplari extrinseco, aut intrinseco aliunde emendicato, *conc;* intrinseco et a se habito, *nego.*

Tunc artifex est imperfectus, cum nequit efformare ideam operis elaborandi, nisi ante oculos habeat aliquid externum tamquam obiectum, quod sibi imitandum proponat; aut etiam nisi conceptum, quem efformat, aliquo pacto ex rebus a se distinctis deducat. Sic plus minusve se habent omnes artifices creati; qui proinde semper imperfectionem aliquam admixtam habent. At generatim non posse artificem operari sine forma exemplari interna, et praesertim a se omnino habita, ut evenit in Deo; id non ad imperfectionem sed ad perfectionem spectat. Perfectionis enim est in efficiente intellectuali ut rationem habeat sui operis, nec ignoret id ad quod actione porrigitur. Hinc S. Thomas probat ideas rerum creatarum esse in Deo, proptera quod Deus non caece sed rationali modo mundum condidit. « Quia igitur (sunt eius verba) mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agentem; necesse est quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cuius mundus est factus: et in hoc consistit ratio ideae (2). »

Obiic. II Si causalitas ideae consisteret in determinanda et regenda actione artificis, influxus eius esset in ipsum artificem, non vero in rem extrinsecus efficiendam. Ergo idea respectu artificis esset causa, non respectu effectus qui producitur.

R. *Dist. antec:* Influxum exerceret in ipsum artificem absolute spectatum in propria realitate, *nego;* spectatum relative quoad effectionem rei producendae, *concedo.*

(1) *Qq. Disp.* Quaestio *De ideis,* art. 1.
(2) *Summa th.* I. p. q. 15, art. 6.

Sicut actio pro termino habet effectum, sic quaecumque determinatio et directio, quae in actione concipitur. Unde idea, hoc ipso quod regit actionem artificis, influxum exercet terminative in effectum, et huius respectu dicenda est causa. Et sane in effectu imprimitur imitatio et similitudo ideae, ad quam illa actionis directio tendit.

Obiic. III. Idea non differt a specie intelligibili, saltem expressa, seu a conceptu formali rei cognitae. Sed species intelligibilis etiam expressa non est id *quod* intelligitur, sed id *quo* intelligitur. Ergo idem dicendum est de idea.

R. *Dist. mai:* Idea, late sumpta pro forma intellectuali utcumque spectata, non differt a conceptu formali rei cognitae, *conc;* proprie sumpta pro forma intellectuali spectata ut exemplar in mente artificis, *nego. Conc. minorem,* et *nego consequens.*

Ut supra tetigi, idea in sensu minus proprio accipi potest pro forma intellectuali generatim, quae similitudine obiecti constet. Sic sumitur plerumque a recentioribus, et in hac acceptione non differt a specie intelligibili impressa vel etiam expressa, quae verbum mentis dicitur. Si ita sumitur, non est id *quod* intelligitur, sed id *quo* intelligitur. Nam species intelligibilis impressa est repraesentatio quaedam virtualis obiecti, quae in intellectu recipitur ipsumque determinat ad conceptum eliciendum. Species autem intelligibilis expressa, seu verbum mentis, est ipse formalis conceptus, qui elicitur et qui pro termino habet obiectum quod repraesentat, tamquam id quod directe et immediate percipitur. Quare, licet sit id quod gignitur a mente, ed idcirco appelletur terminus internus actionis intelligendi, tamen non est id *quod* intelligitur sed id *quo* intelligitur. Primitus enim non se, sed obiectum, quod refert, praebet cognoscendum. At huiusmodi verbum mentis potest deinceps reflexione animi considerari, non ut expressio utcumque obiecti, sed ut exemplar rei producendae ad eius similitudinem. Sic inspectum appellatur proprie idea: *Idea proprie dicta respicit rem secundum quod est producibilis in esse* (1). Sic vero non est amplius id *quo,* sed id *quod* intelligitur; siquidem a medio

(1) S. Thomas, *Qq. Disp.* Quaestio *De ideis,* a. 3.

cognitionis speculativae conversum est in principium cognitionis practicae.

Instabis: Idea, ut observat S. Thomas, ad duo ponitur: ut sit exemplar et ut sit principium cognitionis (1). Ergo, sicut tamquam principium cognitionis non est id *quod* intelligitur sed id *quo* intelligitur; sic etiam se habere dicenda est tamquam exemplar.

R. *Dist. antec:* Idea prout praescindit a sensu lato et stricto ad duo ponitur, nempe ut sit exemplar et ut sit principium cognitionis, *conc;* prout restringitur ad sensum, in quo hic illam sumpsimus, *subdist:* ponitur ad duo, ut sit exemplar et ut sit principium cognitionis practicae, *conc;* cognitionis speculativae *nego.*

Iterum advertimus ideam posse sumi generatim, quatenus significat formam imtellectualem. Sic praescindit a sensu proprio et lato, et potest esse id *quod* intelligitur, et id *quo* intelligitur, prout ad alterutrum sensum flectatur. Si flectitur ad sensum latum, quatenus confunditur cum specie intelligibili; tunc fatemur eam esse id, *quo* intelligitur; non id *quod* intelligitur. Sed de idea in hoc sensu in praesenti non loquimur. Sin flectitur ad sensum proprium et rigorosum, non est nisi exemplar in mente artificis; et sic per modum obiecti se habet et tamquam id *quod* intelligitur. Quod si etiam sub hoc aspectu dici velit principium cognitionis; erit principium cognitionis non speculativae sed practicae, et erit id *quo* intelligitur opus faciendum, sed secundario. Artifex enim postquam cogitavit exemplar, cogitat vi ipsius opera quae ad eius imitationem effici possunt.

ARTICULUS VI.

De casu, fortuna et fato.

161. Ad complementum doctrinae de causis, aliquid dicendum est de casu, fortuna et fato, quibus saepe effectus nonnulli tribuuntur. Dici enim solet aliquando: hoc vel illud casu aut fortuito accidit; actio plantae non est libera, sed

(1) Loco supra citato.

fatalis. Incipiamus igitur a casu et fortuna; deinde loquemur de fato.

162. Fortuna differt a casu ut species a genere. Casus enim dicitur respectu agentium tum rationalium, tum irrationalium; fortuna vero respectu priorum dumtaxat, non posteriorum. Proprie enim non dicuntur fortunati lapides, aut fortunata bruta, sed tantum metaphorice; de hominibus vero, ut infortunium, sic etiam fortuna pronuntiatur. Hoc excepto discrimine, in ceteris fortuna et casus plane conveniunt. Quare simul de iis dicemus.

Ac primum illud patet, utroque vocabulo non positionem sed negationem designari. Utraque enim vox adhibetur ad innuendam carentiam ordinationis causae ad effectum, qui contingit. Quod non ita intelligendum est, quasi effectus non procedat a causa, sed quatenus ab ea sic procedit, ut sequatur per accidens et praeter ipsius tendentiam vel praevisionem. Sic si tegula decidens ex alto hominem praetereuntem occidit, dicitur ea mors casu evenisse; quia licet producta sit a tegula, tamen haec non tendebat ad occidendum hominem, sed ad procidendum humi. Huic autem effectui, qui per se procedebat a causa, coniunctus est inopinato transitus hominis, eiusque percussio. Sic etiam si quis fodiendo terram ad serendam arborem invenit thesaurum, effectus fortunae tribuitur; non quod detectio non processerit ab effossione telluris, sed quia talis effossio per se connexionem nullam habebat cum inventione thesauri, nec inventio illa ab effodiente intendebatur vel praevidebatur.

Hinc patet secundo, effectum, ut casui vel fortunae adscribi possit, debere esse rarum non solum absolute sed etiam relative, nimirum respectu causae a qua oritur. Si enim frequenter contingeret, saltem quando talis vel talis causa ponatur, praeter ordinem et intentionem causae dici non posset.

163. Ex his manifeste intelligitur casum et fortunam locum habere non respectu Dei, sed tantum respectu causarum secundarum. Ratio est, quia nihil praeterlabitur praescientiam et ordinationem divinam, quae omnia in mundo disponit ac sua gubernatione moderatur. Contrarium accidit de causis secundis, quae ut in viribus sic etiam in cognitione certis confiniis adstringuntur. Quare earumdem respectu non pauca contingere possunt, ad quae nec earum activitas per

se referatur, nec earum providentia se porrigat. Ad rem S. Thomas: « Dicendum quod aliter est de causa universali et de causa particulari. Ordinem enim causae particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causae universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causae particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem: sicut lignum impeditur a combustione per actionem aquae. Unde cum omnes causae particulares concludantur sub universali causa; impossibile est aliquem effectum ordinem causae universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicuius causae particularis effugit, dicitur esse casuale vel fortuitum respectu causae particularis: sed respectu causàe universalis, a cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis in quantum ad eos; est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat (1). » Sed de casu et fortuna satis; ad fatum veniamus.

164. Fatum, iuxta Senecae definitionem, nihil est aliud, quam *necessitas omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat* (2). Cui quidem necessitati nonnulli Deum ipsum subiectum esse voluerunt, nonnulli res creatas tantum universas, ita tamen ut homines etiam ipsa adstringerentur. Cum enim illam in nexu et ordine causarum secundarum reponerent, praesertim in dispositione et influxu siderum; huic ipsam voluutatem hominis obnoxiam esse rati sunt.

At huiusmodi absoluta necessitas, qua parte Deum et hominem spectat, in posterioribus Metaphysicae tractatibus refelletur, cum divinam et humanam vindicabimus libertatem. Qua vero agentia mere naturalia rationisque expertia respicit, ancipiti laborat sententia. Nam si severe intelligitur, prout fatalistarum sensu intelligi debet, immane est quantum a ratione discedat. Cum enim ordo rerum creatarum contingens per se sit, neque cum natura materiae necessario connexus; in tantum necessitatem haberet, in quantum aut Deus, qui illum constituit, orbaretur libertate, aut mundus

(1) *Summa th.* I. p. q. XXII, a. 2 ad 1.
(2) *Natural. Qq.* l. 3, c. 36.

ab administratione divina eximeretur. Utroque autem nihil absurdius dici potest.

Sin autem verbi tristitia lenitate interpretationis mitigetur, intelligaturque fatum iuxta definitionem Boëthii dicentis ipsum esse *ordinem causarum secundarum, divinam providentiam exequentium* (1), qui ordo frustrari nequit eventu; rebus mundanis sine errore tribuitur. Nihil enim creatum est, quod divinae ordinationi se subtrahat, resque omnes, quotquot sunt, suis actibus sive necessariis sive liberis, nequeunt non concurrere ad implendum id, quod Deus absoluta voluntate implendum esse decrevit.

Alio etiam sensu adhibetur vox *fatum*, quatenus significat causam mere naturalem, seu causam libertate destitutam; quae iuxta datam sibi a Deo vim ac dispositionem sic cietur, ut virium suarum impetum mutuumque nexum necessario sequatur. In hoc sensu fatum errore vacat, si ad causas secundarias refertur. At quoniam sophistarum abusu nomen fati fere semper in malam partem torqueri solet; idcirco sequitur ut vox eiusmodi facile usurpari non debeat; sed S. Augustini praecepto potius acquiescendum sit, qui ait: « Si quis Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat et linguam corrigat (2). » Atque haec innuisse sufficiat; qui plura cupit, adeat Metaphysicam Suaresii disputatione decimanona, sectione undecima.

CONCLUSIO

Ut acutus lector per se, procul dubio, perspexit, idea princeps, quae fecunditate sua totam hanc Metaphysicae generalis tractationem genuit; non alia fuit, nisi notio entis. Ab ea enim enucleanda exordientes, provecti sumus ad eius attributa, partitiones, causas perscrutandas. En centrum et principium, ad unitatem disciplinae tantopere accommodatum.

Hoc, ad internum ordinem idearum quod pertinet. Quoad vero tractationis modum, de industria breviores esse studuimus, quam forte alicui materiae gravitas postulasse videbitur. Nostra enim sententia id maxime in Institutionibus con-

(1) *De consolatione philosophiae*, l. 1, prosa 4.
(2) *De Civitate Dei*, l. 5, c. 2.

cinnandis curandum est, ne adolescentibus, quibus traduntur, fastidium creent. Quod ut caveatur, duo potissimum requiruntur. Primum, rerum subtilium et abstractarum non immodica sed temperans disquisitio; alterum, moderatus usus partitionum in singulis quaestionibus proponendis. Haec duo assequi conati sumus, tum delectu doctrinae, omissis iis, quae ad iuvenum mentem, quantum satis esset, informandam non duximus necessaria; tum ope difficultatum, ex quibus saepe occasionem accepimus enodandi theorias, initio controversiae ex consulto praetermissas.

Sic Ontologiam exhibendam putavimus, quae dum solida fundamenta scientiae ordinate poneret, non ingrata auditoribus sed iucunda potius accideret. Ceterum Deus, totius sapientiae fons, suppleat luce sua, in quibus tenuitas prudentiae nostrae errasse deprehendatur.

FINIS METAPHYSICAE GENERALIS.

INDEX

LECTORI BENEVOLO . . . . . Pag. 3

PROLEGOMENA

I. *Philosophiae definitio* . . . . . » 7
II. *Philosophiae utilitas et excellentia* . . . . . » 9
III. *Philosophia subdita est Theologiae* . . . . . » 11
IV. *Varia philosophiae fortuna* . . . . . » 13
V. *Philosophiae partitio* . . . . . » 16

LOGICA

Introductio . . . . . » 19

LOGICAE PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE SIMPLICI MENTIS APPREHENSIONE . . . . » 25
Articulus I. De conceptu per simplicem apprehensionem effecto, qui terminus mentalis dicitur . . . . . » 26
Articulus II. De voce terminum mentalem significante, quae terminus oralis dicitur . . . . . » 29
Articulus III. De nonnullis partitionibus termini, quae vel mentalis vel oralis tantum sunt propriae. . . . . » 32
Articulus IV. De terminis analogis . . . . . » 35
Articulus V. De aliis partitionibus, quae termino tum mentali tum orali sunt communes . . . . . » 38
Articulus VI. De coordinatione terminorum universalium, prout pertinent ad cognitionem reflexam, seu secundam intentionem. . . . . » 40
Articulus VII. Quot assignari possint suprema rerum genera. » 44
Articulus VIII. De nonnullis proprietatibus, quas termini in propositione suscipiunt . . . . . » 47

Articulus IX. De definitione . . . . . » 51
Articulus X. Definitionis leges. . . . . » 55
Articulus XI. De divisione . . . . . » 28
Divisionis leges . . . . . » 59

CAPUT SECUNDUM

DE IUDICIO. . . . . . » 60
Articulus I. De natura iudicii . . . . . » ib.
Articulus II. De oratione eiusque partibus. . . . . » 63
Arciculus II. De natura propositionis . . . . . » 67
Articulus IV. De propositionis partitione . . . . . » 69
Articulus V. De propositionibus compositis . . . . . » 71
Articulus VI. De propositionum proprietatibus . . . . . » 74

CAPUT TERTIUM

DE DEDUCTIONE . . . . . » 79
Articulus I. De natura ratiocinii . . . . . » ib.
Articulus II. De argumentatione ac potissimum de syllogismo. » 82
Articulus III. De legibus syllogismi. . . . . » 84
Articulus IV. De figuris et modis syllogismorum . . . . » 88
Articulus V. Demonstratio novemdecim modorum utilium. . » 91
Articulus VI. De syllogismo composito et expositorio. . . » 95
Articulus VII. De fallaciis . . . . . » 96
Articulus VIII. De ceteris argumentandi generibus, quae facile ad syllogismum reducuntur. . . . . » 98
Articulus IX. De inductione . . . . . » 100
Articulus X. De inventione medii. . . . . » 103

LOGICAE PARS ALTERA

CAPUT PRIMUM

DE VERITATE MENTISQUE HUMANAE QUOAD ILLAM STATIBUS. . . . . . » 107
Articulus I. Quid sit veritas et in quo actu cognitionis inveniatur . . . . . » ib.
Propositio 1.ª *Veritas proprie et perfecte nonnisi in iudicio inest.* » 109
Propositio 2.ª *Etsi non plene et perfecte, inchoative tamen simplici etiam apprehensioni veritas inest* . . . . . » 111
Propositio 3.ª *Veritas sub eo respectu, quo competit simplici apprehensioni, ab ea separari nunquam potest.* . . . . . » ib.

Propositio 4.ª *Veritas et falsitas proprie non est in sensibus; est tamen quatenus suo modo iudicium imitantur* . . . . . » 112
Articulus II. De variis mentis statibus respectu veritatis assequendae . . . . . » 114
Articulus III. De certitudine et evidentia . . . . . » 116
Propositio 1.ª *Verum evidenter apparens necessario gignit certitudinem* . . . . . » 117
Propositio 2.ª *Certitudo mentis per se proportionalis est motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit* . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Certitudo mentis per se proportionalis est etiam essentiae subiecti intelligentis et lumini sub quo obiectis adhaeretur* . . . . . » 118
Propositio 4.ª *Certitudo metaphysica, physica et moralis specie differunt inter se, et una alteri praestat.* . . . . . » ib.
Propositio 5.ª *Certitudo Fidei supernaturalis quamlibet certitudinem naturalem excedit.* . . . . . » 120
Solvuntur difficultates . . . . . » 121
Articulus IV. De probabilitate. . . . . » 123
Articulus V. De humanae ignorantiae atque errorum causis. » 125

CAPUT SECUNDUM

DE MEDIIS ASSEQUENDAE VERITATIS . . . . . » 128
Articulus I. Brevis descriptio facultatem cognoscendi. . . » 129
Articulus II. De veracitate sensuum. . . . . » 135
Propositio 1.ª *Sensus, si nullum impedimentum adsit in organo vel in medio, falli nequit quoad perceptionem sensibilis proprii.* » 137
Propositio 2.ª *Sensus circa sensibile commune, seorsum accepti falli possunt, non item si coniunctim sumantur* . . . . » 138
Propositio 3.ª *Facilis est error in relatione sensus circa sensibile per accidens* . . . . . » ib.
Propositio 4.ª *Deceptioni valde proclivis est imaginatio.* . . » 139
Solvuntur difficultates . . . . . » 140
Articulus III. De corporum exsistentia . . . . . » 143
Propositio 1.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum, nequit esse interna animi conformatio* . . . . . » 146
Propositio 2.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum, nequit esse voluntas ipsius subiecti cogitantis.* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum, nequit esse divinus influxus, prout ab Idealistis adstruitur* . . . » 147
Propositio 4.ª *Ratio sufficiens repraesentationum corporum, est ipsa realis corporum exsistentia* . . . . . » 148
Solvuntur difficultates . . . . . » 149
Articulus IV. De immediata corporum perceptione. . . . » 153

Articulus V. De veracitate conscientiae. . . . . » 156
Propositio unica. *De veracitate conscientiae ambigi nequit.* . » 159
Solvuntur difficultates . . . . . » 160
Articulus VI. De veracitate intelligentiae . . . . . » 161
Propositio unica. *Intelligentia in suis iudiciis proferendis falli non potest* . . . . . » 163
Solvuntur difficultates . . . . . » 165
Articulus VII. De veracitate rationis . . . . . » 168
Propositio 1.ª *Mens, praemissis assentiens, nequit non assentiri conclusionibus* . . . . . » 170
Propositio 2.ª *Mens nostra in deducendis il ationibus non fallitur, nisi per accidens* . . . . . » 171
Propositio 3.ª *Ratioocinatione nova veritates deteguntur.* . . » ib.
Solvuntur difficultates . . . . . » 172
Articulus VIII. De scepticismo . . . . . » 174
Propositio 1.ª *Scepticismus ex vera animi sententia chimaera est aut certe delirium* . . . . . » ib.
Propositio 2.ª *Cum homine, qui perfectum scepticismum sive sincere sive simulate profitetur, disputari nequit.* . . . . . » 175
Propositio 3.ª *Scepticismus, dum generale dubium sancit, sibimet ipse dissidet atque in patenti contradictione versatur* . . » 176
Solvuntur difficultates . . . . . » 178

CAPUT TERTIUM

DE VERITATIS CRITERIO. . . . . . » 179
Articulus I. De exsistentia criterii interni. . . . . » ib.
Propositio 1.ª *Divina revelatio nequit esse unicum aut tempore primum veritatis criterium* . . . . . » 180
Propositio 2.ª *Auctoritas vel consensus humani generis nequit esse unicum aut etiam tempore primum veritatis criterium* . . » ib.
Propositio 3.ª *Interior animi affectus haberi nequit tamquam supremum veritatis criterium* . . . . . » 181
Propositio 4.ª *Admittendum est aliquod internum veritatis criterium* . . . . . » ib.
Articulus II. In quo reponendum sit criterium veritatis internum . . . . . » 182
Propositio 1.ª *Idea clara et distincta Cartesii nequit esse veritatis criterium* . . . . . » ib.
Propositio 2.ª *Generale et ultimum criterium veritatis nequit esse conscientiae testimonium* . . . . . » 183
Propositio 3.ª *Supremum criterium veritatis nequeunt esse rationes aeternae in divina mente perspectae* . . . . . » ib.

Propositio 4.ª *Supremum criterium veritatis nequit esse idea entis sive possibilis sive realis.* . . . . . » 184
Propositio 5.ª *Criterium veritatis, in genere inspectum, est ipsa evidentia rei obiective et ontologice considerata.* . . . . . » 185
Solvuntur difficultates . . . . . » 187
Articulus III. De criterio externo. . . . . » 188
Propositio 1.ª *In re scientifica testimonium sapientum, et in arte peritorum pro rudibus norma est, cui omnino acquiescendum sit; pro doctis vero et eruditis, etsi grave habeat pondus, tamen ratione cedit.* . . . . . » 189
Propositio 2.ª *In re facti auctoritas generatim inspecta, etsi plena non sit, haberi debet ut norma approbatione digna, quam in iudicando et operando sequamur.* . . . . . » 190
Propositio 3.ª *Quaedam contingunt rerum adiuncta, in quibus auctoritas plena omnique maior evadit exceptione; ac proinde veram certitudinem, omne prudens excludentem dubium, suppeditat* . . . . . » 192
Solvuntur difficultates . . . . . » 194
Articulus IV. De sensu naturae communi. . . . . » 196

CAPUT QUARTUM

DE UNIVERSALIBUS . . . . . » 200
Articulus I. Falsae quaedam opiniones quoad naturam conceptuum universalium . . . . . » ib.
Propositio 1.ª *Nominalismus purus absurdus est* . . . . . » 201
Propositio 2.ª *Absurdus est conceptualismus.* . . . . . » 202
Propositio 3.ª *Absurdus est realismus exaggeratus* . . . . » 203
Articulus II. De dupliei universali, directo et reflexo . . . » 205
Propositio 1.ª *Universale reflexum non exsistit nisi in intellectu.* » 208
Propositio 2.ª *Universale directum habet exsistentiam in rebus, quoad id quod concipitur, non vero quoad modum quo concipitur.* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Ad formandum universale directum non aliud requiritur ex parte mentis, nisi abstractio quaedam praecisiva, qua in obiecto, quod apprehenditur, negligantur conditiones individuantes, et sola concipiatur essentia, qua talis est* . . . » 209
Articulus III. Solvuntur difficultates. . . . . » 211

CAPUT QUINTUM

DE AXIOMATIBUS . . . . . » 216
Articulus I. De diversa iudiciorum classe, prout ad axiomata constituenda evehuntur . . . . . » ib.

Articulus II. Utrum principium aliquod sit, ad quod reliqua revocantur . . . . . » 222
Propositio 1.ª *Principium omnium primum, quod in ceteris omnibus latet implicitum, pervulgato continetur contradictionis effato: Nequit aliquid simul esse et non esse* . . . . . » 223
Propositio 2.ª *Principium contradictionis formulam generalem exprimit, in quam veritas ceterorum principiorum analyticorum ultimo et indeterminate resolvitur* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Iudicia synthetica nequeunt resolvi in principium rationis sufficientis, tamquam in formulam generalem motivi, quo ad iis assentiendum impellimur* . . . . . » 224
Propositio 4.ª *Si non de quibuslibet veritatibus contingentibus sermo sit, sed de iis quae inductione ad universalitatem evehuntur; hae principio rationis sufficientis indirecte saltem nituntur* . . . . . » 225
Solvuntur difficultates . . . . . » ib.
Articulus III. De principio causalitatis . . . . . » 228
Propositio 1.ª *Principium causalitatis indubium est* . . . . » 229
Propositio 2.ª *Principium causalitatis ex effato contradictionis proxime sequitur.* . . . . . » 230
Solvuntur difficultates . . . . . » 231
Articulus IV. Kantii iudicia synthetica a priori repudiantur . » 235
Propositio 1.ª *Kantii iudicia synthetica a priori, naturae mentis humanae repugnant.* . . . . . » 236
Propositio 2.ª *Exempla, quae Kant adducit, non solum ipsi non favent, sed potius contrarium evincunt* . . . . . » 237
Articulus V. Humii de principiis experimentalibus doctrina reiicitur . . . . . » 240
Propositio 1.ª *Similitudo inter transactum et futurum nequit fundari in instinctu a Reid adstructo.* . . . . . » 242
Propositio 2.ª *Similitudo inter transactum et futurum nequit fundari in sola experientia* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Similitudo inter transactum et futurum ita fundatur in experientia, ut ea praesupposita inferatur ex aliquo principio rationali* . . . . . » 243

CAPUT SEXTUM

DE SCIENTIA. . . . . . » 246
Articulus I. De praecipuis scientiae differentiis . . . . . » ib.
Propositio 1.ª *Mens duplici via scientiam acquirit, inventione et disciplina.* . . . . . » 247
Propositio 2.ª *Scientia perfecta illa est, quae rem explicat per causam, aut rationem sufficientem.* . . . . . » 248

Propositio 3.ª *Scientia specificatur ab obiecto, prout subest principiis, vi quorum innotescit* . . . . . » 248
Propositio 4.ª *Scientia, inspecto fine, ad quem tendit, potest esse speculativa vel practica* . . . . . » 249
Solvuntur difficultates . . . . . » 250
Articulus II. De partitione et coordinatione scientiarum . . » 253
Propositio 1.ª *Generalis divisio scientiarum optime desumitur a diverso abstractionis gradu* . . . . . » 254
Propositio 2.ª *Inspecto diverso abstractionis gradu, scientia optime dividitur in quinque primarias; nimirum Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, Logicam et Moralem* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Reliquae omnes scientiae sub quinque supremis enumeratis disciplinis recte ordinantur* . . . . . » 255
Solvuntur difficultates . . . . . » 256
Articulus III. An detur aliqua scientia, cui ceterae omnes subiiciantur . . . . . » 259
Propositio 1.ª *E quinque primariis scientiis nulla est, quae proprie alteri subalternetur* . . . . . » ib.
Propositio 2.ª *Si non agitur de subalternatione, sed de subordinatione latius dicta, scientia, cui ceterae subsint, potest haberi sub diversa ratione tum Moralis, tum Logica, tum Metaphysica.* . . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Absolute tamen in ratione scientiae Metaphysica est, cui reliquae omnes disciplinae naturales subordinantur* . . » 260
Propositio 4.ª *In Encyclopaedia christiana absolutus primatus spectat ad Theologiam scholasticam, cui proinde ipsa Metaphysica subiacet* . . . . . » 261

CAPUT SEPTIMUM

DE METHODO. . . . . . » 263
Articulus I. De analysi et synthesi. . . . . » ib.
Methodi leges . . . . . » 266
Articulus II. De dubitatione cartesiana. . . . . » 267
Propositio 1.ª *Etiamsi posset, sine absurditate, universalis dubitatio tanquam initium philosophandi constitui, ea tamen inepta esset et philosopho plane non digna* . . . . . » 268
Propositio 2.ª *Dubitatio universalis, constituta ut initium philosophandi, absurditate plena est.* . . . . . » 269
Propositio 3.ª *Absurdum est et sibi nil consentiens, dum de ceteris facultatibus dubitatur, testimonio conscientiae confidere* . . » ib.
Propositio 4.ª *Ex solo testimonio conscientiae nequit in rerum aliarum certitudinem fieri transitus* . . . . . » 270
Articulus III. Unde philosophandi initium sumendum sit . » 272

Propositio 1.ª *Reiicienda est sententia Theodori Jouffroy, qui principium et fontem certitudinis humanae in actu fidei caecae reponit, quam naturali veracitati facultatum nostrarum adhibeamus.* . . . . . » 273
Propositio 2.ª *Initium philosophandi, quoad partem rationalem, situm est in principiis per se notis, quae demonstrationi non sunt obnoxia.* . . . . . » 274
Propositio 3.ª *Quoad partem empiricam initium philosophandi in evidenti perceptione sensuum et conscientiae reponitur* . . » 275
Solvuntur difficultates . . . . . » 276

APPENDIX

DE ARTE CRITICA ET HERMENEUTICA . . . . » 279
Articulus I. De valore et usu testimonii in factis historicis diiudicandis . . . . . » 280
Articulus II. De authentia et incorruptione librorum. . . » 283
Quoad indicia interna . . . . . » ib.
Quoad indicia externa . . . . . » 284
Articulus III. De interpretatione librorum. . . . . » 285
Conclusio . . . . . » 286

METAPHYSICA GENERALIS SEU ONTOLOGIA

Introductio . . . . . » 289

CAPUT PRIMUM

DE ENTIS NOTIONE AC PROPRIETATIBUS . . . » 293
Articulus I. De conceptu entis . . . . . » 294
Propositio 1.ª *Notio entis est omnium communissima et simplicissima.* . . . . . » 295
Propositio 2.ª *Notio entis definiri proprie nequit.* . . . . » ib.
Propositio 3.ª *Notio entis est praedicatum essentiale respectu omnium, quibus tribuitur* . . . . . » 296
Propositio 4.ª *Notio entis contrahitur in inferioribus notionibus non per modum compositionis, sed per modum expressioris conceptus eiusdem realitatis.* . . . . . » 297
Propositio 5.ª *Notio entis non est generica sed tantum analoga* . » ib.
Solvuntur difficultates . . . . . » 299
Articulus II. De exsistentia et essentia . . . . . » 302
Propositio 1.ª *Essentiae rerum sunt immutabiles, indivisibiles, aeternae* . . . . . » 303

PROPOSITIO 2.ª *Non omnes essentiae sunt nobis ignotae* . . » 304
ARTICULUS III. De distinctione essentiae ab existentia . . » 306
ARTICULUS IV. De actu et potentia . . . . . » 310
PROPOSITIO 1.ª *Potentia definiri non potest nisi per actum; actus vero nullo modo definiri potest* . . . . . » 312
PROPOSITIO 2.ª *Omne ens mutabile constat ex actu et potentia; ens vero prorsus immutabile nulli potentiae miscetur sed est purus actus* . . . . . » 313
PROPOSITIO 3.ª *Licet in ente ipso, quod successione mutatur, potentia tempore praecedat actum; tamen absolute actus, natura saltem, praecedit potentiam* . . . . . » 314
Solvuntur difficultates . . . . . » 315
ARTICULUS V. De unitate. . . . . » 316
ARTICULUS VI. De veritate . . . . . » 322
PROPOSITIO 1.ª *Veritas tribuitur rebus per ordinem ad intellectum.* » 223
PROPOSITIO 2.ª *Veritas minus proprie competit rebus, quam intellectui* . . . . . » ib.
PROPOSITIO 3.ª *Res primario dicuntur verae per ordinem ad intellectum divinum* . . . . . » 324
PROPOSITIO 4.ª *Res, licet secundario, tamen dicuntur verae etiam per ordinem ad intellectum creatum* . . . . . » ib.
PROPOSITIO 5.ª *Res creatae comparantur ad intellectum divinum ut mensuratum ad mensuram, contra ad intellectum humanum ut mensura ad mensuratum.* . . . . . » 325
PROPOSITIO 6.ª *Res creatae respectu intellectus divini non sunt nisi verae; respectu autem intellectus nostri per se sunt verae, per accidens contra dici possunt quandoque falsae* . . . » ib.
Solvuntur difficultates . . . . . » 326
ARTICULUS VII. De bonitate. . . . . » 329
ARTICULUS VIII. De pulcro . . . . . » 334

CAPUT SECUNDUM

NOTIONES PRAECIPUAE, QUAE DIVERSAS ENTIUM CLASSES RESPICIUNT . . . . . » 341
ARTICULUS I. De substantia et accidente. . . . . » 342
PROPOSITIO 1.ª *Conceptus substantiae non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et physicum* . . . . . » 343
PROPOSITIO 2.ª *In rebus creatis praeter substantias dantur realia accidentia a substantiis realiter distincta.* . . . . . » 344
PROPOSITIO 3.ª *Non repugnat divinae virtuti ut aliqua accidentia conservet separata a substantia, cui inhaerebant* . . . . » 345
Solvuntur difficultates . . . . . » 347
ARTICULUS II. De supposito et persona . . . . . » 350

Propositio 1.ª *Subsistentia vel personalitas in creatis discriminatur a natura obiective et realiter, distinctione saltem modali* . » 352
Propositio 2.ª *Subsistentia vel personalitas est aliquid positivum, non mera negatio* . . . . . » 353
Propositio 3.ª *Personae identitas reponi nequit in conscientia.* » 355
Solvuntur difficultates . . . . . » 356
Articulus III. De quantitate et qualitate . . . . . » 359
Articulus IV. De relatione . . . . . » 365
Articulus V. De possibilibus . . . . . » 368
Propositio 1.ª *Possibilitas interna rerum non pendet ab intellectu nostro, neque a rebus in mundo exsistentibus* . . . . . » 372
Propositio 2.ª *Interna rerum possibilitas pendet a Deo.* . . » 373
Propositio 3.ª *Interna rerum possibilitas non pendet a divina potentia* . . . . . » 374
Propositio 4.ª *Interna rerum possibilitas non pendet a divina voluntate.* . . . . . » 375
Propositio 5.ª *Interna rerum possibilitas proxime pendet a divino intellectu, remote a divina essentia* . . . . . » 376
Solvuntur difficultates . . . . . » 379
Articulus VI. De notione entis necessarii et contingentis, mutabilis et immutabilis, temporanei et aeterni . . . . . » 382
Articulus VII. De conceptu finiti et infiniti, simplicis et compositi . . . . . » 390
Propositio 1.ª *Notio finiti non est mere negativa, sed partim negans et partim affirmans.* . . . . . » 391
Propositio 2.ª *Notio finiti, qua parte negationem includit, non fundatur in praevia notione infiniti, ut vellent Cartesiani* . . » ib.
Propositio 3.ª *Notio infiniti non habetur per continuam additionem finiti, ut Locke opinatur.* . . . . . » 392
Propositio 4.ª *Notio absoluta infiniti non habetur nisi per totalem et positivam limitum remotionem* . . . . . » 393
Propositio 5.ª *Nulla res creata potest esse infinita quoad essentiam* . . . . . » ib.
Propositio 6.ª *Nulli creaturae competere potest vis seu activitas infinita* . . . . . » 394
Propositio 7.ª *Dari nequit magnitudo seu moles actu infinita.* » ib.
Propositio 8.ª *Multitudo actu infinita dari nequit* . . . . » 395
Solvuntur difficultates . . . . . » ib.

CAPUT TERTIUM

DE CAUSIS ENTIS. . . . . . » 401
Articulus I. De notione causae generatim et eius diversitate a notione principii . . . . . » ib.

Articulus II. De causa efficiente . . . . . » 405
Propositio 1.ª *Notio causae efficientis realis est et ex ipsa phaenomenorum observatione deducta* . . . . . » 407
Propositio 2.ª *Spiritus creati vera fruuntur activitate* . . . » 408
Propositio 3.ª *Ipsae res corporeae revera agunt et propriorum effectuum non sunt accasiones sed causae.* . . . . . » 409
Propositio 4.ª *Causa, ut agat in determinatum subiectum, debet eidem coniungi vel immediate vel mediate, ac proinde repugnat actio in distans.* . . . . . » 410
Solvuntur difficultates . . . . . » ib.
Articulus III. De causa materiali et causa formali. . . . . » 417
Propositio 1.ª *In substantiis corporeis datur materia, quae iure prima nuncupatur* . . . . . » ib.
Propositio 2.ª *Forma potest esse vel accidentalis vel substantialis* » 419
Propositio 3.ª *Causalitas materiae et formae non consistit in aliqua actione unius in aliam, sed in mutua communicatione propriae entitatis per immediatam unionem unius cum alia.* . » 420
Solvuntur difficultates . . . . . » 421
Articulus IV. De causa finali . . . . . » 423
Propositio 1.ª *In rerum natura omnia agunt propter aliquem finem.* . . . . . » 425
Propositio 2.ª *Finis est vere et proprie causa* . . . . . » 426
Propositio 3.ª *Immo finis in ordine causarum est prima* . . » ib.
Propositio 4.ª *Ex fine, rebus praestituto, optime desumitur ratio ad earum naturam dignoscendam vel collustrandam* . . . » 427
Propositio 5.ª *Causalitas finis est amor, quem obiectum inspirat agenti propter sui bonitatem.* . . . . . » ib.
Solvuntur difficultates . . . . . » ib.
Articulus V. De causa exemplari vel idea. . . . . » 429
Propositio 1.ª *In quolibet artifice, in eo nimirum, qui non natura sed ex arte operatur, admittendae sunt ideae* . . . . . » 430
Propositio 2.ª *Idea proprie sumpta pertinet ad intellectum non speculativum sed practicum* . . . . . » 431
Propositio 3.ª *Idea, proprie sumpta, obiectiva est in mente artificis, seu se habet ut id* QUOD *intelligitur, non ut id* QUO *intelligitur, nisi secundario* . . . . . » 432
Solvuntur difficultates . . . . . » 433
Articulus VI. De casu, fortuna et fato. . . . . » 435
Conclusio . . . . . » 438

FINIS INDICIS.

102
L 615
7674
LIBERATORE, M
AUTHOR
Institutiones Phil. I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Nobody OCT 2 98	
	STORAGE - CBPL	
	7-18-86	

7674